
HENR. IOH. NEPOM. CRANTZ
S. C. A. MAIESTAT. CONSILIAR.
INSTITUT. MED. ET MATER. MEDIC. VINDOB.
PROFES. PUB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CURIOS.
ET SOCIET. BOTAN. FLOR. SODAL.

MATERIÆ MEDICÆ ET CHIRURGICÆ

IUXTA
SYSTEMA NATURÆ DIGESTÆ

EDITIO SECUNDA
CORRECTA ET AUCTA.

TOMUS PRIMUS.



IMPENSIS IOANNIS PAULI KRAUS,
BIBLIOPOLÆ VIENNENSIS,
MDCCLXXIX.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLUSTRISSIME
AC
CELEBERRIME VIR.



t haec altera est, quam beneficiorum in me collatorum dudum TIBI decrevi, optata gratulatio! in qua nihil felicius, nihil animo meo magis accommodatum accidere posse praevidebam, quam quod

& gratus esse deberem, & palam dicere possem.

Nam etsi TU humilitate propemodum nimia, in iis, quos cumulatis arctissime TIBI devinxisti beneficiis, gratitudinis vocem continuo comprimis, & memori in mente leve facti vestigium, quod expunctum potius cuperes, superesse velis, id in mea hac caussa, crudelior quam generosior contendere non potes.

Equidem neque ego, aut quae mihi aliis praeclare fecisti, quanquam deberem, in vulgus indicare unquam hic constituo, aut impudenter me ama-

re,

re, & in capite libri TUO NOMINI *ſacri licentioſius me TIBI laudare, aut demum foede TE adulari volo aut poſſum: ut enim prius a viribus, ita poſterius a voluntate in integrum abeſt, & omni ingenuo viro, tum maxime auſtero Luxemburgo indignum; ſed id ſolum in lucem protrahere geſtio, Paterna pene cura TE meo praefuiſſe ſtudio, Artem humanae ſaluti ſacram non ſolum meis TE infudiſſe auribus, ſed & ita animo inſcripſiſſe, ut, quae quidem ego hodie & limata & exquiſita proferre poſſum, TUA eſſe clare intelligantur.*

Quae cum ita ſint, me, nec animi TUI gravitas prohibere voce, nec magnitudo, quo minus honoratus ſis, interpellare poſſunt, nec, ſi demum TIBI Religio cordi eſt, unquam debent.

Etenim eo ſeveritatis haud progredi TU potes, ut me & falſum, dum ſancte promiſi, me eos, qui me Artem Medicam docuerunt, in eaque inſtituerunt & promoverunt, parentum loco habiturum & honoratuum, *juraſſe velis, & TUO labore partam gloriam intercipere cogas; hoc enim etiamſi optares, imo juberes,*

ego

ego ſane haud ſuſtinerem, nec obedirem, cum eo ſemper ſim jure, ut & honeſtae & bonae cauſae indeclinabilem, qui nec minimum quidem de ea alteri concedat, afferam animum.

Quapropter pro ſummo meo jure, & honorem TIBI *a Diſcipulo haberi hodie, & gratias olim clanculum ſolum habitas, & per furtum hinc inde actas, cum pro rerum aliarum magnitudine, quas geſſiſti, tum pro mea inprimis inſtitutione nunc* TIBI *perſolvi etiam invitus pati debes; & aequo, crede mihi,* ILLUSTRISSIME *van* SWIETEN,

id ſemel, cum & ex antiquiſſimo & candidiſſimo affectu perſolvantur, patere animo; alias etiam ego jam minus mitis, TUO ſeverus magis exemplo, pro eodem meo jure, ad capiendam qualemcunque ex hoc, quod TIBI inſcribo, opere laudem, TE cogam adigamque. Quid enim in illo eſt, & grave & ponderoſum, quod TUUM non ſit? quod non ſit ex TUIS collegiis exſcriptum, aut demum ſic inter colloquendum, a TE profectum? ut mei Diſcipuli non mihi, ſed TIBI obſtricti eſſe debeant. Sed nonne maluiſſes haec in publicum haud efferri? & TUA

&

& mea culpa eſt: cur TU adeo parum laudis cupidus, ego TUAE amans?

Poſtremo annuos Diſcipulorum, & quod egregii ſint, & amari mereantur, labores TIBI plurimum commendo, non adeo me ipſum, aut meos: ſive enim munus officii ad amuſſim exequar, nec laude aliqua, nec recommendatione maiori dignus, fidem datam ſolum libero; ſive non exacte adimpleam, exprobrationem & odium merui; illi vero nec publici muneris vi adſtricti, nec ulla lege coacti, ſed ab omnibus conditionibus vacui, ſua ſponte, omni cura

ſtudio-

ſtudioque in Medicarum rerum cognitionem ita rapiuntur, ut & ſtudii Profeſſores admoneant, & aliquando ad id etiam cogant. Non ſine ſumma animi voluptate recordor praematurorum in ſtudiis progreſſum THA. BAYER, PHIL. MARHERR, A. KRAMMER, *quos TU* IPSE *in examinibus miratus. Maximo cum oblectamento ſaepius lego illud a perſpicaciſſimo* MARHERR *de Actione muſculorum ſolutum problema cathedra dignum; hos ſi TU amore, beneficiis complectaris, ut ſoles & debes, ultra exſpectationem mihi gratificaris.*

MATE-

MATERIÆ MEDICÆ
ET
CHIRURGICÆ
CONSPECTUS.

Tom. I.

Classis

Tom. II.

Claſſ.

Tom. III.

MATERIÆ CHIRURGICÆ
CONSPECTUS.

Claſſ.



RES



RES CIBARIA

SEV

PRIMA CLASSIS

CARDIACORUM NUTRIENTIUM.

CEREALIA.



x quibus panis parari poteſt, a Cerere CEREALIA vulgo Materiæ Medicæ ſcriptoribus dicuntur, quia

Prima ceres homini ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.

OVID. Faſtor. l. IV.

AVENA *Offic. Botan.* Classis Natur. Graminum. *Germ.* Haber. *Gallis* Avoine. *Anglis* Oats. *Italis* Biada.

AVENA *calycibus dispermis, seminibus laevibus;* culmo stramineo breviori, magis nodoso, panicula sparsa, tum grano tenuiori oblongo distinguitur. Equorum pabulum, hominibus panes, pultes, gelatinas, cerevisiam, decocta, tum alia tam sanis quam ægris saluberrima subministrat. Mundata in farinam crassiorem redacta avena GRUTUM in aqua, lacte, coquitur, in omni acrimonia utile medicamentum & alimentum. Vitiata venenum est temulentiam & amentiam inferens, FABER *Strychnomania.* De necrosi florum cerealium consule *Cl.* GLEDITSCH *Acad. de Berlin 1756. Cl.* AYMAN *Memoires de Physique & Mathematique* T. III. 1760.

USUS MEDICUS. Decocta, juscula, avenacea, Anglis, tum ut consumtionem prævertant, tum ut præsentem curent, maxime familiaria sunt; sed & his solum acute decumbentes nutriunt, & Itali ad temperandam quorumcunque salium acrimoniam plurimum utuntur, MONTI. Tussientibus & excoriatæ alvo prodesse DIOSCORIDES. Refrigerare & humectare HIPP. Farinam butyro mixtam scabiem capitis siccare ARBUTNOT *Practical Rules of Diet in the various constitutions.* Hordeo lentior avena est.

FAGOPYRUM. *Offic. Botan.* Polygonum Classis Pauci-stam. *Germ.* Heidengraupen. *Gallis* Blé sarrassin. *Anglis* Buck-Wheat.

POLYGONUM *erectum foliis cordato-sagittatis,* etiam in usus alimentares adhibitum; semina triquetra cortice nigro tecta sunt, farinam albam tritico, hordeo,

deo, ſecali, minus, milio tamen & panico plus nutrientem poſſident. Fuit hæc in panes, placentas, offas, adhibita.

USUS MEDICUS ſenibus alvo adſtricta laborantibus a PAVIO dictatur. Farina in cataplasmatibus reſolventibus & maturantibus laudatur. Succum ex recenti planta preſſum illacrymantibus oculis mederi GRATO habet.

HORDEUM. *Offic. Botan.* Claſſis Natur. Graminum. *Germ.* Gerſten. *Gallis* Orge. *Anglis* Barley. *Italis* Orzo.

HORDEUM *diſtichon.* Claſſicis Ordeum. Omni antiquitati celebre fuit, nam & Hebræis celebratas hordei meſſes ſacræ paginæ, & a Lacedæmoniis adhibitum in ſacris hordeum, ALEX. ab ALEXANDRO, & Græcos frugem antiquiſſimam hordeum habuiſſe, DIONYS. HALICARNASSEUS, teſtantur. Tritico minus glutinoſum hordeum, facilius in membra digeritur, digeſtum difflatur, noto jam Romanis effectu, cum ſolo hordeo veſci pœnæ loco apud illos haberetur. Ita Marcellum militibus, qui male pugnaverant, hordeum dari juſſiſſe, LIVIUS, de Auguſto SUETONIUS cohortes, ſi quæ ceſſiſſent loco, decimatas hordeo paſtas, & POLYBIUS etiam illis, qui timide ſeſe geſſiſſent, hordeum pro tritico demenſum fuiſſe, fidem faciunt.

Sola præparatione diſtinctum, hordeum triplex, quod tegmine ſuo cereali adhuc inveſtitum, INTEGRUM; quod hoc ablato nudum eſt, MUNDATUM; quod ſuſpenſa mola in minora margaritis ſimilia granula contritum, PERLATUM, audit. Ex integro cereviſia, ex mundato ptiſana, duplex dicta HIPP. *ſimplex* ſeu ſuc-

cus ptisanæ: *integra*, dum cum succo incoctum exhibetur granum.

USUS MEDICUS. Integrum hordeum plus detergit, plus demulcet mundatum. Utrumque decoctum morbis acutis, cum nitro, melle, utile. Cremor hordei in morbis ab acrimonia ortis, in hæmoptoë, erosionibus, laudatur. Farina anodina, maturans, in cataplasma recepta suppurandis commoda.

MAYS *Offic. Botan.* Classis Nat. Graminum. *Germ.* Türkischer Weitzen. *Gallis* Blé de Turquie. *Anglis* Indian Wheat. *Italis* Sorgo turco.

MAYS. Semina magna, nuda, subrotunda, inæqualia, coloris aurei, medullæ candidæ, suavis, dulcis, habet. Americæ incola planta ubique hodie lætissime crescit in varios adhibita usus. Edulis farina, etiam panificiis apta. Ex hoc grano, licet magis viscosum non adeo facile fermentet, ARBUTNOT *Practical. Rules of Diet*, Mexicani tamen Cerevisiam & Spiritum ardentem parant.

USUS MEDICUS apud nos vix ullius, apud Mexicanos celeberrimus, acute decumbentium communissimus, at non facillimus victus. An a lithiasi præservans, ut persuadet HERNANDEZ? Pulmentum ex ejus farina cum lacte excoctum, cui ferventi pinguedo commixta sit, in tumoribus ex odontalgia & frigore oriundis utile, KALM *Acta Suec.* vol. XIII.

MILIUM *Offic.* Panicum *Botan.* Class. Nat. Graminum. *Germ.* Hirs. *Gallis* Millet. *Anglis* Millet. *Italis* Miglio.

PANICUM *panicula laxa, flaccida, foliorum vaginis pubescentibus.* Semina exigua, ovalia, vel flavescen-

veſcentia, vel albicantia, omnium frugum fertiliſſima planta habet. Semina hæcce multum adhibita Maloticis in cibum, Tartaris in potum, in uſus alimentares diverſa forma aliis. Panis ex milio confectus aridus, friabilis, unius diei ætatem habens, ingratus, Lombardis in uſu, difficilis digeſtionis, pauci alimenti.

USUS MEDICUS, ubi exſiccandum, in colluvie alvi ſeroſa multum proficuus.

ORYZA. *Offic. Botan.* Claſs. Nat. Graminum. *Germ.* Reis. *Gallis* Ris. *Anglis* Rice. *Italis* Riſo.

ORYZA. Jam decorticata ad nos ex Italia grana oblonga, ſtriata, pellucida fere, aſportantur, quæ præcipuam multis in locis alimoniam conſtituunt. In nonnullis regionibus ex oryza panis fit, & cereviſiam ex hac, quæ vi temulenta ex hordeo factam longe ſuperaret, pro coloniis Batavorum confectam, novit *Illuſtr.* L. B. van-SWIETEN. Spiritum, qui cum Spiritu vini certare poſſit, ebrietatem inducentem magis durabilem, & corpori magis noxiam, parari ab Indis, BERNIER. *iter.* ARRAC hunc ſpiritum Indi, ut & omnes alios fermentatos, vocant, SHAW. Angli ex hoc, magis vero ex liquore vinoſo, ex arbore cocco vulnerata deſtillante, fermentato, tum etiam ſpiritu ex canna ſaccharifera confecto, potum *Punch*, addita aqua, ſucco citri, momento nucis moſchatæ, corticum citri, ſaccharo, aliquando pane toſto, componunt.

USUS MEDICUS. Oryza alimentum eſt medicamentoſum, gratum, absque ſale addito ſapidum, in acrimoniis, hæmoptoë, hæmorrhagiis aliis, lacti, juſcu-

lis incocta, utile. In scirrho, cancro ventriculi jura carnium ex oryza & mollissimis facta oleribus, *Illustr.* L. B. van-SWITEN commendat in *Comment.* In diarrhoeis & dysenteriis DIOSCORIDES, GALENUS, laudant: & multos diarrhoea & dysenteria tum etiam lienteria laborantes in navigatione Americana servavit COLUMBUS. Adhæc in marasmo conferre, ARBUTNOT *an essay concerning the nature of aliments.* An ab oryza cæcitas, ut observat BONTIUS, & innuit TEN RHYNE? Turcæ, Itali cæci non sunt.

PANICUM. *Offic. Botan.* Class. Nat. Graminum. *Germ.* Bitzweitze. *Gallis* Panis. *Anglis* Panick. *Italis* Panico.

PANICUM *germanicum panicula minore*, multis in regionibus nequidem notum, avium pabulum, milio multum simile, ad panificia ut alia cogi posset. Obsessos Massilienses panico vixisse, JULIUS CÆSAR, alios etiam hujus usui assuetos, *Illustr.* L. B. van-SWIETEN reliquerunt. Milio minus nutrit.

USUS MEDICUS vix ullus, dysentericis tamen utilis.

PHALARIS. *Offic. Botan.* Classis Nat. Graminum. *Germ.* Canarienfutter. *Gallis* Semence de Canaris. *Anglis* Canary Seed.

PHALARIS *panicula subovata, spiciformi, glumis carinatis;* semina splendentia, candida, vel subflavescentia, seminum lini forma, producit. Usibus humanis inservire posset, gratissimum passeribus Canariis pabulum.

USUS

USUS MEDICUS nullus, contra calculum tamen aliquibus laudatus, an certa fama?

SECALE. *Offic. Botan.* Classis Nat. Graminum. *Germ.* Rocke. *Gallis* Segle. *Anglis* Rie. *Italis* Segala.

SECALE *glumarum ciliis scabris;* veteribus incognitum, Romanis non multum in usu, septentrionalibus gentibus admodum familiare fuit. DIOSCORIDE, Rei Rusticæ scriptoribus non relatum, PLINIO mala notatur nota, cum frumentum deterrimum & nigritiam tristem appellet. Cum Briza asiatica, de qua panes atros, graveolentes, fieri GALENUS, idem fuisse nonnulli contendunt, nondum complanata lite. Hodie satis notum omnibus cereale, spicam aristatam semper, compressiorem tritico habet, grana etiam strigosiora, nudiora nigricantia, saporis non adeo dulcis, ut grana tritici. Cæterum magis detergens est, & panis furfuribus remixtus non assuetis alvum movet.

Secale cornutum venenum est, gangrænam cito inducens, in variis Academiarum Actis infame declaratum. *Acad. des Sciences* 1710. 1748. 1752. *Memoires de Mathematique* T. II.

USUS MEDICUS. Farina secalis in cataplasmatis formam redacta locis inflammatis, ubi degeneratio in putredinem metuenda, utiliter adhibetur; emollit enim & discutit, & potentissime putredini resistit, cum longe citius, quam farina tritici aut hordei, acescat. Ob eandem rationem ex granis secalis, pane secalino, decocta parantur in febribus putridis, addito succo citri, vini momento, si res exigit, gratissima, simul etiam convenientissima. Farinam solam calefactam hi, in ca-

taplasma redactam alii, cum ſucceſſu partibus podagra vexatis applicari perhibent. Flores nonnullis arcani ſunt ad morbos tum alios, tum maxime ad partum difficilem mulierculis noſtris; ſed rara confidentia ſuperat morbum. An adeo mirabiles aquæ panis in epilepſia vires? ſpiritus ſecalini miræ laudes dictæ TEN RHYNE? Grata aciditate in nonnulla mineralia potentius agere ipſa aqua forti, ETTMULLER. Cæterum panis ſecalinus vino intinctus egregie analepticus, Fr. HOFFMANN *de praeſtantia remed. domeſtic.* Hoc maritum veneris immodico uſu pene exanimem viribus & vitæ reddidit *ab* HEER. Decoctum panis analepticum, BOERHAAVE, maxime vino & aromatibus conditum.

TRITICUM. *Offic. Botan.* Claſſis Nat. Graminum. *Germ.* Weitzen. *Gallis* Froment. *Anglis* Wheat. *Italis* Formento.

TRITICUM *hybernum radice annua, ſpica mutica.* Generaliter omne granum frumentaceum ex ſpicis tritum, ac trituratione expurgatum olim ſignificabat Triticum. Cereris hæc grana integra comeſta, ut hordeum, difficillime digeruntur, etiam ſale adjecto cocta, cum in ventriculo pondus, flatus, capitis dolorem, oculorum caliginem, alvum adſtrictam GALENO, ſociis & aliis attulerint, ut jam recte HIPPOCRATES triticum hordeo valentius eſſe, monuerit.

Habemus 1mo. FARINAM tritici, unde panis & farina *offic.* 2do. Farinam poſt germinationem exſiccati tritici, unde SAPA, qua vegetabilia loco Sacchari aut mellis, non adeo durabili connubio, condiuntur. 3tio. AMYLUM, quod quia abſque mola ſemper olim para-

pararetur, ita dictum, nihil aliud est, quam optimi tritici in nonnullis regionibus, corrupti tantum in aliis, aut etiam residuarum a farina crassa partium, sedimentum, in pastam albam, friabilem, magno labore lævigatum; unde dilutum amylum, pulvis cyprius, ad glutinandos libros gluten, quæ tamen ex solani tuberosi esculenti radicibus commodius utiliusque pararentur. *The Gentleman's Magazine* for sept. 1752. 1753. Habemus etiam furfures, ut & tritici flores.

Inter hæc vero omnia scitu non indigna sunt ea, quæ a *Cl.* BECCARIO capta sunt de farina optimi Tritici furfuribus probe repurgati, in *Bononiensi Scient. & Art. Instit. & Acad.* T. II. Part. I. experimenta, quibus edocemur aquam ex hac una parte solvere amylaceam dicendam naturæ quoad omnia vegetabilis, aliam vero intactam relinquere atque hanc glutinosam suam originem detrectare, & per omnia sic se præbere quasi esset ab animante quopiam profecta: nam & illa in digestione, acoris indicium nullum dare, sed intra paucos dies fœtere, corumpi cadaveris modo, tum liquari, effervescere cum acidis quibuscunque, & in cæteris alcalina omnia imitari, etiam in destillatione alcalicum genium magis commonstrare observavit; nam & spiritum urinosum olei utriusque & salis volatilis tantam vim fudit, quanta ex pari cornu cervi pondere prodire solet. An inde ratio, cur ex Tritico confici Phosphorus possit? an & aliæ vegetabilium substantiæ, ex quibus confectus, eandem naturam habent?

USUS MEDICUS. Aqua decocti tritici demulcens, infantum quibusdam in regionibus potus est ordinarius; an adeo utilis, quia cito acescit? ex oryza tutius pararetur. Farina ipso grano integro minus te-

nax, lenta tamen, cum aqua in cataplasmatis consistentiam cocta ad inflammata loca laudatur, cum lacte ad movendas suppurationes Aliis: sicca, ut & amylum, ad intertrigines, loca excoriata, erysipelas, serpiginem, sudores, dum siccare consilium, cum creta, cerussa, pulvere rosarum rubrarum, utiliter adhibetur.

Amylum inviscans est acrioris seri, in pectoris & intestinorum morbis, tabellis, pastillis, clysteribus adhibitum. Gluten, si liquidius & tepidum, cochlearis mensura sorbendum, sanguinem rejicientibus commendat DIOSCORIDES. Furfures scopo demulcente in aqua pro clystere coquuntur, balneis pedum emolliente scopo adduntur. Flores ad leniendas inflammationes nonnullis laudantur.

ZEA. *Offic. Botan.* Triticum. Classis Nat. Graminum. *Germ.* Speltz. *Gallis* E'peautre, *Anglis* Spelt. *Italis* Spelta.

TRITICUM *Spelta flosculis lateralibus masculis, muticis, involucro destitutis*, plus hordeo, minus tritico nutrit, ut in medio esse tritici & hordei GALENUS dixerit. Tritico viscidius ad obstructiones magis disponit, ori gratum, in panificia, cerevisiam pariter digestum. An Zea Græcorum Far sit Romanorum, multi disputant.

USUS MEDICUS vix ullus, granum paucis officinis receptum, in hæmorrhagia uteri sorbendum dedit HIPP.

Ex modo recensitis Cerealibus noto artificio panis fit: ex Tritico maturo, non admodum recenti, nec vetusto, solo pingui enato, repurgato, nec vitiato, bene

bene pertritus, fermentatus, ſalitus, coctus, optimus; licet quoad diverſas farinæ partes, parandi, coquendi modum, multa hujus differentia.

USUS MEDICUS ſuadet bis coctum, ſale, aromatibus, leviter conditum, omni glutine perfecte liberum; hunc in morbis viſcerum debilium optimi nutrimenti eſſe *Illuſtr.* L. B. VAN-SWIETEN *Comment. I.* MICA panis in pultem cocta aptius infantibus alimentum, quam farina, quod matribus inculcandum. Cæterum veteribus adhuc alia recenſentur frugum genera, hodie nobis non certo nota, & etiamnum mortales plurimi pane CASSAVA, ex radice Jatropha *manihot* venenata, confecto vivunt, alii alio nutriuntur. Et ægris ſuis grana SAGO, ut & gelatinam de SAGO, Angli Medici in cibum concedunt, HUXHAM. *De morbo colico Damnoniorum.* Londini 1739.



LEGU.

LEGUMINA.

LEGUMINA quaſi manu & ſine falce lecta, ut CORRAEVS:

Agricola ſi quando manu cerealia carpit
Semina, & e terra ſine falce legumina vellit.

Cerealibus adnumerata veteribus fuere GALENI teſtimonio, dum dicit: legumina ea appellant cerealia, ex quibus non fit panis. Hodie rectius diſtinguuntur.

Leguminum facultates mala notavit nota HIPPOCRATES, & poſt illum GALENUS: flatulenta, & concoctu difficillima dicunt, haud recepta ſententia. Diſtinxere adhuc, quæ cito coctione emollirentur, & vocavere *τεραμνα*, quæ minus, *ατεραμνα*, ſeu *δυσεψανα*.

CICER *Offic. Botanicor.* Claſſis Natur. Papilion. *Germ.* Kichern. *Gallis* Pois chiche, *Anglis* Chiche. *Italis* Cicerchia.

CICER *foliolis ſerratis.* Rubrum officinale magis eſt, album culinare, promiſcue tamen uſurpatur. Semen eſt ſphæroideum rotundum fere, licet anguloſum, piſo majus. Veteribus inter cibos viliſſimum, non tam cito in aqua emolliendum, difficilioris eſt digeſtionis.

USUS

USUS MEDICUS. Ciceris vires adeo diureticas, ut renibus, & veficæ exulceratis nocere poffint, DIOSCORIDES. Nigra potiffimum vim habere abftergentem, eamque adeo potentem, ut contractos in renibus calculos evidenter frangant, & comminuant, GALENUS; hos dein defcribunt plurimi alii, fed & cautior TOURNEFORTIUS fe compertum habere, decoctum ciceris dolores atroces adferre, fi in renibus, vel vefica calculus fuerit, pronunciavit. Ex diuturno & frequenti hujus ufu nil obfervatum *Illuftr.* L. B. van - SWIETEN. Alii inter medicamenta calculum pellentia decoctum, cujus diutino & patienti ufu EUGENIUS veficæ calculos comminui, expelli LAUREMBERGIUS, affirmant, laudatiffimum habent.

ERVUM, & OROBUS *offic.* CICER. *Botan.* Clafs. Natur. Papilion. *Germ.* Orobus. Erwen. *Gallis* Ers. *Anglis* the bitter Vetch. *Italis* Ervo.

CICER *leguminibus pendulis articulatis.* Semina ex rotundis angulofa, fufca, fpadicea, amara, ingrata, uti raro veteribus, ita neque nobis in ufus alimentares adhibentur. Quod fuppeditent cibum ingratiffimum, eumque adhuc mali fucci, hinc a cibis hominum alienum ervum fuiffe, monet PLINIUS, vomitiones movere, capiti ftomachoque onerofum effe, genuaque gravare affirmans, quod jam antea HIPPOCRATES obfervaverat; alia ex ervino pane infortunia alii habent.

USUS MEDICUS internus rarus, GALENO laudatur, qui ex ervo cum melle medicamentum parari, quod in iis, quæ in thorace hærerent, expectorandis, nulli effet fecundum. Ervo Auguftum curatum

tum reliquit PLINIUS. Externus frequentior, dum farina resolventibus cataplasmatibus additur. Orobi verni, seu sylvatici purpurei verni C.B. infusum, contra lumbaginem valere RITTER. *Acad.* N.C. Vol. X.

FABA *Offic. Botan.* Vicia L. Classis Nat. Papilion. *Germ.* Bohnen. *Gallis* Féve. *Anglis* the Bean. *Italis* Fava.

VICIA *caule erecto, petiolis cirrho destitutis;* antiquissimis jam nota temporibus, & edulis, & salubris, etiam in panem coacta fuit: docent Lomentum, Fabacia, PLINII. Cruda saporem leguminosum habet. qui coctione mitescit. Forma nota est. Flores fabarum subtilissimum halitum habent, etiam caput tentantem, unde adagium. Ex his aqua florum fabarum in officinis. Stipites cum foliis combusti in cineres, dant salem stipitum fabarum, acrem, alcalinum.

USUS MEDICUS. Fabas pectori amicas ad tussim laudat DIOSCORIDES. Farina inter farinas resolventes recipitur, quæ & sicca, vel in cataplasma cocta adhibetur. Aqua florum fabarum cosmeticum in scopum domicellis in usu est; aqua ex tota planta, multis aliis ex siliquis, contra calculum arcana: an satis certa fide? narrant tamen BARTHOLINUS, GESNERUS. Sal, communes salis alcalini dotes, & utiles, sulphure haud enervatus, possidet. Salis vero enixi naturam in officinis potissimum habet.

LENS. *Offic. Botanicorum* Cicer. Clas. Natur. Papilion. *Germ.* Linse. *Gallis* Lentille. *Anglis* Lentils. *Italis* Lente.

CICER *foliolis integris, stipulis indivisis;* semen dat, quod ex duobus segmentis sphæricis compositum, durum, politum, obscure flavum, aut rubicundum, aut

aut nigricans. Minutulum legumen ſolis pauperibus in antiquitate relictum fuit, licet ſemper ſummis placuerit Philoſophis. Elephantiaſim, cancrum, a diuturniori ejus uſu inducta, relinquere GALENUS, DIOSCORIDES, epilepſiam alii.

USUS MEDICUS decocti primi lentium, ab Arabum traditione ad nos, in plurimis morbis vulgo multus, præcipuus in expellendis variolis. Sunt qui rideant, ſunt qui probent. Farina, ut farina fabarum, reſolvens. Infuſionem lentis paluſtris pro infallibili contra icterum ſecreto habet RAJUS.

LUPINUS *Offic. Botan.* Claſſis Natur. Papilion. *Germ.* Feigbohnen. *Gallis* Lupin. *Anglis* the Lupin. *Italis* Lupino.

LUPINI *calycibus alternis, appendiculis lateralibus nullis:* ſemina, officinalia, majuſcula, orbiculata, non nihil anguloſa, compreſſa, una parte cava, foris albida, intus ſublutea, & perquam amara, coctione miteſcentia aliquantulum, olim edulia fuere, hodie vero e re cibaria expulſa ſolis officinis relinquuntur.

USUS MEDICUS internus multis ſuſpectus ex AVERRHOIS opinione, & obſervatione *Sim.* PAULLI. Externus multus in tumoribus, contuſionibus, farinæ cum aceto, oxymelle ſimplici, compoſito, in cataplasma coctæ. In gangræna itidem extollunt Medici, & Chirurgi in lixivio coctam, additis ſcordio, croco, aceto.

PHASEOLUS *Offic. & Botan.* Claſs. Nat. Papilion. *Germ.* Welſche Bohnen. *Gallis* Haricot. *Anglis* French Bean. *Italis* Fagivólo.

PHASEOLI *caule volubili, leguminibus pendulis, compreſſis, toroſis*, ſemen, formam fabarum, ſiliquas

quas nec adeo crassas, nec lanugine obductas, in acumen desinentes, habet. Nutrimentum idem, ac fabæ, concedit, & quidem mollius.

USUS MEDICUS nullus. In lithiasi tamen LINNAEUS.

PISA. *Off. Botanic.* Classis Natur. Papilion. *Germ.* Erbsen. *Gallis* Pois. *Anglis* Peas. *Italis* Pisello.

PISA *Stipulis crenatis:* Subrotunda hæc semina in usum alimentarem adhibita, fabis præferuntur GALENO, quod minus flatulenta sint.

USUS MEDICUS nullus.

VICIA. *Offic. Botan.* Classis Natur. Papilion. *Germ.* Wicken. *Gallis* Vesse. *Anglis* Vetch or Tare. *Italis* Vezza. s. Veccia.

VICIAE *siliquis sessilibus, foliis retusis, latescentibus*, semina, difformiter globosa, nigra, ingrata, pecudum non hominum jam GALENI tempore pabulum, ni premeret annonæ caritas. Hodie in usus alimentares nunquam adhibentur.

USUS MEDICUS vix ullus. In Anglia nutrices incoquere puerorum potui, ad variolas, & morbillos expellendos ALLEYNE.

Plurimi his adhuc Fœnum græcum, Papaver, Linum, Cannabim, Sesamum, & alia adnumerant, sed quod in usus alimentares non amplius adhibentur, & ex hac classe omnia non sunt, suis dicentur capitibus.

Lathyrus tamen *esculentus* aut Botanicis *sativus*, melius *Cicercula* dictus Tergestinis, & Forojuliensibus in cibum cedit.

OLERA.

OLERA.

Ab alendo, quod oleribus alerentur homines, antequam fruges, & carnes essent. ISIDORUS, PLINIUS. Est in his incredibilis sæpe vis urinosi salis Betæ, Brassicæ, Atriplicis testimonio, in aliis tamen acidi ut in sequente.

ACETOSA. *Off. Botanicor.* Rumex L. Class. Pauci-stam. *Germ.* Sauerampf. *Gallis* Oseille. *Anglis* Sorrel. *Italis* Acetosa.

LAPATHUM *acetosum, sexu distinctum, foliorum sagittatorum hamis brevibus.* HALL. Acetosa latinis, Græcis oxalis, in utraque lingua ab aciditate dicta, plures habet species, quarum tamen tantum duæ in usum culinarem & medicatum veniunt, scilicet: longifolia & rotundifolia. Juscula cum acetosa fiunt, gratissima, & farcta ad manducandas carnes, pisces, ova, quæ inde gratiam acquirunt, nostris in mensis usitatissima sunt. Tota planta officinalis est; folia, radix maxime, & semen. Recentis folia grate acida, adultæ stupefacientia, senis effœta radix.

USUS MEDICUS in omnibus morbis, ubi humores soluti in putredinem vergunt, in febribus acutis, biliosis, putridis, in scorbuto putrido, diarrhœa, dysenteria, biliosis, eximius: imo in scorbuto cum dissolutione humorum putrida, rancida, sero lactis cum aliis incoctæ plantæ fere specificus. Miscendo acetosam & cochleariam etiam simul crescentes, in jusculis avenaceis, sese curare a scorbuto Grœnlandos, autor est BARTHOLINUS. Scorbuticos, dum inter alimen-

ta immiſcerentur folia acetoſæ, quam plurimos curatos, in *Noſocom. Pariſ.* GEOFFROY. Folia ſub cineribus in proprio humore cocta, macerata, ad maturandos abſceſſus laudantur. Radix acetoſæ, ut etiam ſemen, non adeo acida, quam roborantia, in alias indicationes adhibentur. Exſiccatæ radicis infuſum rubellum eſt, inſtar clareti, quod multis in ſcopum diæteticum magni habetur.

PRÆPARATA. *Conſerva, Aqua, Syrupus.* Aqua proſcribi poſſet.

APIUM paluſtre *Off. Botan.* Claſſis Natur. Umbelliferarum. *Germ.* Eppich. *Gallis* Ache. *Anglis* Smallage. *Italis* Appio.

APIUM *foliis caulinis cuneiformibus*, in menſis non adhibetur, utpote jam veterum teſtimoniis ſuſpectum, ſed cultura manſuetum apium fit; id dulce, ſeu *Celeri* Italorum vocant, unde plurima veterum loca etiam pugnantia pateant. Dicit GALENUS apium inter cætera familiariſſimum eſſe, ori, ſtomachoque gratiſſimum: apio gratiam vulgo eſſe, & in condimentis gratiam habere PLINIUS; ſed & idem apium defunctorum epulis feralibus dicatum ſteriles reddere mares, fœminasque, & comitialem morbum inducere, ex aliis ſcripſit; unde plantæ laus, & infamia. An recentis radicis, ob vaporoſum principium, cerebro, & nervis inimicum, uſus internus ſuſpectus? Officinæ habent radicem inter V aperientes; ſemina, quæ parva, gibba, gryſea, inter IV. calida minora.

USUS MEDICUS totius plantæ diureticus, incidens, etiam infarctis pulmonibus cum melle proficuus: Radicis idem. Succus plurimis experimentis in

deter-

detergendis ulceribus mirabilis, vulneribus utilis, unguentis ad cancrum adhibitis, chirurgis multis additus. Semina radicibus magis aromatica eundem fere usum habent. Planta apoplecticis, epilepticis, vertiginosis noxia habetur LINNÆO.

BETA. *Offic. Botanic.* Classis Natur. Incompletarum. *Germ.* Bete, Biffe. *Gallis* Poirée. *Anglis* Beets. *Italis* Beta v. Bieta.

Olus hoc in hortis cultum satis molle, ut alia mensis adhiberi posset, ut a veteribus etiam adhibitum fuit. Meminit GALENUS cujusdam edulii ex lente, & beta concinnati, quod non sanis modo, sed etiam ægrotantibus exhibebat HERACLIDES TARENTINUS. Hodie albæ folia, & costæ in mensas recipiuntur; rubræ cauliculi elixi condiuntur, nec ultimum locum inter bellaria habent. Cæterum plures betæ species sunt, est enim *alba*, *rubra vulgaris*, & *beta rapa* dicta.

USUS MEDICUS foliis succi betæ, semper aqua temperandi, errhinnus.

BRASSICA. *Off. Botan.* Classis Naturalis Crucifor. *Germ.* Kohl. *Gallis* Chou. *Anglis* Cabbage and coleworts. *Italis* Cauli, & caolo.

BRASSICA *capitata rubra* C. B. semina officinis largitur. Inter hortensia olera principatum omnium consensu obtinens Brassica, plures, culinis usitatas & salubres species exhibet; capitatam, non capitatam, viridem, fuscam, crispam cæruleam, albam; est etiam, quæ ex florido caule cauliflora dicatur, sicut ex tumente caule, caulo-rapa.

Veteribus ſacra, & adorari ſolita, a maximis laudata Philoſophis eſt; CATONI pro univerſali medicina habita, etiam VARRONI contra peſtem auxilio fuit. Nihilominus id tenendum, omnium braſſicarum decoctum ſummopere fœtere, ſtatim putreſcere; educit etiam experimentum magnam copiam ſalis alcalini volatilis, & ex capite mortuo ſalem alcalinum fixum, ut inde, quibus conveniat, quibus exhiberi non debeat, haud obſcurum ſit. Officinæ aſſervant ſolam braſſicam rubram, & ſemina.

Ex Braſſica *radice napi* panem confici poſſe ſapidum, nullam corpori moleſtiam inducentem, dum hæ radices cortice abjecto exſiccantur, exſiccatæ in farinam moluntur & addito fermento in panem farina cogitur & excoquitur, in Vol. IV. *Collect. Francon.* 1759. docet GLASSER.

USUS MEDICUS in cauſa acida utilis. An inde intelligitur, cur laudetur in ſcorbuto? in podagra? ebrietate? cur conferat raucis, aſthmaticis, hydropicis? cur ſit vulneraria, etiam antiphthiſica? Empiricum decocto braſſicæ curaſſe ulcus ſinuoſum, quod ab aliis curari non poſſet, MAUR. HOFFMANNUS. Nonne decocto admodum ſaponaceo, alcaleſcente, ſordidum depurabatur ulcus, & in conditionem vulneris redigebatur? Præterea braſſicam in ulceribus, & lepra, vino incoctam admodum utiliter adhiberi, reliquit CAMERARIUS. Externe folia bubonibus & anthracibus cum oleo raparum feliciter imponi DIEMERBROECKIUS. Scopo maturante, emolliente, cocta in cataplasmatis conſiſtentiam, adhiberi poſſunt iisdem, vel aliis tumoribus. Foliis braſſicæ infantum tinea laborantium capita teguntur; calefacta etiam folia locis cantharidibus vexatis applicantur. Hydropicam

picam potu muriæ brassicæ conditæ curatam etiam legimus.

CHÆROPHYLLUM. *Off. Botan.* Classis Naturalis Umbellifer. *Germ.* Kerbelkraut. *Gallis* Cerfeuil. *Anglis* Chervil. *Italis* Cerefoglio.

CHÆROPHYLLUM *seminibus nitidis, ovato-subulatis.* Olus suaveolens, & sapidum, ori gratum, ventriculo conveniens, estur in acetariis crudum, in brodiis incoctum; exsiccatum vix multas vires retinet, sed in prunas ardentes injectum, ut nitrum fulgurat.

USUS MEDICUS ab omni antiquitate jam multus; nam licet nec hodie certum, an chærophyllum nostrum DIOSCORIDIS sit Gingidium, aut Scandix, quanquam illico LINNÆUS scandicem nominaverit, tamen sub ipso jam chærophylli nomine multæ laudes inveniuntur. Chærophyllon canceratis mederi, ex aqua mulsa pituitam resolvere, urinam, & menstrua pellere, tritum cum axungia vetere parotidas discutere, adhæc succum potum sanguinem ob casum, percussionem, vel contusionem, extravasatum, certo experimento discutere, dixere. Sunt, qui ad tumores duros discutiendos, ad inveterata cutis mala, impetiginem, lentiginem, scabiem, laudent succum sero lactis dilutum, matutino tempore in lecto haustum.

Vis solvens in morbis hypochondriacis, & melancholicis utilis, constanti experimento deprehensa est. Succum cum nitro, & syrupo V. rad. aperientium in qualibet hydropisi maxime proficuum, quarta quaque hora assidue sumptum, expertus GEOFFROY; quin addit, hoc si medicamento non curetur hydrops, vix alio

 sana-

ſanari. Decoctum ad dolores puerperarum poſthumos ex grumoſo ſanguine exortos ETMULLERUS, & expertus laudo, & omnes puerperas juſculis ſolis ex chærophyllo tractatas nulla alia medicina indigere affirmo. Laudatur adhuc ad hæmorrhoides, obſtructiones, renum vitia, vertiginem. Sed an non tentandum, an diuturno uſu medeatur cancroſis? nullum eſt in experimento periculum.

CICHORIUM. *Off. Botanic.* Claſſis Naturalis Compoſit. Semifloſculoſarum. *Germ.* Cichorienwegwart. *Gallis* Cichorée. *Anglis* Succory. *Italis* Cicoria.

CICHORIUM *foliis pinnatis, pinnis triangularibus, dentatis.* Duplex eſt, ſativum, & ſylveſtre. Prius magis culinis inſerviens, ſapidum σερις, poſterius acre, ſaponaceum, amarum πικρις veteribus, magis officinis adhibetur.

USUS MEDICUS totius plantæ in hepatis, lienis, ac viſcerum abdominalium obſtructionibus eximius, ſapientum ventribus amicus. Curavit icteros ſatis pertinaces, & difficiles ſolo harum plantarum decocto meraciſſimo, larga exhibito copia, *Illuſtriſs.* L. B. van - SWIETEN. Diarrhœa bono eſt ſigno. Succo cichorei condenſato vetulam ictericam, aliis nihil proficientibus, curatam vidit a MOENICHEN; juſculis cichoraceis, in prima menſa hauſtis, melancholia hypochondriaca profligata eſt, RHODIUS ſolo foliorum uſu, in acetariis comeſtorum, diuturnas & pertinaces febres intermittentes domitas, GEOFFROY. Radicem in febre hectica laudat CRATO. Noviſſime ſpecificum in hypochondriacis, cachecticis, hecticis & febre lenta laborantibus habet, qui omnes fru-

fructus in his damnat, ROEDDER; an casto utrimque judicio? Cichorium podagræ opponit SPIGELIUS.

PRÆPARATA. *Aqua* stillatitia cichorei non magni usus. *Extractum* tota vi plantæ gaudens. *Syrupus* de cichoreo bonus. *Syrupus* de cichoreo *cum Rheo* compositus, non adeo concinnus, pacate tamen alvum infantibus subducens, ad II. III. IV. cochlearia exhibitus. *Radix condita* non satis necessaria.

ENDIVIA, seu SCARIOLA. *Offic. Botanic.* Cichorium. Classis Natur. Compositar. Semiflosculosar. *Germ.* Endiwien. *Gallis* Endive ou Scariole. *Anglis* Endive.

CICHORIUM *foliis integris*, *crenatis*, præcedentis species a nonnullis habetur, ab aliis, ut RAJO, distinguitur, & hujus adhuc tres differentiæ, latifoliæ, angustifoliæ, crispæ, recensentur. Culinis, & officinis adhibentur. Officinalia semina, similia seminibus cichorii, IV. seminibus frigidis minoribus adnumerantur.

USUS MEDICUS recentis plantæ ac cichorii idem.

PRÆPARATA. *Aqua* endiviæ inutilis, endiviæ *Syrupus* bonus.

LACTUCA. *Off. Botanic.* Classis Natur. Composit. Semiflosculosarum. *Germ.* Salat, Lattich. *Gallis* Laitue. *Anglis* Lettice. *Italis* Lattuca.

LACTUCA *sativa* est lactuca officinarum. Lactucarum plurimæ hodie species in mensis coluntur; est

enim lactuca non capitata, capitata, Romana, maxima, Austriaca, variegata T. &c. In aceteriis crudum, in jusculis elixum, medicis usibus salutare deprehensum hodie olus, antiquitati modo celebratum, modo vituperatum fuit. Mortuorum cibo relictum, & inferis solis usitatum, AUGUSTUM tandem percuravit. Eunuchion primo Pythagoreis dictum, tum PLINIO, RAJO; an recte confirmatum? Habemus in officinis semina parva utrinque acuminata, oblonga, compressa, coloris cinerei. Habemus etiam aquam stillat. Lactuca agrestis non est adhuc officinalis.

USUS MEDICUS ob vim solventissimam, & leniter pacantem, eximius. GALENUM multum ab hac planta beneficii in juventute, & senectute percepisse habemus; dum enim assidue os ventriculi bile effervescente doleret, se lactuca levatum; tum in senecta studiis exhaustum, & continuis laboribus maceratum, dormire non potentem, a lactucis iterum se refocillatum reliquit. Phreniticum liberaliore usu se curasse DURETUS affirmat. In siccioribus alvi constipationibus, hypochondriacis, & melancholicis, magna copia ingestæ, ut blande alvus solvatur, magni sunt usus. Hypochondriacum malum usu lactucarum solutum in *Ephem.* N. C. habetur; & his in casibus succus expressus, vel ipsa planta ad libras in sero lactis cocta, expressa, cum motu corporis, frictionibus abdominis, hodie frequenter sumitur. Semen inter quatuor semina frigidiora numeratur. Aqua inutilis est.

MALVA. *Offic. Botanicor.* Classis Natur. Columniferarum. *Germ.* Pappeln. *Gallis* Mauve. *Anglis* Mallow. *Italis* Malva.

MALVA *caule erecto, foliis fere palmatis, obsolete serratis.* In re alimentaria non exiguum olim usum

hoc

hoc olus, quod jam eviluit, habuit, ut id omnia testantur veterum monumenta, tum etiam celebratissimum aput ATHENÆUM medicamentum; sitim famemque sedans ex malva, & asphodelo compositum. Adjecta malvæ, doloris mitigativæ, omnimorbiæ, omnibonæ, epitheta usum medicum satis confirmant.

Plurimæ hujus species sunt, quæ fere promiscue in officinis usurpantur. Habemus radicem, folia, flores, semina. Flores tamen ex eadem planta vulgari non sunt, sed ex Malva arborea, seu rosea folio subrotundo C. B. exactius Alcea foliis sinuato angulatis L. Inter IV. herbas emollientes planta recensetur.

USUS MEDICUS ratione virtutis emollientis, inviscantis, & lubricantis, certus. Unde duram alvum, vel tardam movet, acrem excoriatam sopit, urinæ ardorem & acrimoniam mitigat, etiam inflammationes & spasmodicas constrictiones tollit, doloris mitigativa, per os assumpta, per anum injecta, externe etiam applicata. In constipatione, dysenteria, affectionibus urinariis, stranguria, dysuria, tum & in calculosis, ubi motus calculus est, utilis; tum in pectoris morbis, tussi sicca, acri, convulsiva, in pulmonis, renum exulcerationibus, phthisi, in intestinorum aut aliarum partium inflammationibus, prodest. Ipse FORESTUS a gravissima dysuria decocto malvæ convaluit. Dosis Manip. unus. Mulier pro iliaca desperata habita, aliis nihil juvantibus, jusculo malvæ quotidie assumto restituta est, apud *eundem*. Foliorum malvæ fervidum infusum, momento spiritus vini temperatum egregium ad erysipelas remedium est. Potest etiam instar potus Thee sumi. Dosis ad libr. aq. manip. semis.

PRÆPARATA. *Conserva* ex floribus malvæ simplicis in iisdem, maxime in tussi, phthisi, renum calculosis vitiis, laudata. Conserva malvæ arboreæ vim adstrictoriam habet.

PETROSELINUM vide de Diureticis.

PORTULACA. *Offic. Botan.* omnium. Classis Pauci-stam. *Germ.* Bortzelkraut. *Gallis* Pourpier. *Anglis* Purslain. *Italis* Porcellana.

PORTULACA *foliis cuneiformibus, sessilibus;* in mensis plurimis in regionibus cognita, nobis in officinis fere tantum habetur; veteribus nota, forte tamen cum alia confusa DIOSCORIDI, & PLINIO. Frigidi, & aquosi temperamenti esse, & paucæ participem austeritatis, GALENUS rectius pronunciavit. Succulenta, & mucilaginosa tota, succum facile largitur, spissum, acidum spirantem, salinum. Ex decocto sal nitro similis eductus fuit sæpius. Semen parvum, ex rubro nigrum, inodorum, durum, sub dentibus crepitans, saporem habet leniter siccantem.

USUS MEDICUS in febribus æstivis, biliosis, inflammatoriis, cum sero lactis decoctæ portulacæ, optimus; ad erosiones partium cum febre, ubi acrimonia demulcenda, humorum temperandus motus, conveniens; etiam in dysenteriis biliosis laudatus; mucoso enim suo lentore acria inviscat, acido suo putredini resistit. Succum in calculosa dispositione utilem, syrupum stranguriæ proficuum, multi habent. Seminis non adeo certa fama fuit, nuper tamen tum semen tum planta contra tineam specifica inventa sunt.

SPI-

SPINACHIA, SPINACIA. *Offic. Botan.* Claſſis Natur. Incomplet. *Germ.* Spinat. *Gallis* Epinars. *Anglis* Spinage. *Italis* Spinazo.

SPINACIA *ſemine ſpinoſo.* Molle ſed inſipidum olus, aromatibus temperatum, plurimis in regionibus multum in uſu eſt, facilis digeſtionis, pauci nutrimenti, alvum emollit.

USUS MEDICUS nullus.

His adhuc alia olera addi poſſunt, ut blitum, borrago, bugloſſa, ſummitates lupuli, pimpinella ſanguiſorba, mercurialis &c. quæ, quoniam non adeo hodie in uſu ſunt, in ſua ſingula capita digeſta ſunt.



RADICES.

DAUCUS. *Offic. Botanic.* Caucalis Claſſis Natur. Umbelliferarum. *Germ.* Mohr-Ruben. *Gallis* Carotte. *Anglis* Carrot.

CAUCALIS *involucris pinnatifidis* duæ ſpecies ſunt, ſylveſtris, & hortenſis, prior medicinæ, poſterior alimentis magis inſervit. Officinalia ſemina ex viridi fuſca, villis eminentibus, & quaſi pilis circumdata, pediculorum forma, aromatica, ſtimulantia, ſubamara, fere acria, in ſcopum carminativum, diureticum, laudata, recenſentur inter ſemina IV. calida minora. Radix alimentis adhibita anti-acida, pinguefacit, ARBUTNOT *Practical Rules of Diet.*

USUS MEDICUS. Radicis recentis ſuccus melle remixtus ad aphthas extollitur; ſuccus excoctus in tuſſi infantum & phthiſi valet, SCHOBERUS. Seminibus vis lithontriptica a plurimis adſcribitur, per caſus etiam HELMONTIO, & *Ephemeridibus* N. C. confirmata. Exhibentur in pulvere ad dr. ſemis, I. bis, vel ter de die ſumendam, infunduntur ad unc. I. II. Radicis promiſcua & non limitanda doſis eſt, cum inter umbelliferas maxime imbecillis ſit.

NAPUS, NAPUM. *Offic. Botanicor.* Braſſica. Claſſis Natur. Crucifor. *Germ.* Steck-Ruben. *Gallis* Navet. *Anglis* Navew. *Italis* Napo.

BRASSICA *radice caulescente, fuſiformi.* Præcedenti dulcior, & gratior cibus, antiquitati etiam multum memoratus fuit.

USUS

USUS MEDICUS potiſſimum ſeminis eſt, quod in officinis aſſervatur. Eſtne vis in ſemine napi antidota? Napos minores, nigricantes, raſpatos, cataplasmatis forma applicatos, arthritidem fugaſſe, CHEVALIER *Recueil periodique d'obſervations de Medicine, de Chirurgie, & de Pharmacie* T. I.

PASTINACA. *Offic. Botan.* Selinum Claſſis Natur. Umbelliferarum. *Germ.* Paſtinack. *Gallis* Panais. *Anglis* Parsnep.

SELINUM *foliis pinnatis, lanceolatis, baſi ſemitrilobis*, in ſylveſtrem, & ſativam a DIOSCORIDE diſtinguitur. Sylveſtris in medicina ſativa longe efficacior habetur. Radicis cortex ex fuſco flaveſcens, carne alba, odoris aromatici, ſaporis ſimilis, non ingrati. Semina etiam officinalia, magna, plana, margine foliaceo cincta, odorata.

USUS MEDICUS aliquando in juſculis medicatis ſcopo reſolvendi, abſtergendi, & diuretico, quas vires habere videtur; utiliter exhibetur infuſa, vel vaſis clauſis leniter cocta radix. Semina in eosdem uſus, ac ſemina dauci laudantur, cum ſucco glycyrrhizæ in pilulas redacta ad calculum, & veſicæ ulcera valent. Suntne annoſæ radices venenatæ? virulenta ab his ſymptomata in *Actis Phyſico-Med. N. C.* vol. VI. DAN. HOFFMANN. Sed erantne vere radices paſtinacæ?

RAPA. *Offic. Botan.* Braſſica L. Claſſis Natur. Crucifor. *Germ.* Ruben. *Gallis* Rave. *Anglis* Tournep. *Italis* Rapo.

BRASSICA *radice orbiculari, carnoſa;* ab omni tempore magnum in re alimentaria, & medicina uſum

habuit,

habuit, vario ſub nomine deſignata. Rapum, & napum, ut ut DIOSCORIDES diſtinxit, conjunxit iterum GALENUS. Non parva raporum gloria eſt, quod unum in templo Apollinis Delphis dicatum é plumbo, beta una ex argento, & raphanus ex auro, ordine quaſi dignitatis in cibis. Ut olim, ita & hodie multum menſis adhibentur rapæ; ſed flatulentæ ſunt experimento BOYLEI; hinc alunt quidem, ſed inflationem pariunt, DIOSCORIDES. Cymæ pro menſis abjiciuntur, licet olim adhiberentur; nobis ſolæ advocantur radices.

USUS MEDICUS. Decoctum raparum non decorticatarum, etiam ſuccus expreſſus addito melle deſpumatus, incomparabile dat remedium contra omnia oris ulcera, maxime vero aphthas; tum & contra pulmonis infarctus deterſiva & antiſcorbutica vi agens multum præſtat. Difficilem reſpirationem decocto raparum ſæpius curavit LANZONI *Acta Phyſ. Med.* N. C. Vol. I. Tuſſes pertinaciſſimas CRATO; exſiccatarum raparum brodio infantum tabem IDEM afferente HOFFMANNO. Externe in lacte coctas, & in emplaſticam formam redactas, locis podagricis calide applicatas, doloris ſedativas habent CRATO, FORESTUS, & alii. Decoctum in teneſmo, & diarrhœa infantum contumaci cum butyro, oleo amygdalarum dulcium, in clysmate injectum, præſentiſſimam opem ſæpe tuliſſe Fr. HOFFMANNUS *de praeſtantia remediorum domeſticor.* Aphrodiſiacæ rapæ non ſunt, licet ex DIOSCORIDE, GALENO, exſcribant multi. Oleum etiam, in quo tantillum ſacchari ſolutum eſt, cum ſyrupo convenienti ad aphthas valet.

RAPHA-

RAPHANUS. *Off. Botan.* Classis Naturalis Crucifor. *Germ.* Rettich. *Gallis* Raifort. *Anglis* Radisch. *Italis* Rafano.

RAPHANUS *siliquis teretibus torosis biarticularibus.* Maximus antiquitati raphano honos fuit, MOSCHIONE, PLINIO authoribus; nam & phthisim cordis, morbum olim Ægypto familiarem, ignotum nobis, curavit, & in templo sacratus fuit.

Fabula narratur, sacros ab Apolline Delphos
Omnibus hunc aliis præposuisse cibis.
Ex auro, ut raphanum sacrarent, pondere betam
Argenti, plumbum rapa fuisse ferunt.

Sed & brassicam ARISTOTELES vocavit raphanum. Comeditur cruda aliquando radix & cocta; acrimonia in cortice maxima est, similis ac in aliis antiscorbuticis plantis; & licet hæc coctione multum perdatur, illud tamen sacchareum, & dulce, quod rapis inest, & peculiari arte saccharum, sal nativus raparum esse demonstratur, constanter deest raphano.

USUS MEDICUS, antiscorbuticus, incidens, aperiens, diureticus. In causa tenaci, frigida, mucosa, cerevisiis, vinis medicatis, injicitur in taleolas dissecta radix tota, vel solius radicis cortex; sed etiam pressus succus in scorbuto lento, acido, tussi, asthmate, raucedine, ischuria datur; ita raucedo pertinax raphani syrupo curata: asthma siccum, convulsivum, raphani esu sublatum, in *Ephem.* N. C. & de aliis morbis alia apud varios exempla sunt. Extemporaneo experimento ex radice in tenues lamellas secta, interspersо inter singulas lamellas saccharo, syrupi species habetur, ad eadem mala utilis; utilis itidem cum sale muria. Lamellæ ipsæ recenter sale aspersæ, applicatæ corpori, rubefa-

befacientes ſunt, iſchiadicis proficuæ, TABERNÆMONTANUS. Folia contuſa, cataplaſmatis forma applicata, dolores, & tumores frigidos artuum tollunt.

RAPHANUS RUSTICANUS *Off.* Cochlearia *Botan.* Claſſis Naturalis Crucifor. *Germ.* Meerrettich, Krain. *Gallis* Raifort ſauvage. *Anglis* Horſe Radiſch.

COCHLEARIA *foliis rad. lanceolatis crenatis caulinis inciſis;* pro ciborum condimento, contuſa, raſa, momento vini aceti adjecto. edendis carnibus, piſcibus, hinc inde adjungitur; præcedenti longe mordacior, radix officinis armoracea audit.

USUS MEDICUS præcedenti in iisdem morbis efficacior. Cereviſias, vina medicata antiſcorbutica, fere ſemper ingreditur: in hydrope multum laudatur; & ipſa arthritis hoc quoque curata eſt, in *Ephemer.* N. C.

RAPUNCULUS. *Off. Botan.* Claſſis Naturalis Fructiflorarum. *Germ.* Rapunzel. *Gallis* Réponſe. *Anglis* Rampions. *Italis* Raponzolo.

RAPUNCULUS *foliis imis cordatis, ſuperioribus anguſtis, ſpico cylindrica, longiſſima;* in acetariis recentes radices adhibentur, cæterum non adeo magni uſus. Aliæ ſpecies plurimæ etiam edules ſunt.

USUS MEDICUS, quod nec in officinis recipiatur, vix ullus.

SCORZONERA. *Off. Botanic.* Claſſis Naturalis Compoſ. Semifloſculoſarum. *Germ.* Schlangenkraut, Haberwurtz. *Gallis* Scorzonaire, Cercifi. *Anglis* Scorzonera Viper's graſs.

SCORZONERÆ *caule ramoſo, foliis amplexicaulibus, integris, ſerratis;* in alimentis multum adhibi-

ta

ta radix, magni ſemper in medicina facta eſt. Oblonga eſt, carnoſa, variæ craſſitiei, foris nigra, intus albiſſima, fracta lac fundens, cremoris lactis conſiſtentia, ſaporis ſubdulcis, cum leni adſtrictione & aromate. Nutrimentum demulcens optimum concedit incocta juſculis, condita in acetariis; non exacte ſub ſabulo aſſervata adulta, effœta eſſe ſolet.

USUS MEDICUS demulcens in morbis ex acrimonia humorum oriundis, etiam podagricis, ARBUTNOT l. c. Decocta ex hac radice frequentiſſima unc. ſemis cum aliis, unc. unius, vel & unc. duarum doſi, dum ſola datur. Laudatur iterum ſcopo ſolvente morbis hypochondriacis utilis, ſed tunc ad lib. præſcribi debet cocta, & expreſſa. Succus expreſſus decoctioni præferendus eſt ita, *Cl.* ARBUTNOT. *Practical Rules of Diet.*

PRÆPARATA. *Aqua* ſtillatitia, *Radix condita*, ad quid?

SISER. SISARUM *Off.* Sium VANROY. Claſſ. Natur. Umbellif. *Germ.* Zucker-Rüblein. *Gallis* Chervi. *Anglis* Skirrets. *Italis* Siſaro.

SII *foliis pinnatis, floralibus ternatis;* radices, exiguæ, longæ, napiformes, TIBERIO multum adamatæ, menſis adhuc hodie plurimis in locis magis, quam quidem officinis, celebrantur; aſſumuntur coctæ, in pultem redactæ, aſſatæ, etiam in acetariis conditæ. Saccharum inde tentatum MARGGRAFIO *Acad. de Berlin.*

USUS MEDICUS vix multus, aperiens, vulnerarius tamen.

TRAGOPOGON *Offic. Botan.* Claſſis. Nat. Compoſitar. Semifloſculos. *Germ.* Braunbocksbart. Salſifis. *Gallis* Serfiſi. *Anglis* Goats-Beard.

TRAGOPOGON *foliis integris, ſtrictis, calycibus florem ſuperantibus.* Scorzoneræ toto habitu ſi-

milis radix, in usum alimentarem, & medicum, eodem modo ut illa adhiberi potest, & adhibetur.

USUS MEDICUS idem.

His jam etiam radices bulbosæ addi possent, ut porrum, cepa, allium, tubera &c. Sed, & hæc in alia capita digesta sunt. Dici tamen adhuc de cicutaria debet.

CICUTARIA PANNONICA. CLUS. CHÆROPHYLLUM *Botan.* Classis Natur. Umbellif. *Viennensibus* Peperlein.

CHÆROPHYLLUM *caule laevi, geniculis tumidis, radice turbinata, carnosa:* jam olim industrius CLUSIUS in hortis, & herbidis Viennensis agri locis prodire, & novo vere succulentas radices cum novellis foliis in foro venales reperiri, coqui etiam cum oleo, aceto & sale, tum primis mensis inferri, prodidit; quam vero salubri cibo! ipse se nescire fatetur. Quin frequentem ejus usum non sine noxa esse, & capitis gravedinem, doloremque sibi attulisse affirmat; suspectæ radices, hodie, tempore quadragesimæ cum oleo coctæ adduntur jusculis; coctæ vel crudæ acetariis.

USUS MEDICUS, quantum scio nullus, ni quod etiam certus noverim, hoc anno 1763. plurimam plantæ tenerioris vim officinis nonnullis divenditam, in extractum coactam fuisse, & pro Cicutæ extracto tam exteris quam nostratibus dispensatam. An jam mirabile, dissonas adeo de extracti Cicutæ effectibus observationes esse? quod si etiam verum sit, ex pura hac planta extracta confecta non esse alias murinum fœtorem non adeo habitura, inconcussum semper est, adulteratum illud Cicutæ fuisse, nec eam, quam adhibere intentio fuerat, medicinam morbo applicatam fuisse, sicque sæpe medicamenti alicujus laudes Pharmacopæorum ignorantia sugillari.

FRUCTUS.

FRUCTUS.

AMYGDALÆ *Offic. Botan.* Claſſis Natur. Calyciflorarum. *Germ.* Mandeln. *Gallis* Amandes. *Anglis* Almond. *Italis* Mandole.

AMYGDALUS *foliis ſerratis, infimis glanduloſis;* ſuas officinis divitias largitur. Duplex amygdalus; dulcis, & amara, jam DIOSCORIDI nota fuit, dulcem enim eſui, amaram medicinæ magis aptam eſſe monuit, ut etiam hodie ex dulcibus non ſolum pulticulæ, placentæ, panes, quos marcios vel marcipanes vocant, conficiantur, ſed etiam ad temperandam aliarum rerum acrimoniam, infinita in menſis varietate intermiſceantur, ſaccharo incruſtentur. Plurimum alimenti habent. Id quod in amaris amarum, alembicum tranſcendit volatile, homini innocuum, gallinis, & omnibus fere avibus noxium, vulpibus etiam venenum eſſe DIOSCORIDES reliquit. Oleum ex amaris preſſum non amarum, ſed dulce eſt. Dulcium oleum preſſum longe citius aliis oleis preſſis ranceſcit. Rancidum venenum eſt. Furfures ad detergendas manus commode adhibentur.

USUS MEDICUS in ſcopum nutrientem obtundentem acrimoniam, relaxantem. Emulſio ex amygdalis dulcibus recentibus, decorticatis, varia ſpiſſitudine, ab unc. ſemis ad unc. unam præſcriptis, facta laudatur, acuitur aliquot amygdalis amaris ob ſaporis gratiam. Oleum recenter preſſum, inodorum, & inſipidum fere, emollientiſſimum eſt, & in illis morbis, ubi acrimonia humorum demulcenda eſt, criſpatæ, & induratæ partes ſolidæ relaxandæ, acrimonia obtundenda, ut urinæ ar-

dore, ejus ſuppreſſione, dolore nephritico, colico, ſuppreſſa puerperis alvo, pectoris aſperitatibus, per ſe, vel aliis junctum, varia in variis caſibus doſi, ab unc. I. II. ab lib. ſemis lib. I. feliciter exhibetur, per os potum, per anum injectum; puerperis per ſe ad unc. I. ſæpius datur, vel etiam juſculis calidis commiſcetur; clysmate etiam injicitur.

ARMENIACA MALA *Off. Botanic.* PRUNUS Claſſis Nat. Calycifſlorarum. *Germ.* Aprikoſen. *Gallis* Abricots. *Anglis* Apricocks.

PRUNUS *floribus ſeſſilibus*, *foliis ſubcordatis*. Fructus fere globoſus, etiam ſulcatus, intus forisque aureus, carnem magis farinoſam, minus ſucculentam perſicis, oſſiculum compreſſum, læve, nucleum non injucundum ſubamarum habet. Crudus, coctus, eſtur fructus, etiam conditus, exſiccatus.

USUS MEDICUS vix multus; eſt tamen analepticus.

AVELLANÆ NUCES. *Botanic.* CORYLÆ. Claſſis Natur. Incompletar. *Germ.* Haſelnus. *Gallis* Noiſette. *Anglis* Haſelnut. *Italis* Nucelle.

CORYLÆ *ſtipulis ovatis*, *obtuſis;* in uſum alimentarem magis, in medicum minus impenduntur, minus oleoſæ, magis compactæ, duræ ſunt.

USUS MEDICUS nullus.

AURANTIA MALA *Offic.* CITRUS *Botan.* Claſſis Natur. Calycifſlorarum. *Germ.* Pomerantzen. *Gallis* Orange. *Anglis* Oranges.

CITRUS *petiolis alatis*. In octona loculamenta diviſibilis fructus globoſus duplex eſt. Dulcis corticem

carno-

carnofum, unam, duas lineas craffum, coloris extus crocei aurei, intus albidi, cum medulla fubflava dulci vinofa habet. Amarus fubtrifti colore flavet, glandulofus magis, odoratior medulla acriori. Prior noftris ufibus acetariis, medicis pofterior potiffimum dicatur, licet promifcue uterque ufurpetur.

Ex Citro aurantio in officinis varia habentur; 1mo. *Flores* admodum odorati. 2do. *Folia* aromatica amara etiam oleo gravida nuper noftris officinis inducta. 3tio. *Cortices* oleo plurimo effentiali fœti. 4to. *Caro* fucco folvente detergente plena.

USUS MEDICUS hujus pomi in plurima utilis; corticis merito feu ficcati, feu conditi, in aliam cardiacorum claffem relata vis, ftimulans, incidens, ftomachica, & carminativa in caufa frigida. Siccatus in pulvere fumi poteft *cortex*, a fcrup. femis, uno, ad drach. femis; conditus per taleolas, vel electuarii forma ad unc. unam non limitanda dofi, in morbis ventriculi a laxitate, muco, flatibus; recens cum faccharo contundi, & fic in electuario fumi, aut fuperfufo fpir. vini forma infufi fpirituofi, in easdem indicationes dari poteft.

Caro aurantiorum dulcium comeditur fola, vel faccharo condita, grato æftivis caloribus refrigerio. *Succus* folvens hypochondriacis, & febrientibus utilis, his non præfcripta dofi, datur illis in fero lactis, decocto hordei ad unc. II. IV. Acidorum fuccus ad unc. I. II. III. expreffus aquæ lib. I. immixtus, faccharo contemperatus, potum dat gratiffimum ad fitim extinguendam, fanguinis æftum temperandum, maxime in biliofis, & febre putrida laborantibus; hinc etiam ablato

 corti-

cortice ptiſanis ſecta incoquuntur poma aurantia. Eſt præterea in ſcorbuto putrido multis probata, nec ingrata medicina. Adhæc pulvis *foliorum* aurantiorum drachmæ ſemis bis de die doſi nuper in convulſionibus, epilepſia tentatus a *Cl.* STOERCK non ſpernendos in multis effectus edidit, etiam *Illuſtr.* L. B. van - SWIETEN confirmavit.

PRÆPARATA etiam varia ſunt. *Flores conditi* ad tertiam cardiacorum claſſem vere ſpectant, ut etiam quæ ex his deſtillatur *Aqua Naphae* officinis dicta. De corticibus jam dictum eſt. Eſt *oleum* expreſſum, & deſtillatum, prius poſteriori gratius, valentius; utrumque ad gutt. II. III. V. elæoſacchari forma exhibetur: eſt medicamentum ſtimulantiſſimum. Cæterum, & fricando ſaccharum ad cortices recentes aurantiorum, elæoſaccharum egregiæ virtutis, in iisdem caſibus utile conficitur. *Syrupus* corticum aurantiorum laudandus. *Eſſentia* proficua ad gutt. XX. XXX. ſola vel aliis juncta. Notari meretur, eſſentiam aurantiorum ex vini ſpiritu, ſummo ſub frigore efficaciorem, quam alio tempore, obtineri, de BERGEN *Nov. Act. Acad. N. C. Vol. I.*

CERASA *Offic. Botan.* Claſſis Natur. Calyciflorarum. *Germ.* Kirſchen. *Gallis* Ceriſes. *Anglis* Cherries. *Italis* Ceregie.

CERASUS *foliis ovato - lanceolatis.* Ceraſorum variæ ſunt differentiæ, quæ, crudæ, coctæ, diverſo modo præparatæ, in uſus alimentares adhibeantur. Laudatiſſima ſunt acidiſſima, nigra, & quaſi ſanguineo ſucco turgidula. Condiuntur pro bellariis; contunduntur pro vino ceraſa.

USUS

USUS MEDICUS in morbis chronicis, ubi obſtructiones reſolvendæ, impacta reſeranda, ſpecificus: melancholicis, atrabiliariis, maniacis, tanta copia, ut diarrhœam inducant non cito ſupprimendam, ſumpta plurimum proſunt, atque hæc curatio raro *Illuſtr.* L. B. van-SWIETEN fefellit. In ea vero ſcire juvat maxima doſi exhibenda eſſe, minus in libris, quam unciis, peccari; matutino tempore ſumenda, jejuno ſtomacho, nec fermenteſcibiles liquores ſuperbibendos; dari etiam cocta poſſe. Cum jure, ptiſanis, pro potu ordinario in febribus utiliter incoquuntur; ſolvunt enim, reficiunt etiam, & ptiſanam ſapidiorem reddunt. Sed eſtne nigris vis nervina, antiſpasmodica, ſubanodyna, uti LINNÆUS contendit? Nucleus an utilis? Gummi Ceraſorum emolliens eſt, mucilaginoſum, inviſcans, in aliam indicationem utile.

PRÆPARATA. Ceraſa acida, *condita*, acute febrientibus & grata, & analeptica, & utilia, ut & *ſyrupus* ceraſorum acidorum, habentur. *Aqua* ſtillatitia ceraſorum nigrorum ſatis grata, reficiens. *Spiritus* ceraſorum nigrorum ab Helvetis ad nos adfertur: multum deprædicatus, cardiacus, carminativus, is loquelam amiſſam reſtituit apud HARTMANN.

CITREA MALA *Offic. Botan.* Claſſis Natur. Calycíflorarum. *Germ.* Citronen. *Gallis* Citron. *Anglis* Citrons. *Italis* Citroni.

CITRUS *petiolis linearibus.* Fructus oblongus plerumque, raro globoſus, maturus aurei citrini coloris, odoris fragrantis, ſaporis acris, amari, pulpam habet in varia loculamenta diviſam, fibroſam, acidam. Menſis pro condimento inſerviunt, flavedo, &

ipſa pulpa, cujus ſucco carnes, piſces, & alia irrorantur. Succus aquæ fortis vegetabilis ſpecies margaritas, corallia, teſtacea ſolvit. CHAMBON; oleo inviſcatus in calculo utilis. IDEM. vide *Limonia.*

USUS MEDICUS diverſarum partium diverſus; & in diverſas cardiacorum claſſes redigendus. *Malum* ipſum certius cardiacum excitans, quam omnes lapides pretioſi officinarum. *Pulpa*, ut & ejus ſuccus, in ſcorbuto putrido, morbis bilioſis, plurimum valent. *Cortex* exterior, *flavedo* officinis dicitur, ea oleo ſtimulante gravida, vino infuſa, recens, mirum reficit & excitat, etiam in ſuſcepto miasmate laudata, ſtomachica eſt, carminativa.

PRÆPARATA. *Cortex* citri conditus. *Syrupus* de corticibus citri egregiæ virtutis. *Cara* condita non ſatis noti uſus. *Conſerva* pulpæ, ſiti, & putredini adverſa; ut & *Syrupus* de acetoſitate citri. *Aqua* ſtillatitia citri, aqua ſtillatitia totius citri utraque laudanda. *Spiritus* corticum in lethargo deprædicatur. *Oleum* citri ad ſpeculum preſſum optimum, ſed raro in officinis eſt, oleum citri *deſtillatum* ſemper, etiam bonum.

CITRULLI. *Off. Botanicor.* CUCURBITA. Claſſis Natur. Incompletar. *Germ.* Citrullen. *Gallis* Citrouille. *Anglis* Citrul.

CUCURBITA *foliis multipartitis.* Cucurbitarum hæc ſpecies in uſum alimentarem, & medicum eodem modo vocatur. Pulpa cruda raro, ſæpius cocta ſumitur, non multi nutrimenti.

USUS MEDICUS ac cucurbitæ idem, magis tamen ad febrium æſtum, & bilis temperandum furorem

rem laudatur. Aquam ſtillatitiam, qua tuto caremus, arcanam in cauſa nonnulli habent. Semina etiam inter IV frigida majora recenſentur.

CUCUMERES *Off. Botan.* Claſſis Natur. Incompletar. *Germ.* Unmurcken. *Gallis* Concombre. *Anglis* Cucumber.

CUCUMIS *foliorum angulis ſubrotundis.* Noſter fructus, qui veterum melo fuiſſe videtur, fatuus eſt, aquoſus, ſubmucilaginoſus, exigui nutrimenti; exiguus, adhuc parum ventricoſus, viridis, aceto, & muria conditus acetariis, major jam flavus lactucis dicatur, etiam coquitur, atque in hac re culinarium ingenium variat.

USUM MEDICUM juſculis incocti Cucumeris ſanguinem ſpuentibus ex acrimonia aut diſſolutione humorum utilem, indicat ſuccus ſubmucilaginoſus, inſipidus, refrigerans. In febre hectica ab ulcere pulmonis probavit felici experimento MUZELL in Noſocomio Charitatis Berolini. Pulpam juſculis incoctam febrientibus ſalutarem proprio experimento docuit RAJUS, jam ante pronunciarat HIPPOCRATES, qui etiam ad ani inflammationes jubet partem cucumeris maturi tritam applicari. Semina inter IV frigida majora recenſita, varia doſi ad drach. II. unciam dimidiam, integram, in emulſionibus præſcribuntur.

CUCURBITÆ. *Offic. Botanicor.* Claſſis Natur. Incompletar. *Germ.* Kürbis. *Gallis* Curges. *Anglis* the Gourd. *Italis* Zucca.

CUCURBITA *folio ſubangulato, tomentoſo, flore albo.* Sunt etiam hujus fructus multæ differentiæ,

quæ edules, fatuæ, admodum aquoſæ, crudæ haud eſitantur; ſed variis modis, Italis notis, elixantur, aſſantur, frixantur, exigui cæterum nutrimenti.

VIS MEDICA demulcens, refrigerans; ſeminum inter IV frigida majora relatorum uſus, & doſis, ut congenerum eadem.

CYDONIA MALA *Offic. Botan.* SORBUS Claſſis Natur. Calyciflorarum. *Germ.* Quitten-Æpfel. *Gallis* Coin. *Anglis* Quince.

SORBUS *foliis rotundis integerrimis, fructu lanato quinqueloculari.* Heſperidum hoc malum aureum, carnoſum, umbilicatum, quinque loculis membranoſis diviſum, ſemina plurima oblonga, rubicunda recondit. Caro in initio alba, maturitate, & ætate magis fulva, odoratiſſima, cruda, auſtera, plerumque coquitur ad uſus alimentares, tum demum gratior, ventriculo convenientior. Semina mucilaginis emollientiſſimæ gelatinis tum in culinis, tum in officinis, ut & mucilaginibus inſerviunt.

USUS MEDICUS. Tyrocneſti raſorum immaturorum, & preſſorum *ſuccus* recens, auſterus, acerbus, ventriculum ſubvertit; adultior hanc vim amittit, & ſumme roborantem acquirit, ut ſuccus cydoniorum officinarum: idem ſuccus ſaccharo inſpiſſatus, in ſyrupum convertitur cydoniorum officinis dictum, in diarrhœis, dyſenteriis, utilem. *Caro* cydoniorum cocta, contuſa, & in pulpam per cribrum trajecta, ſaccharo, aliis etiam aromatibus condita, dat *mivam* cydoniorum *Offic.* egregii in laxitate faucium, ventriculi, & inteſtinorum, tum angina pituitoſa, vomitu, diarrhœa, dyſenteria, uſus. Habetur etiam oleum pro uſu externo, aliis acuandum in ſcopum roborantem.

Semina

Semina cydoniorum vero admodum mucilaginoſa ſunt, interno non niſi in his caſibus uſu, ubi interior oris, faucium, ventriculi, inteſtinorum membrana eroſa; & omnis mucus obliniens deterſus, dolorificum admodum ſenſum creat, ſingultum intolerabilem, dolorem &c. facit, utilia, tum forma emulſionis cum aliis, ad lib. aq. drach. I. exhiberi poſſunt, clysmatis in unc. aq. VI ad drach. I. Iβ addito ſyrupo diacodio, vel alio. Externe vero in exulcerationibus ſaturatior mucilago valet, ut etiam in fiſſuris labiorum, papillarum.

CYNARA *Offic. Botan.* Claſſis Naturalis Compoſitarum Capitatarum. *Germ.* Artiſchock. *Gallis* Artichaux. *Anglis* Artichoack. *Italis* Archioceo.

CYNARA *foliis pinnatis, foliolis oblongis, indiviſis, caule ſpinoſo.* In menſis magis, quam in officinis, uſitatus fructus, tener cum ſale, & pipere crudus, adultus coctus, eſtur; comeduntur vero ex hoc capite partes binæ, ſquammarum carnoſi ungues, & ipſe diſcus. Multi, ſed ſtimulantis alimenti ARBUTNOT L. C.

USUS MEDICUS, licet urinam gravi inficiat odore, vix multus, nuper tamen remedium hydropi conveniens folia caulina Cynaræ laudavit JOURN. *Etrang. Janv.* 1761. Medicinæ vero hic modus eſt: ſucci ex foliis preſſi & colati, vini Maderani ana partes æquales commiſceantur & ante aſſumptionem concutiantur. Doſis mane & veſperi coch. III. IV. V.

DACTY-

DACTYLI *Off. Botanicorum* PHOENICIS FRUCTUS Claſſis Naturalis Palmarum. *Germ.* Datteln. *Gallis* Datte. *Anglis* Date. *Italis* Dattoli.

PHOENICIS *frondibus pinnatis*, *foliolis complicatis;* fructus oblongo rotundus, dactyli forma, unde & nomen habet, ſed craſſior, ſole ſiccatus, ad nos adfertur. Pellicula exterior tenuis, fulva, pulpam melleam gratam, oſſiculo oblongo ſulco notato, includit. Menſis, & officinis noti dactyli ſunt.

USUS MEDICUS in aſperitate faucium, in tuſſi acri, demulcens, forma decocti ad unc. I. II. Oſſiculorum haud certa fama eſt.

FICUS, ſeu CARICÆ PINGUES. *Off. Botan.* FICUS. Claſſis Incompletarum. *Germ.* Feigen. *Gallis* Figue. *Anglis* Figs. *Italis* Fico.

FICUS *foliis palmatis*. Recens furno, ſole exſiccata, paſſa, in officinis *Carica* vocatur. Major ex flavo fuſca, mellea, pinguis; minor guſtus ſuavitate ſeſe commendans, a loco, unde adfertur, Maſſilienſis ſimpliciter appellatur. Eſtur fructus maturus, crudus, ventriculo haud commodus, etiam alvum laxat majori quantitate ſumtus; cæterum multum nutrit, & pinguefacit.

USUS MEDICUS demulcens, leniens, incraſſans, abſtergens, in colica ſaturnina, exulcerationibus internis, doloribus calculoſis, tuſſi ſicca, acri, forma decocti, electuarii, emulſionis. Specificas caricas in morbis hepatis habet LINNÆUS, in phthiſi alii. Externe applicatæ in lacte coctæ, ſub cineribus aſſatæ,

etiam cataplaſmatibus intritæ, emolliunt, & maturant; ad bubones peſtilentiales jam in ſacris laudantur. Gingivis inflammatis apponitur ficus, in gargariſmatibus etiam utiliter præſcribitur, & apozematibus demulcentibus.

FRAGA *Offic. Botanicorum* FRAGARIÆ fructus. Claſſ. Nat. calycifloraruin. *Germ.* Erdbeer. *Gallis* Fraiſe. *Anglis* Strawberries.

FRAGARIÆ *flagellis reptantibus* fructus ex ovato-acuminatus, carnoſus, per maturitatem ruber, quandoque, raro tamen, cereus, dulci vinoſo ſucco gratus, & odoratus, exterius multis ſeminibus nigricantibus exiguis conſperſus eſt. Inter edulia uſus eſt frequentiſſimi, & tum ſylveſtria hortenſibus præferuntur.

USUS MEDICUS, & ipſius fructus & plantæ, non infimus. Ipſius *plantae* quidem vis diuretica, & vulneraria in viis urinariis ſummopere laudatur: *fructus* ſolvens in obſtructionibus cum vino, momento cinamomi, ſaccharo, reficiens, analepticus. *Aqua* fragorum in uſum domeſticum confecta, multum cardiaca, refrigerans æſtivis caloribus.

JUGLANDES NUCES *Offic. Botan.* Claſſis Natur. Incomplet. *Germ.* Nüſſe. Baumnüſſe. *Gallis* Noix. *Anglis* Walnut. *Italis* Noce.

JUGLANS *foliis ſubaequalibus*, *ſubſerratis*; fructum dat, qui Jovis glans veteribus dictus eſt; an quod adeo ſapidus? aut quod in eum fructum tantam natura locavit operam? Præter corticem enim exteriorem ſatis craſſum, viridem, tinctoribus inſervientem, putamen ligneum duriſſimum habet, ut non melius in parente fœtus, quam hic fructus, includatur; adhæc com-

compactili operimento bifidas putaminum carinas, nucleum in extremitatibus quadrifidum, lignea intercursante membrana dividente, natura cinxit. Nucleus immaturus non nimis oleosus est, emulsum masticatus exhibens gratum: adultior siccatus flavescens, difflata aquosiori parte, rancescit, & inflammat, & oleum largitur pressus, pictoribus, quod nitorem diu conservet, magis, quam oleum amygdalarum, laudatum. Quieta arboris atmosphæra suspecta est.

USUS MEDICUS ipsius corticis maturi fructus, aut etiam dissepimenti hodie vix ullus, licet ex his universalem fere medicinam se habere credant multi. Succum corticis exterioris viridis vomitorium esse multi asserunt: ex hoc vitriolum vegetabile conficere docet ETMULLERUS; decoctum ad luem in *Ephem.* N.C. laudatur. Juglandes aridas comestas infallibili eventu tænias expellere Mediolanensibus, *Cl.* BEREHNS reliquit. Folia tumoribus œdematosis applicata certo discutere plus una vice vidi.

PRÆPARATA magis usitata sunt: immaturæ nuces, antequam putamen osseum sub calyce crasso viridi in lignum induruerit, odoris penetrantissimi aromatici, saporis acerbi, distincti, maceratæ condiuntur saccharo, melle, cinamomo, caryophyllis, & aliis aromatibus confixæ: sunt hæ nuces in bellariis, & officinis *conditae.* Ex expresso succo viridium fit *Roob dianucum* egregiæ virtutis roborantis. In nonnullis officinis etiam habetur *aqua stillatitia* odoris fragrantis: in nostris non prostat.

Oleum nucum, & vinum alicantinum debito modo sumpta sæpius vermem dictum solitarium expulere experimentis *Cl.* PASSERAT de la CHAPELLE *Journal*

nal de Medicine Vol. VI. p. 305. vidit eundem effectum BINET. ibidem. Vol. XV.

LIMONIA MALA *Off.* CITRUS L. Classis Nat. Calycisflorarum. *Germ.* Limonien. *Gallis* Limons. *Anglis* Lemons.

Varietas est CITRI: contractior fructus, remissius flavescens, & levius odoratus, citreo malo similis, copiosiorem pulpam, & succum uberiorem, acidiorem habet, in mensis multum, ut & in medicina utilem. Pulpa conspersa saccharo manditur: cortices conditi bellariis adhibentur. Abusus acerbissimi limoniorum succi colicæ pictonum Indiarum occidentalium causa est. HUXHAM *de morbo colico Damnoniorum.*

USUS MEDICUS in omni causa putrida proficuus, scorbutum, vomitum, singultum a causis putridis sanat: ulcera oris scorbutica instillatæ recentis pomi guttæ aliquot curant: aqua dilutus succus, saccharo temperatus, morbis acutis putridis duplici ex indicatione conveniens est, æstum enim compescit, & putredini resistit. An sit in calculo specificus, multi interrogant: succum unciarum trium pondere, cum unciis duabus olei amygdalini dulcis, & sacchari uncia dimidia in consistentiam mellis redactum utiliter in calculosis concretionibus exhiberi video, & nuper solius *limonadae*, vino sæpe, ne colicam causaret, contemperatæ potu calculosum Anglum servatum. *The London Chronicle.* Nr. 705. 1761.

Limonum succum salis spiritu pari pondere remixtum, scorbuticis multis profuisse ZANICHELLII auctoritate refert *Cl.* MORGAGNI *de sedibus, & causis morborum per Anatomen indagatis, Epist. Anat. Medic. XLVII.* ita

ita cum mulier ſeptem ipſos annos uteri hæmorrhagia irritis præſidiis omnibus laboraſſet, bene ac feliciter a ſe eſſe perſanatam hoc medicamento: dediſſe autem propterea, quia certam quandam ſcorbuticam in ea ſanguinis conſtitutionem eſſe conjecerat; expertum autem antea eſſe, quam profuiſſet aliis idem illud remedium ore continere, cum ſcorbutus graviter hoc eroſiſſet. Cenſeo vero ego, non ſine magna cautela, & in os, & in ventriculum acrem hanc medicinam dari poſſe.

MELONES *Offic. Botan.* CUCUMIS L. Claſſis Natur. Incomplet. *Germ.* Melaunen. *Gallis* Melons. *Anglis* Melon.

CUCUMIS *foliorum angulis rectis;* infinita varietate, tum ratione magnitudinis, figuræ, ſaporis, coloris, carnis, & ipſius corticis, variant hi fructus, in gulæ deliciis ob fragrantiam & ſapiditatem ſemper habiti. In regionibus calidis optimi ſunt. Omnes GALENI criminatione abſolvuntur, humectantes, refrigerantes.

USUS MEDICUS cum aliis horæis communis, ſolvens, qua in re providentiæ divinæ ſigillum agnoſcit *Illuſtr.* L. B. van-SWIETEN, quod æſtate, ubi ſubtiliſſimi, & aquoſi maxime humores de corpore diſſlantur, & reliqui inſpiſſantur, ſimilia recte mortalibus exhibuerit, quæ grato refrigerio calidos, exoptata humiditate ſiccos, & penetrabili aromate languidos recrearent, reficerent, excitarent. Conveniunt etiam melancholicis, maniacis, nec inutiliter dantur ſcorbuticis. Semina pariter inter IV frigida majora recenſita,

ta, in emulſionibus dantur, ſcopo demulcente in morbis renum, veſicæ, refrigerante in febribus, pervigiliis.

MORA *Offic. Botan.* Claſſis Nat. Incompletarum. *Germ.* Maulbeer. *Gallis* Meures. *Anglis* Mulberry. *Italis* Moro.

MORUS *foliis cordatis, hiſpidis.* Sapientiſſima arbor, verum thermometrum, duas habet ſpecies, colore fructus, & lævitate foliorum diſtinctas. Utriusque fructus rubo ſimilis, tamen major, & longior eſt; hic dum maturus, atro ruber, vinoſus, alter albus, fatuus magis, & melleus; uterque alimentis, prior tamen medicinæ magis inſervit: de his, ut & aliis horæis, inique multa GALENUS, & ex illo alii ſomniarunt.

USUS MEDICUS, ut aliorum fructuum horæorum ſolvens, in iisdem morbis gratus, & efficax. Podagræ peſtem obortam ex penuria hujus fructus hyperbolice HEGESANDER: Scorbuto adverſari BARTHOLINUS.

PRÆPARATA. *Syrupus, Roob.*

MYRTILLI BACCÆ *Offic. Botan.* VACCINIA NIGRA Claſſis Nat. Fructiflorar. *Germ.* Heydelbeer. *Gallis* Airelle, Myrtille. *Anglis* Whortles.

VACCINIUM *caule angulato, foliis ſerratis, annuis.* Fructus exiguo rotundo calyce coronatus, ex cæruleo nigricans, dulcis cum ſiccitate, & ſtypticitate, edulis Botanicis.

USUS MEDICUS roborans, adſtringens. Lethalem alvi conſtipationem ex decocto, quæ tamen in diarrhœis, dyſenteriis ejus uſum magis confirmet, habent BRESLAVIENSES.

PRÆPARATA. *Syrupus* egregiæ virtutis roborantis in laxitate oris, gingivarum, inteſtinorum; prodeſt etiam ſcorbuto laxo.

OLIVÆ *Offic. Botanic.* OLEA Claſſis Natur. Pauci-ſtam. *Germ.* Oliven. *Gallis* Olives. *Anglis* Olives, *Italis* Olive.

OLEA *foliis lanceolatis.* Glandiformis, immaturus, viridis, decerpitur fructus, muria conditus ad nos adfertur, inter condimenta, & bellaria relatus: probantur turgidulæ, carnoſæ, teneræ, virides, ſaporis oleoſi, grati cum amaro, leni aromate; flaveſcentes jam, aut vero nigricantes, maturiores, ingratæ, & in corruptionem tendentes. Oſſiculum ingens. Ex olivis *oleum olivarum* adeo notum. *Omphacium* etiam ex immaturis olivis olim parabatur.

USUS MEDICUS olivarum pro commendando halitu eximius, etiam ventriculo gratus. Eſt potentiſſimum ſolvens medicamentum, hinc ſpleneticas eſſe olivas ex obſervationibus reliquit BRUNNERUS. Oleum emollit, laxat, lenit, acrimoniam omnem contemperat, bonum oleo amygdalino ſemper præferendum, obeſt tamen oculis illitum, SLOANE *Acad.* N. C. vol. X. Venenis reſiſtit, ut experimenta in Anglia facta docent, ſed de his, ut & de oleis, *vide* ANTIDOTA. Folia oleæ cuniculis exhibita urinam cruentarunt. MAGNOL apud SLOANE, *ibidem.*

PERSI-

PERSICA *Off. Botanicor.* AMYGDALUS. Claſſ. Nat. Calyciflor. *Germ.* Pfirſchen. *Gallis* Peche. *Anglis* Peaches.

AMYGDALUS *foliis ſerratis acutis.* Fructus globoſus, admodum pulpoſus, ut etiam proprio pondere ſubcontundatur, ſucculentus, ſecundum longitudinem ſulcatus, tenue involucrum, carneum, roſeo colore perfuſum habet, pulpam albam, palato gratam, vinoſam, oſſiculum ligneum, inæquale, ſulcatum, nucleum includens amarum. In uſus alimentares eſtur crudus, coctus: conditus etiam ſpiritu vini & aliis, per hiemem ſervatur. Ex nucleis cum Spiritu vini paratur *Perſico.* Venenata hæc mala veteres jam credidere, imo, & inde mortes recenſent recentiores, an certæ fidei? monuit COLUMELLA, jam, „oblita nocendi.

USUS MEDICUS ſolvens. In obſtructionibus, in febre acuta bilioſa, ſolatio & ſanitati fuere multis, teſte *Illuſtr.* L. B. van-SWIETEN, decocto hordei incocta, intrita. *Nucleorum* contra vermes non certa experientia eſt. *Flores* huc non ſpectant utpote leniter emetici, & purgantes, hos & tenera folia aliquid ſingulare habere vermibus inimicum. BOULDUC.

PRÆPARATA. *Conſerva* florum perſicorum virtutis purgantis ab unc. ſemis ad unc. I. *Syrupus* ejusdem virtutis infantibus ad unam, duas, & tres drach. *Aqua* florum perſicorum.

PINEÆ, ſeu PINI NUCES *Offic. Botan.* Claſſis Nat. Incomplet. *Germ.* Zirbelnüslein. *Gallis* Pignons. *Anglis* Pinkernels or Nuts. *Italis* Pignoli.

PINUS *foliis geminis, primis ſolitariis ciliatis.* Hoc nomine in officinis veniunt nuclei tenui mem-

brana velati, oblongi, ſemirotundi, albidi, non maculati, dulces; laudantur in uſum alimentarem, & medicum. Multo oleo abundant, ob quod etiam facileranceſcunt.

USUS MEDICUS ut piſtachiorum idem, imo antiquior, quod in Æſculapii templo marmorea reperta tabula fuerit, in qua ſanguinem rejicientibus ex pectore pinorum nuclei in medicinam præſcripti ſunt.

Oleum conulorum pini deſtillatum, quod in officinis non habetur, in ſtupore, paralyſi, arthritide tum potum, tum inunctum, cum ſpiritu lumbricorum laudat HAGENDORN *Ephem.* N.C. *Decad. 2. anno 3.*

PISTACHIA *Offic. Botan.* Claſſis Nat. Incompletar. *Germ.* Pimper-Nus. *Gallis* Piſtaches. *Anglis* Fiſtichnuts. *Italis* Piſtacchi.

PISTACHIÆ *foliis impari pinnatis, foliolis ſubovatis, recurvis;* fructus amygdalis tenuiores, oblongi, duplici etiam putamine cinguntur, exteriori membranaceo, colore primum viridi, arido, cinereo fragili, altero cruſtoſo magis, quam oſſeo, ſub quo adhuc membrana coloris purpurei, quæ nucleum viridem, pinguem, dulcem, palato gratum, ſubacrem, exhibet, latet. Eundem in re alimentaria & medicina uſum, ac amygdalæ, in bellariis, & hinc inde in emulſis habent: longe vero plus oleoſi cum ſint, citius corrumpuntur, & ranceſcunt: unde ponderoſi non rancidi eligendi.

USUS MEDICUS, ubi exhauſta corpora reficienda ſunt, & præſens demulcenda acrimonia eſt, ut in

in valde tuſſientibus, hæmoptoicis, phthiſicis, in quibus ſanguis ſuo balſamo plaſtico deſtitutus, utilis; forma emulſi ad lib. I. aquæ, XII. XV. recentes fructus, ſufficiunt.

POMA *Offic. Botan.* SORBUS Claſs. Natur. Calycifiorarum. *Germ.* Apfel nicht Birn. *Gallis* Pomme. *Anglis* Apple. *Italis* Pomi.

SORBUS *foliis ſerratis*, *fructu ſphaerico*, *quinque loculari*. Plurimæ ſunt horum differentiæ, ab omni ævo mortalibus gratiſſimum ſemper præbentes alimentum, licet magni nominis medici iniquius ea rejecerint. Conſidera immenſam copiam, ludentium ingentem varietatem, diuturnam horum etiam in ſeram hyemem conſtantiam, haud aſſentiri poteris, ideo a ſummo Numine creata eſſe, ut amabili varietate, eximia fragrantia, blandiſſimo ſapore, adeo diu perſtantia, in perniciem mortales conſtanter ducant, ut illi quidem voluere. Flatulenta eſſe verum eſt; ſed flatulentia coctione, aſſatione corrigitur, Igitur ſic præparata debilibus, dum cruda manducantur robuſtis, exhibenda. Cæterum intemperantiæ magis, quam malæ fructus qualitati inde enata vitia rectius adſcripſeris.

Succus pomorum fermentatus *vinum* eſt, non infimum; dum eſt recens *pomaceum* dicitur *Cidre*, bis fermentatum *acetum* dat communiſſimum. A Pomaceo colicam Pictonum induci HUXHAM & BONTE viderunt.

USUS MEDICUS. Aſſatorum pulpa ophthalmiæ convenit; gelatina ſucco citri, ſaccharo, momento cinnamomi acuata, gratiſſimum exhibet etiam ægris ferculum. Matura dulcia, fragrantia, vinoſa, diſ-

secta in taleolas, hordeo, avenæ incocta, gratiorem efficiunt ptisanam in acutis, duplici satisfacientem, quæ & humorum hic densitati, ibi putredini resistat, indicationi.

PRUNA *Offic. Botan.* Classis Natur. Calycisflorarum. *Germ.* Pflaumen. *Gallis* Prune. *Anglis* Prunes.

PRUNUS *inermis, foliis lanceolato-ovatis.* Infinita varietate ludunt, mensis, & officinis adhibita matura, siccata dulc-acida, acido-dulcia &c. pruna, seu pruneola. Brignoliensia fructum exiguum, grate acidum habent; majorem Damascena; Moravica dulcissimum, minorem. Cruda, exsiccata, farcta, in vino cocta, esitantur.

USUS MEDICUS ad primas vias humectandas, abstergendas, alvum molliorem reddendam, etiam facilitandam, utilis: decoctum vel jus prunorum alvum emollit, laxat, unde sæpe aliorum purgantium vehiculum est, & ingratum horum saporem temperat, maxime pueris accommodatum, cum sena, manna. In ore detenta acida pruna molestam hydropicorum sitim fallunt.

PRÆPARATA. *Pulpa* prunorum non adeo usitata.

PYRUS *Offic. Botan.* SORBUS Classis Nat. Calycisflorarum. *Germ.* Birn. *Gallis* Poire. *Anglis* Pear.

SORBUS *foliis serratis fructu turbinato quinque loculari.* Ut infinitus pene pro soli, cœli, culturæ ratione, pomorum est numerus, ita non pauciores pyrorum sunt diffe-

differentiæ, ratione ſaporis, quod in re cibaria maximi momenti eſt. Sunt enim auſtera, dulcia, aquoſa, vinoſa pyra: Cocta, aſſata, condita, crudis utiliora. Advocantur etiam in uſum ſiccata. Ex maturis preſſis ſit pyraceum, ſpecies vini, Galli *Sydre* vocant.

USUS MEDICUS nullus.

RIBESIA *Offic. Botan.* Claſs. Nat. Calyciflor. *Germ.* Ribeſel. *Gallis* Groſeilles. *Anglis* Currans. *Italis* Veteroſſe.

RIBES etiam differentias patitur, eſt enim ribeſium fructu rubro, fructu margaritis ſimili, ſeu albo, & eſt ribeſium folio olente, fructu nigro; quisque in alimentis, & officinis notus. Hujus planta floribus planiuſculis, illius floribus oblongis definitur, & cognoſcitur. Albi, & rubri fructus magis familiares, acidi ab aliis fructibus horæis, quod minus in putredinem proni ſunt, recedunt. Nigra ribeſia ſaporem habent maxime balſamicum, odorem ſimilem, acido quidem mixtum, ſed ab aliis tamen ribeſiis diſtinctum, pellem viridem, pulpam viridem non nigram. Hæc ſpiritu vini conſervari ſolent. Recentia folia frumenti ſpiritum ita tingunt, ut ſpiritum vini æmuletur.

USUS MEDICUS rubri, & albi idem, ſolvens, putredini reſiſtens, in febribus æſtu, ſiti utilis; ſic potum æſtivum ex contuſis ribeſiis colatum, ſaccharo admixto temperatum, gratiſſimum multi parant, dum in lib. aquæ hordei, unc. II. IV. ribeſiorum teruntur non nimis valide, ne ſemina auſtera quaſſentur; adjecto ſaccharo potus febribus proficuus habetur. Nigrum ribeſium longe magis medicamentoſum eſt. Turiones laudant vi diuretica, detergente, ulceribus

renum, vesicæ utiles; folia balsamica, vulneraria, in morbis pectoris, tussi, asthmate, infusa, multum celebrata in Gallis; in rabie, hydrophobia, dysenteria, morbis contagiosis, herbam, & stipites LINNÆUS præstantem habet medicinam. Baccæ balsamicæ sunt, diureticæ, spiritui vini infusæ elixir dant hydropicis utile, diureticum: sunt adhuc anginis utiles baccæ, quod etiam nomen anglicum indicat, & aliis non curabiles his curantur. TRANS. *Philosoph.* N. 459.

RUBI IDÆI FRUCTUS *Offic. Botan.* Class. Nat. Calycisflorarum. *Germ.* Himbeer. *Gallis* Framboise. *Anglis* Hind-Berry.

RUBUS *foliis ternatis, & quinatis, costa plerumque inermi, fructu rubro, villoso.* Moris similis fructus, sed minor, odoratior, rosei coloris, etiam Rubimorum dictus, gratissimus in alimentis, & medicina est. Ex rubo hydromel gratissimum conficiunt Russi.

USUS MEDICUS. Succum fructus analepticum, cardiacum, gratum, non acidum ut ribesiorum, omnibus perlis, & gemmis in hunc scopum merito, præfert GESNERUS. Erysipelati, & ophthalmiæ flores adhibentur; folia in gargarismatibus adhibita, tumentes in gutture partes reprimunt, firmant.

PRÆPARATA. *Acetum* rubi idæi. *Aqua stillat. Spiritus, Syrupus*, quæ, si bene parata, fragrantiam habent suavissimam.

RUBUS VULGARIS FRUCTU NIGRO *Offic. Botan.* Classis, & nomina eadem.

RUBUS *foliis ternatis, & quinatis, costa spinosa, fructu nigro, laevi.* Notissimus fructus, profunde niger,

niger, ab omnibus eſtur, infantibus maxime gratus, ſubdulcis, aquoſus.

USUS MEDICUS in diverſis hujus plantæ partibus varius. Radicem aperientem, diureticam habent, hydropicis utilem, folia detergentia cum adſtrictione tamen, unde anginis aquoſis, ulceribus laxis, firmandis gingivis, accommoda; humi-rubi folia, ſpinis purgata, ſupra cineres calidos macerata, aut condita, pultem efficiunt, rebelles ſuppurationi paronychias moventem, & nonnullis arcana ſunt hæc folia.

SAMBUCI BACCÆ *Off. Botan.* Claſſis Nat. Fructiflorar. *Germ.* Holderbeer. *Gallis* Bayes de Sureau. *Anglis* Eldersberries.

SAMBUCI *arboreae floribus umbellatis* baccæ, ſubrotundæ ſunt, in initio virides, per maturitatem nigræ, ſemina includunt tria in conum conjuncta mucronata, hinc convexa, inde concava. Baccæ guſtu ſubdulces, ſuccum præ ſaturata rubedine nigrum, manus pertinaciſſime inficientem, acido foſſili ſolum delendum, poſſident. Harum uſus veteribus non adeo familiaris. Flores rem noſtram cibariam augent, in ſartagine frixantur, & gratum cibum multis concedunt: baccæ cum melle in ſapam coquuntur.

USUS MEDICUS totius plantæ late diffuſus; vix enim ulla pars eſt, quæ non egregias partes agat. *Turiones* dum verno tempore in acetariis majori quantitate eſitantur, validiſſime purgant. *Flores* recentes alvum laxant, ſiccati dant remedium ad omnes morbos eryſipelatoſos, a perſpirabili impedito ortos, forma theiformi utile; inflammatis, eryſipelatoſis, rheumaticis,

ticis, arthriticis, podagricis locis, forma ſacculi, cataplaſmatis, multum deprædicatum: diſcutit enim, reſolvit, & lenit. Decoctum florum cum lacte calidum partibus arthriticis affuſum laudat CHEVALIER *Recueil periodique.* An quia ſiccati flores & ſpiritum urinoſum & ſalem urinoſum magna quantitate habent, dum recentes hanc vim acido temperatam poſſident? HIERNE *Tent. 3.* Maximam *adhuc* famam meruere in cancro, in quo quibusdam arcani ſunt, non quod depaſcentem hunc morbum ſanent, ſed quod exulceratum leniant, dum, quod de virulentia cancri reſorptum eſt, eluunt. *Folia* contuſa in cataplaſma redacta, tumores œdematoſos, aquoſos, certo curant; an ſcirrhoſis, inflammatoriis, ad quos laudant multi, applicandi? iis in podagra etiam utuntur haud certo experimento. *Cortex*, medianum vocant, vel vino ſolum infuſus purgat drachmarum duarum mole; *Succus* expreſſus præfocandum etiam præ aqua hydropicum emungit, ad unciam dimidiam, unam datus: eſt etiam ubi duplicari doſis debet. *Radicis* duæ drachmæ, uncia ſemis, in ſcobem raſæ infuſa, decocta, eundem effectum habet. *Seminis* etiam drachma purgat.

PRÆPARATA. Ex floribus *aqua* ſtillatitia, diſcutiens, diaphoretica: *Spiritus* in eundem ſcopum venit, ut & *acetum* ſambucinum, etiam cephalicum. Ex baccis *Roob* raro ſedule in officinis paratum, nigrum, aduſtum, empyreumaticum, quod deberet eſſe ſanguineum, ſapidum, acidulum, gratum. Medicamentum eſt cum aceto, potu theiformi certo diaphoreticum Roob, quod etiam ſal volatile in cryſtallos adamantinis gemmis artificioſe ſectis concretas dedit HIERNE. *Tent. 3.*

SILI-

SILIQUA DULCIS *Offic. Botan.* CERATONIA L. Classis Natur. Incompletarum. *Germ.* Bockshornlein. *Gallis* Carouge. *Anglis* Carob.

CERATONIÆ in usum tam alimentarem quam medicatum veniunt fructus, qui & in illis, ubi abundanter crescunt, locis, in cibum dentur porcis; & educto ex his melle radices zingiberis, & myrobolani condiuntur.

USUS MEDICUS tussientibus, orthopnoicis, raucis, etiam a vulgo assignatus in cibum, aut in decoctum: dosis ad lib. I. aquæ unc. semis, una.

PRÆPARATA. *Syrup.* de siliquis seu diacodium liquidum, quod in tussi acri, convulsiva laudandum, ut & Syrupus seu *diacodium crocatum*, quod solo addito croco distinguitur, parciori dandum dosi.

VITIS IDEÆ BACCÆ *Offic. Botan.* VACCINIA RUBRA Classis Natur. Fructiflor. *Germ.* Rausch. *Gallis* Aurelles rouges. *Anglis* Red Whortle.

VACCINIUM *foliis buxi peremantibus.* Fructus ruber, longe sapidior myrtillo, acidus, nonnisi in montanis reperiendus, solis apud nos Botanicis gratus, in aliis regionibus communius estur.

USUS MEDICUS vix ullus cognitus: infusum Theiforme foliorum, amarum, nonnulli ad catarrhales defluxiones inhibendas sumunt. Interea vero scire juvat, vaccinium uliginosum L. seu foliis annuis exalbidis, vitem ideam II. CLUSII p. 61. 62. suspectam esse

esse; copiosius enim assumtæ baccæ temulentiam cum fugaci cephalalgia interdum causant. LINNÆUS.

UVA *Botanicorum*, VITIS viniferæ fructus. Classis Naturalis Pauci-stam. *Germ.* Weinbeer. *Gallis* Raisins. *Anglis* Ray sons. *Italis* Uve.

VITIS *foliis palmato angulatis.* Uvis, & ficubus inter autumnales fructus principatum merito tribuit GALENUS. Uvæ satis nutriunt assuetos, dum maturæ, dulces, vinosæ saccharini saporis sint, licet & in his multa differentia; non assuetis alvum solvunt, imo etiam diarrhœam excitant terribilem, exhaurientem, fusis per alvum, & vomitum totius corporis bonis, periculosam omnibus sanis, forte solis salutarem melancholicis & maniacis. Hoc ex recenti maturo fructu damnum est, hoc est præsidium.

Scire autem juvat, ex uvis in usus nostros plurima parari. Ex immaturis expressus succus est omphacium, ex maturis mustum. Prius vi adstringente valida, de qua alias, posterius solventissima, & periculosa gaudet: mustum fermentatum vinum est, fermentatum vinum acetum. Maturæ integræ, insolatæ, vel alio artificio difflata parte aquosiori siccatæ, uvæ passæ, vel passulæ simpliciter vocantur, & quia de his maxime nobis sermo est, eas exactius distinguemus. Inter has quæ maximæ sunt, & e vite Damascena, Syriaca, Hispanica, Hungarica, desumtæ sunt, passulæ majores, etiam cubebæ simpliciter dicuntur: quæ minores, & e vite Corinthia, Zacynthia, Cephalonia, ciceris magnitudine, parvæ, passulæ minores, seu Corinthiacæ nominantur; utræque in mensis satis notæ, ut describi non debeant.

USUS

USUS MEDICUS ad pectoris morbos, renum, veſicæ vitia, utilis. Succus uvarum paſſarum majorum ablatis gigartis inſpiſſatus, blanda vi demulcet, & ſimul leniter ſolvit, unde familiares in decoctis ad unc. ſemis, unam. Vinacea ab uvis expreſſis reſidua, maximam roborantem virtutem habent, ad œdemata partes paralyticas, dolore iſchiadico, arthritico vexatas roborandas, proficuam, forma balnei ſicci, cataplaſmatis.

PRÆPARATA. *Syrup.* de agreſta; *pulpa*, quæ ex paſſulis minoribus per ſetaceum trajectis fit, laudata, cum ſyrupo in looch cogenda, pulvere in electuarium: decoctis ad unc. unam & plus addi poteſt. Paſſulæ purgantes, delicatioribus, medicamenta nauſeantibus, exhibendæ, ad cochlearia duo, tria, vix vero multum efficaces ſunt.

His jam plures alii fructus tam ſanis, quam ægris utiles, ut jujubæ, ſebeſten, caſtaneæ, lazeroli acidi, bilioſis utiles, tum & tuber, ſolanum eſculentum, & alia addi poſſunt. De his vero omnibus videnda diſſertatio LINNÆI *de plantis eſculentis*. Alii fructus, quod manifeſte adſtringant, in adſtringentium claſſem relati habentur.



ANI

ANIMALIA.

Etsi experientia firmiore constet, salubriores escas, suaviores, atque multo plures præbere ANIMALIA, quam fruges, olera, & fructus, tamen in horum usu diversis diversæ palatis carnes sapiunt. Moderni Tartari equina semicruda carne vescuntur, sanguinem etiam equinum potant. In deliciis carnem, & lac cameli, Arabes habent, & septentrionalium multi, lupo, vulpe, tarando vivunt. Guineæ, & Senegal incolæ canibus delectantur, hos pinguefactos in forum pecuarium Chinenses ducunt. Africæ, & Asiæ multis populis, coriacea Rhinocerotis cutis cibus, & Afris monstra, aliis mundi plagis ignota, alimentum: in deliciis pantheras, crocodillos, leones, elephantes, serpentes, & simias habent, quin nec carne humana abstinent, inimicos cum gaudio vorant, ex religione amicos & parentes manducant, quasi honorificentius esset humano stomacho tumulari hominem, & digeri, quam terra obrui, & vermibus tradi!

Quoad animalium diversorum naturam, in genere teneri debet, hominem sanum, & viribus firmum, mammalibus plus nutriri, est enim horum caro alimenti solidioris, validioris. Aves carnem gratiorem, delicatiorem habere, flaccidiorem pisces, haud multum nutrientem; valentiorem iterum amphibia; quandoque duram, quandoque facilem testacea, etiam Mollusca: esse etiam pro diversis generibus ejusdem classis sæpe multam differentiam, in his juventam, in illis mediam ætatem, in illis consistentem laudari: domestica sylvestribus deteriora omnium consensu, quod minus exercita; etiam pisces rapidarum aquarum salubriores, quam aquarum stagnantium. Alia apud CELSUM videri possunt.

MAM-

MAMMALIA.

Mammis præcipue MAMMALIA cognoſcuntur. Horum pleraque quadrupedia continentem inhabitant, dum vix nata pauca, ſeſe intra pelagum ſubducunt L.

BESTIÆ.

APER, SUS. *Zoologorum* SUS. Claſſis Nat. Mammalium. Ordo Beſtiarum. *Germ.* Schwein, Wildſchwein. *Gallis* Cochon, Sanglier. *Anglis* Hog.

SUS *dorſo antice ſetoſo, cauda piloſa.* Duplex eſt domeſtica, & ſylveſtris; in uſus alimentares adhibetur utraque, ut & utriusque porcellus, qui tenerior, minus viſcidus, multum in menſis expetitus: tum majalis. Domeſticæ caro flaccidior, pinguior, glutinoſior, difficilis digeſtionis, multum nutrit; ſylveſtris firmior, ſiccior, curſu magis exercita, melior, priori facilius digerenda, tamen etiam robuſta viſcera depoſcit: fortiſſima fumo induratum lardum ut & perna, quam tamen crudam nonnulli cocta ſalubriorem habent. In hac familia fœminæ non optimæ. Una tertia tranſpirationem inſenſibilem minui ab eſu carnis ſuillæ SANCTORIUS monuit, ut clarum, etiam inde morbos cutaneos generari, vel ab alia cauſa generatos intendi poſſe.

BRUTA.

MANATI, ſeu VACCA MARINA. *Zoologorum* TRICHECUS. Claſſis Naturalis Mammalium. Ordo Brutorum. *Gallis* Lamentin. Manati *Italis*.

TRICHECUS *Manatus*. Carnem firmam bovinæ ſimilem habet, eſculentam, validam. Lapidis pulvis ſcrupuli doſi a nonnullis ad colicam laudatur.

GLIRES.

CASTOR *Zoologorum*. Claſſis Naturalis Mammalium. Ordo glirium. *Germ*. Biber.

CASTOR *cauda ovata*, *plana*. Validum alimentum eſt; cauda exquiſitiſſima ſanis. Cæterum juvenis annoſiori præfertur. De caſtoreo medicamento alibi dicetur.

LEPUS *Zoologorum*. Claſſis Naturalis Mammalium. Ordo glirium. *Germ*. Has. *Gallis* Liévre. *Anglis* Haſe.

LEPUS *timidus*, *cauda abbreviata*, *auribus apice nigris*. Junior 6. 7. 8. menſium facile, ſed exiguum, adultior annum ſuperans, longe difficile, itidem exiguum nutrimentum concedit. Adhæc locis humidis viventes aliis minus utiles, minus ſapidi.

LEPUS CUNICULUS. *Germ*. Kaninichen. *Gallis* Lapin.

Cauda abbreviata, *auriculis nudatis*: præcedenti facilior cibus, plurimis nationibus, maxime Gallis in

usu; ferus domestico præfertur. In illis media ætas laudabilis.

PECORA.

BOS *Zoologorum.* Classis Naturalis Mammalium. Ordo Pecorum. *Germ.* Ochs. *Gallis* Beuf. *Anglis* Ox.

BOS *cornibus teretibus, extrorsum curvatis, palearibus laxis.* Diversis in regionibus carnem plus, minusve sapidam habet; ex Hungaria nobis advectus optimus. Omnes fere ejus partes in alimentum cedunt, caro magnam vim alibilis extracti habet, docet id usus quotidianus, & experimenta *Clariss.* GEOFFROY. *Acad. de Sciences 1730.* Bubulam carnem stomacho sano convenire, difficilius digeri, digestam tamen præbere alimentum sanitate constanti præditis conveniens, HORSTIUS *de esculentis, & potulentis.* Caro vaccina non adeo sapida: tauri vix grata, nec tam boni alimenti, ut bovis juvenis, pinguis, bene nutriti. Extremæ enim ætates, ut in aliis non paucis, ita in his quoque vitiosæ sunt, mediæ optimæ, & saluberrimæ. Vituli juvenis caro, concoctionis facilis, & boni nutrimenti est, conducens delicatulis debilibus, assata tamen sæpius podagram provocat, *Acad. N. C.* Vol. IX. juscula citissime in calore æstivo acescunt.

CAPRA *Zoologorum.* Class. Nat. Mammalium. Ordo Pecorum. *Germ.* Ziege. *Gallis* Chévre. *Anglis* Goad.

CAPRA *hircus, cornibus carinatis, arcuatis:* ut in priori, etiam in hac familia, hædus lactans 5. 6. *Crantz M. M. T. I.*

 men-

menſium tenerior eſt, hircus pater difficillimæ digeſtionis, carnem habet etiam ob eximium fœtorem ingratam, raro menſis adhibitam. Etiam vilior capræ caro eſt, in Italia ſolum cognita, boni tamen eſſe alimenti, Athleta THEBANUS hac ſolum vivens, & omnes robore ſuperans, ſatis ſuperque probavit.

CAPRA RUPICAPRA. *Germ.* Gamſe. *Anglis* Gazel.

Cornibus erectis, uncinatis. Laudabilis alimenti eſt.

CERVUS *Zoologorum.* Claſſ. Nat. Mammalium. Ordo pecorum. *Germ.* Hirſch. *Gallis* Cerf. *Anglis* the Hart or ſtag.

CERVUS *elaphus, cornibus ramoſis, teretibus, incurvis.* Lactantes optimi, his unius anni adoleſcentes, tum duorum annorum juvenes ſuccedunt in menſarum deliciis. In adultioribus collum cum tribus primis coſtis exquiſitum magis, aliæ magis duræ partes, & difficilis digeſtionis. Cervæ caro carne cervi deterior eſt, omnium deterrima catulientis.

CERVUS *Capreolus. Germ.* Reh. *Gallis* Chévreuil. *Anglis* Roe-buck.

CERVUS *Cornibus ramoſis, teretibus, erectis, ſummitate bifida.* Hujus caro optima, plurimi nutrimenti eſt.

CERVUS *Dama cornibus ramoſis, compreſſis, ſummitatibus palmatis.* Juvenis boni ſucci, & alimenti, adultior durior & difficilis digeſtionis; hircum non adeo fortiter olet, capreolo inferior ſemper.

OVIS *Zoologorum.* Claſſis Natur. Mammalium. Ordo pecorum. *Germ.* Schaaf. *Gallis* Mouton. *Anglis* Sheep.

OVIS *cornibus compreſſis, lunatis.* In hac familia ovis, & arietis fœtus agnus, laudabilis maxime, ſi jam ætatem habet; junioris enim caro glutinoſa, viſcoſa, mali ſucci cenſetur. Cæterum quæ mediæ ætatis eſt, omnium optime aſſumitur debilibus, humectans, reficiens, etiam acrimoniam domans; vervecina caro, prout variis infecta plantis, quas animal voravit, valens, contuſa, grata palato, & optimi & plurimi nutrimenti; deterioris & minoris ovis; duriſſima & ingratiſſima arietis.

OVIS *cornibus erectis, ſpiralibus.* Hungariæ incolæ caro dura, tenax, menſis adhibetur aliorum defectu, difficilis eſt digeſtionis, nec multi alimenti.

AVES.

ACCIPITRES.

GARRULUS BOHEMICUS. *Ornithologorum* LANIUS. Claſſis Naturalis Avium. Ordo Accipitrum. *Germ.* Zuſerl.

LANIUS *garrulus, remigibus ſecundariis, apice membranaceo, colorato, cauda integra.* Delicatula avis, & expetita, boni ſucci, & alimenti.

ANSERES.

ANAS *Ornithologorum.* Claſſ. Nat. Avium. Ordo Anſerum. *Germ.* Gans, Ente.

ANAS, *Anſer, roſtro ſemicylindrico, corpore ſupra cinereo, ſubtus pallidiore, collo ſtriato.* Duum eſt generum, ferus, & domeſticus, utriusque juvenis, ſapida caro, ferina tamen domeſticæ prævalens, quod ſapidior, etiam robuſtior. Extremæ ætates in his fugiendæ ſunt.

ANAS *Boſchas.* *Germ.* Stokente. *Anas rectricibus intermediis* (maris), *recurvatis*, *roſtro recto.* L. Etiam duum generum, fera, & domeſtica: fera domeſticæ tum ob gratiam ſaporis, tum ob facilitatem digeſtionis, præfertur, licet etiam poſterior viſcera robuſta requirat; in hac gente, ut in non paucis aliis, fœminæ maribus potiores, & juvenes annoſis præferuntur.

ANAS *Querquedula, macula alarum viridi, linea alba ſupra oculos.* Fera avis, ſeptentrionalibus familiaris, exigua, priori præferenda.

Sunt adhuc aliæ harum ſpecies edules plures.

MERGUS *Ornithologorum.* Claſſ. Nat. Avium. Ordo Anſerum. *Germ.* Tuckantl.

MERGUS *ſubcriſtatus, fronte caſtaneo-ferruginea.* In Auſtria frequens nobis in cibum cedit.

GRAL-

GRALLÆ.

ARDEA *Ornithologorum.* Claſſis Naturalis Avium. Ordo Grallarum. *Germ.* Blauer Reiger. *Anglis* Common-heron.

ARDEA *criſta pendula, dorſo caeruleſcente,* juvenis eſtur, delicatioribus menſis expetita, raro adhibita annoſior, durior. In Auſtria totum genus vix in uſu.

FULICA *Ornithologorum.* Claſſis Naturalis Avium. Ordo Grallarum.

FULICA *atra, Auſt.* Rohrhendel. Fulica *fronte calva, corpore nigro, digitis lobatis.* Caro ſucculenta; bona, paludes ſæpius ſapit, & ob id ingrata.

GALLINAGO Minor. *Ornithologorum* Scopax. Claſſis Nat. Avium. Ordo Grallarum. Scopax *Gallinago.* *Germ.* Mooſſchnepf. Bécaſſine *Gallis.*

SCOPAX *roſtro recto, apice tuberculato, pedibus fuſcis, lineis frontis fuſcis quaternis.* Tenera, ſapida, excellens caro, difficilis tamen digeſtionis cenſetur.

OTIS *Ornithologorum.* Claſſis Nat. Avium. Ordo Grallarum. Otis *tarda.* *Germ.* Trap. *Gallis* Otarde. *Anglis* Buſtard.

OTIS *jugulo utrinque criſtato.* Hungariæ familiaris, etiam menſis ibi eximia: juvenis, licet tenerior, aeri exponenda, adultior nobis aceto maceratur, valens eſt, ſed plurimum dat nutrimenti.

RALLUS *Ornithologorum.* Claſſis Nat. Avium. Ordo Grallarum.

Rallus *Aquaticus.* *Germ.* Waſſer Hennl. *Gallis* Rasle d'eau.

RALLUS *alis gryſeis, fuſco maculatis, hypochondriis albo maculatis.* Seligi juvenis, pinguis, odore paludoſo carens, debet, ſatis difficulter digeritur, multum tamen nutrit.

Rallus *Crex.* *Germ.* Wachtel König. *Gallis* Roi de cailles.

RALLUS *alis rufo ferrugineis.* Inter regias dapes recenſetur, juvenis, pinguis, aere maceratus.

SCOLOPAX *Ornithologorum.* Claſſis Natur. Avium. Ordo Grallarum.

Scolopax *Ruſticola.* *Germ.* Waldſchnepf. *Gallis* Bécalie.

SCOLOPAX *roſtro recto, laevi, pedibus cinereis, femoribus tectis, faſcia frontis nigra.* Carnem excellentem, nutrientem habet, palati in menſis delicias. Avis haud exenterata eſtur, difficilius tamen, quam carnium albarum aves, digeritur, valet in acrimonia acida in cibo.

Hujus plurimæ adhuc aliæ ſpecies uſitatæ.

VANELLUS. *Ornithologorum* TRINGA. Claſſis Nat. Avium. Ordo Grallarum.

TRINGA *Vanellus.* *Gallis* Vanneau.

TRINGA *pedibus rubris, criſta dependente, pectore nigro.* In Gallis æſtimata avis, aere macerata facile digeritur, mediocriter alit. Ova Belgis in deliciis ſunt.

TRINGA *ſquatarola, roſtro nigro, pedibus vireſcentibus, corpore gryſeo, ſubtus albido.* Prior delicatior. Sunt adhuc aliæ menſis adhibitæ harum ſpecies.

GALLINÆ.

COTURNIX. *Ornithologorum* Tetrao. Claſſ. Nat. Avium. Ordo Gallinarum.

Tetrao *Coturnix.* *Germ.* Wachtel. *Gallis* Caille. *Anglis* Quail.

TETRAO *pedibus nudis, corpore gryſeo, maculato, ſuperciliis albis, margine lunulaque ferruginea.* Exquiſita horum olim eſca etiam hodie expetita eſt, facilis digeſtionis & boni nutrimenti.

GALLUS GALLINACEUS, & Gallina. *Ornithologorum* Phaſianus. Claſſis Natur. Avium. Ordo Gallinarum. *Germ.* Hahn, Henne. *Gallis* Coq, Poule.

PHASIANUS *cauda compreſſa, aſcendente.* In hac familia fœminæ præſtantiores; juniores carnem habent ſapidam, boni ſucci, & multi nutrimenti, reconvaleſcentibus utilem: annoſæ juſculis nutrientibus adhibentur, caro non eſtur durior. Iunior pullus ſalubris, gallinæ præferendus. Eſt etiam multæ æſtimationis caponis caro. nutrientiſſima, maxime Stirenſis; nec gallus gallinaceus menſis in integrum proſcriptus.

Criſtæ galli gallinacei ferculum largiuntur exquiſitum; annoſus juſculum dat nutriens.

PHASIANUS *Meleagris.* Perlhan *Germ. Vertice calloſo, temporibus carunculatis.* Carnem ſapidiſſimam largitur, dum aeri aliquantulum exponitur, ut ſemper id neceſſe.

PHASIANUS *colchicus.* *Germ.* Faſan. *Gallis* Phaiſan. *Ruffus capite caeruleo.* Mas fœminæ potior, & hic juvenis, pinguis, delicatiſſimus, facilis digeſtionis, boni ſucci, & plurimi alimenti.

GALLINA Corylorum. *Ornithologorum* Tetrao. Claſſis Naturalis Avium. Ordo Gallinarum.

TETRAO *Bonaſia.* Haſelhun, *pedibus hirſutis, rectricibus cinereis, punctis nigris, faſcia nigra, exceptis intermediis duabus.* Optimis appoſita menſis perdice delicatior, etiam facilius digerenda, plena boni & alibilis ſucci.

GALLOPAVO. *Ornithologorum* MELEAGRIS. Claſſ. Nat. Avium. Ordo Gallinarum. *Germ.* Indian. *Gallis* Coq. d'Inde.

MELEAGRIS *Gallopavo, capite caruncula frontali, criſta gulari, maris pectore barbato.* Sapidam carnem habet, facilis digeſtionis, multi nutrimenti: attenuatis reconvaleſcentibus utiles, juvenes in cibo delicatuli, annoſi in juſculo melius dantur. Caſtrati in hac ſpecie optimi.

LAGO-

LAGOPUS. *Ornithologorum* TETRAO. Claſſis Nat. Avium. Ordo Gallinarum.

Tetrao *Lagopus*. *Germ.* Schneehuhn.

TETRAO *pedibus lanatis, remigibus albis, rectricibus nigris apice albis, intermediis totis albis.* Non infima, inter delicatas, avis.

PERDIX CINARCA. *Ornithologorum* Tetrao. Claſſis Naturalis Avium. Ordo Gallinarum.

Tetrao *Perdix*. *Germ.* Rebhuhn. *Gallis* Perdrix. *Anglis* Common partridge.

TETRAO *pedibus nudis, macula nuda coccinea pone oculos, cauda ferruginea, ſterno brunneo.* Æſtimatiſſima delicatulis menſis, bene nutrita, juvenis, & aliquot diebus aeri expoſita perdix, facilis digeſtionis, & multi eſt alimenti. Juſcula ex his confecta reſtaurant extenuatos, & reconvaleſcentes, & perdicis carnem temperatam ſucci bonitate & concoctionis facilitate præſtantem jam olim experientia GALENUS edixit.

UROGALLUS MAIOR. *Ornithologorum* Tetrao. Claſſis Nat. Avium. Ordo Gallinarum.

Tetrao *Urogallus*. *Germ.* Auerhahn.

TETRAO *pedibus hirſutis, rectricibus exterioribus brevibus, axillis albis.*

UROGALLUS MINOR. *Ornithologorum* Tetrao. Claſſis Nat. Avium. Ordo Gallinarum.

Tetrao *Tetrix*. Birkhan.

TETRAO *pedibus hirsutis, cauda bifurca, remigibus secundariis basim versus albis.* Caligulæ in victimas olim oblatæ aves, sapidissimæ sunt, valentes tamen, duræ, aeri exponendæ semper, cæterum bonum dant alimentum.

PASSERES.

ALAUDA *Ornithologorum.* Classis Naturalis Avium. Ordo passerum. *Germ.* Feldlerche. *Gallis* Alouette, Mauviette. *Anglis* Common fieldlarck.

ALAUDA *rectricibus extimis duabus, extrorsum longitudinaliter albis, intermediis interiori latere ferrugineis.* Sapida, multi & facilis nutrimenti autumno est, tamen calculosis noxia, LINNÆUS, etiam podagricis *Acad. N. C.*

ALAUDA capite vitta annulari alba cincto, *arborea. Germ.* Waldlerche.

ALAUDA *pectore lutescente punctis atris,* Brein-Vogel, Schmal-Vogel *Austriacis.* Priori inferiores.

AVIS NIVIS. *Ornithologorum* EMBERIZA. Classis Natur. Avium. Ordo Passerum.

EMBERIZA *nivalis remigibus albis, primoribus extrorsum nigris, rectricibus nigris, lateralibus tribus, albis.* Sapidissima avis in Alpibus Lapponicis, & Spitzbergicis, invenitur.

COLUMBA *Ornithologorum.* Claſſis Natur. Avium. Ordo Paſſerum. *Germ.* Haustaube. *Gallis* Pigeon privé. *Anglis* Common Pigeon. Dove.

COLUMBA *domeſtica*, junior, optima, adultior coriacea, difficilis digeſtiouis, pravi etiam ſucci, melancholicis, bilioſis vetita.

USUS MEDICUS multus, in apoplexia, lethargo, capiti, in febribus, pedibus, mediæ diſſectæ columbæ viventes applicantur. Stercus ſiccum pulveratum, rubefaciens eſt, rheumatiſmo utile, brachio melle, inuncto, inſperſum; coctum in aceto, cum farina dat cataplaſma reſolvens, diſcutiens.

COLUMBA *Turtur. Germ.* Turteltaube. *Gallis* Tourtorelle. *Anglis* Turtledove.

COLUMBA *turtur* ejusdem, ac domeſtica uſus, & ſylveſtris, & domeſtica habetur; utriusque caro priori tenuior, ſapidior.

COLUMBA *Palumbus. Germ.* Wildtaube, Ringeltaube.

COLUMBA *Palumbus torquatus*, prioribus deterior, magis coriaceus.

FICEDULA. *Ornithologorum* MOTACILLA. Claſſis Nat. Avium. Ordo paſſerum.

Motacilla *ficedula*, *Gallis* Béc-figue, *Italis* Beccafigo.

MOTACILLA *ſubfuſca*, *ſubtus alba*, *pectore cinereo*, *maculato*, alitur ficubus, & uvis. Sapida, præſtans avicula, multi alimenti, facilis digeſtionis, etiam Hortulano aliquibus præpoſita.

HOR-

HORTULANUS. *Ornithologorum* EMBERIZA. Claſſis Nat. Avium. Ordo Paſſerum.

EMBERIZA *remigibus nigris, primis tribus margine albo, rectricibus, lateribus duobus extrorſum nigris.* In migratione per Auſtriam capitur delicatiſſima avis, & menſis adbibetur ſapida, nutriens. Fringillarum etiam plurimæ ſpecies, ut & motacillarum in uſu menſarum haud exquiſitiori habentur.

MERULA. *Ornithologorum* TURDUS. Claſſ. Natur. Avium. Ordo Paſſerum.

TURDUS *Merula. Germ.* Amſel. *Gallis* Merle.

TURDUS *ater, roſtro palpebrisque fulvis.* Juvenis, pinguis, non adeo facilis digeſtionis, multi tamen ſucci. Inferior in integrum turdo *pilari.*

MERULA TORQUATA. *Ornithologorum* Turdus. *Germ.* Ringel-Amſel.

TURDUS *torquatus nigricans, torque albo, roſtro flaveſcente:* Priori non comparandus.

STURNUS *Ornithologorum.* Claſſ. Nat. Avium. Ordo Paſſerum.

Sturnus *Vulgaris. Germ.* Starl. *Gallis* Etourneau.

STURNUS *roſtro flaveſcente, corpore nigro, maculis albis notato.* Rara in menſis avis, & nonniſi juvenis pinguis admittenda.

TURDUS *Ornithologorum.* Claſſ. Nat. Avium. Ordo Paſſerum. *Germ.* Kranawet. *Gallis* Grive.

TURDUS *pilaris rectricibus nigris, extimis margine interiore apice albicantibus capite uropygioque cano.* Inter

Inter ſocias delicatiſſimus, optimis expetitus menſis, juvenis, carnoſus, tempore frigido captus, ſanis, & reconvaleſcentibus recommendatur.

TURDUS *Muſicus.* Wald-Dreſchel. *Auſtri.*

TURDUS *alis ſubtus ferrugineis, linea ſuperciliorum albicante.*

TURDUS *Viſcivorus minor.* Weis-Dreſchel. *Auſtriacis.*

Hæ inter minutulas aves recenſentur. Poſſent adhuc addi aliæ ſexcentæ.

AMPHIBIA.

Peſſima, tetraque animalia corde uniloculari, uniaurito, pulmonibus arbitrariis, pene duplici, dignoſcuntur L.

ACIPENSER *Amphibiologorum.* Claſſ. Natur. Amphibiorum. Ordo Nantium.

Acipenſer *Sturio. Germ.* Schirck. *Gallis* Eſturgeon. *Anglis* Sturgeon.

ACIPENSER *cirris quatuor, ſquammis dorſalibus duobus.*

Iam SEVERI Imperatoris ævo a coronatis miniſtris præeunte tibicine ad epulas ferebatur teſte hiſtoria, hodie noſtris vix tanta ceremonia aſportatur. Validis viſceribus multi nutrimenti.

ACIPENSER *Tucka. Germ.* Tück.

ACIPENSER *rostro obtusiusculo, ordinibus quinque squammarum ossearum, intermedio ossiculis decem.* KRAM. Non ingrata caro, pinguis, multum alit. Sequenti tamen multum inferior.

HUSO. *Amphibiologorum* ACIPENSER. Class. Nat. Amphibiorum. Ordo Nantium.

Acipenser *Huso. Germ.* Hausen. *Anglis* Isinglassfisch.

Sapidissimam carnem vitulinæ similem mensis, Ichthyocollam œconomicis largitur.

LAMPETRA. *Amphibiologorum* PETROMYLON. Class. Nat. Amphibior. Ordo Nantium. *Gallis* Lamproye.

PETROMYLON *Marinus ore intus barbato, pinna dorsali posteriore, a cauda distincta.*

PETROMYLON *fluviatilis* pinna dorsali posteriori angulata.

Edulis uterque, anguilla minus pinguis, firmus magis, sapit, & alit multum, jam veteribus laudatus, & nobis adhuc hodie expetitus.

RAIA *Amphibiologorum.* Class. Nat. Amphibior. Ordo Nantium.

Raia *clavata. Gallis* Ray-bouclée.

RAIA *dentibus tuberculosis, cartilagine transversa ventrali.* Aliis speciebus minor non ideo minus delicata. Edules raiæ aliæ, ut & hæc, aere macerandæ, ut harum mollescat caro, quæ tunc sapida, grata palato, diffici-

difficilis tamen eſt digeſtionis; plurimi vero nec cito diſſlabilis nutrimenti; diutius macerata alcalina eſt.

RANA *Amphibiologorum.* Claſſ. Nat. Amphibiorum. Ordo Reptilium.

RANA *eſculenta.* *Germ.* Waſſerfroſch. *Gallis* Grenouille. *Anglis* Frosh.

RANA *corpore angulato, dorſo transverſe gibbo, abdomine marginato.* Grata, non multi ſucci eſt.

TESTUDO *Amphibiologorum.* Claſſ. Nat. Amphibiorum. Ordo Reptilium.

Teſtudo *Mydas.*

TESTUDO *pedibus pinniformibus, unguibus palmarum binis, plantarum ſolitariis, teſta ovata.* Marina hæc, carnem virideſcentem eſculentam habet.

TESTUDO *Lutaria, paluſtris. Germ.* Waſſer-Schildkrott. *Gallis* Tortue d'eau douce. *Anglis* Water Tor Toiſe.

Etiam eſculenta.

TESTUDO *Terreſtris.* *Germ.* Erdſchildkrott. *Gallis* Tortue de terre. *Anglis* Commonland Tortoiſe.

Optima cenſetur, validi tamen, & boni nutrimenti.

Phthiſicos plures juſculis ex teſtudinum & ranarum carnibus confectis, ſervavit *Cl.* BIANCHI *diſcorſo, ſu il vitto Pythagorico.*

VIPE-

VIPERA. *Amphibiologorum* COLUBER. Classis Naturalis Amphibiorum. Ordo Serpentum. *Anglis* Viper.

COLUBER *Vipera:* Caro anguillæ carni par, magis salubris, raro tamen, & non nisi in scopum medicum adhibita. Alia vide de venenis.

PISCES.

Aquei elementi incolæ, vestiti squammis, bronchiis respirantes, pinnis natantes, palpebris, auribus, collo, artubus, destituti cognoscuntur.

APODES.

ANGUILLA. *Ichthyologorum* MURÆNA. Classis Naturalis Piscium, Ordo Apodum.

MURÆNA *Anguilla. Germ.* Aal. *Gallis* Anguille. Muræna unicolor, maxilla interiore longiore.

Deses, & ob id pinguis, multum alit sapida anguilla, sed difficile digeritur delicatulis, sedentariis.

Officinis laudata bilis anguillæ.

JUGULARES.

ASELLUS. *Ichthyologorum* GADUS. Classis Natur. Piscium. Ordo Jugularium.

Gadus *Morrhua. Germ.* Stockfisch. *Gallis* Morue. *Anglis* Morhuan.

GADUS *dorso tripterygio, ore cirrato, cauda subaequali, radio ani primo spinoso.* Recens multi est ali-

alimenti, ſalitus, ſiccatus, difficilis digeſtionis, & pauci.

DRACO marinus. *Ichthyologorum* TRACHINUS. Claſſis Natur. Piſcium. Ordo Jugularium.

Trachinus *Draco*. De la vive *Gallis*. Pieterman *Belgis*.

TRACHINUS Belgis, & Gallis in uſu, carnem albam ſapidam habet, GRONOVIUS *Acta Upſal.* 1742. Multum nutrit, facilis etiam digeſtionis. Radios ſpinoſos in dorſo habet pungentes venenatiſſimos, quibus ſeſe contra piſcatores defendat, poſt mortem æque venenati perhibentur.

MERLANGUS. *Ichthyologorum* GADUS. Claſſ. Nat. Piſcium. Ordo Jugularium.

Gadus *Merlangus*. *Gallis* Merlan. *Anglis* Whiting.

GADUS *dorſo tripterygio*, *ore imberbi*, *maxilla ſuperiore longiore*. Sapidus facile in ſtomacho ſolvitur, & in membra digeritur.

MUSTELA fluviatilis. *Ichthyologorum* GADUS. Claſſis Natur. Piſcium. Ordo Jugularium.

Gadus *lota Germ.* Aal-Rutte.

GADUS *dipterygius*, *cirratus*, *maxillis aequalibus*. Laxa caro facile deliqueſcens, probe nutrit.

SILURUS. *Ichthyologorum* GADUS. Claſſis Natur. Piſcium. Ordo Jugularium.

Gadus *Mediterraneus*. *Germ.* Schelden. *Anglis* The Shoat-Fiſch.

GADUS *monopterygius*, *cirris maxillae ſuperioris duobus*, *inferiore unico*. Caro utilis boni alimenti, huſoni ſuccedit.

THORACICI.

AMIA. *Ichthyologorum* SCOMBER. Claſſis Natur. Piſcium. Ordo Thoracicorum.

Scomber *Amia*. *Gallis* Labiſe..

SCOMBER *dorſo dypterygio*, *oſſiculo ultimo*, *pinnae dorſalis ſecundae*, *praelongo*. Tenera, pinguis, ſapida caro, boni eſt ſucci.

COTTUS *Ichthyologorum*. Claſſ. Nat. Piſcium. Ordo Thoracicorum.

Cottus *Gobio*. Koppe *Germ.*

COTTUS *laevis*, *capite ſpinis duabus*. Parum carnis, non ingratæ tamen habet.

LUCIO PERCA. *Ichthyologorum* PERCA. Claſſis Naturalis Piſcium. Ordo Thoracicorum.

Perca *Lucio perca*. *Germ.* Schill.

PERCA *pallide maculoſo*, *duobus dentibus maxillaribus utrinque majoribus*. Sapidus piſcis. His addi perca *Zingl*, & aliæ uſitatæ poſſunt.

MUL-

MULLUS *Ichthyologorum.* Claſſis Nat. Piſcium. Ordo Thoracicorum.

Mullus *barbatus.* *Gallis* Barbeau.

MULLUS *cirris geminis, corpore rubro.* Hoc nihil ſapidius jam Romanis inventum, nobis adhuc in menſis laudatur piſcis, boni ſucci, mediocris nutrimenti, facilis digeſtionis. Ova menſis amovenda, haud ſalubria, GESNER.

PERCA *Ichthyologorum.* Claſſis Natur. Piſcium. Ordo Thoracicorum.

Perca *fluviatilis.* *Germ.* Perſchling. *Gallis* Perche. *Anglis* Pearch.

PERCA *lineis utrinque ſex nigris, pinnis ventralibus rubris;* cibo ſalutaris cum petroſelino L. mediæ ætatis perca jam olim in menſarum deliciis fuit, multum alit, boni ſucci, facilis digeſtionis.

RHOMBUS. *Ichthyologorum* PLEURONACTES. Claſſis Natur. Piſcium. Oroo Thoracicorum.

Pleuronactes-*Rhombus.* *Gallis* Turbot.

PLEURONACTES *oculis ſiniſtris, corpore glabro.* De hujus piſcis bonitate jam DOMITIANI tempore conſultum. Sapidiſſimus eſt, facilis digeſtionis, boni nutrimenti.

SCOMBER *Ichthyologorum.* Claſſis Naturalis Piſcium. Ordo Thoracicorum.

Scomber *Scombrus.* *Gallis* Maquereau.

SCOMBER *pinnulis V.* Mensarum in Gallis deliciæ, difficilis digestionis, nec nimium laudabilis succi.

SOLEA. *Ichthyologorum* PLEURONACTES. Classis Natur. Piscium. Ordo Thoracicorum.

Pleuronactes *Solea.* *Gallis* Sole.

PLEURONACTES, *maxilla superiore longiore, corpore oblongo, squammis utrinque asperis.* Exquisitus piscis, & salubris, carnem teneram, salubrem, parum viscosam tamen habet, facile digerendam & multum nutrientem. Non optimæ soleæ marinæ recentes. Etiam ægris dantur, HORSTIUS.

THYNNUS. *Ichthyologorum* SCOMBER. Classis Natur. Piscium. Ordo Thoracicorum.

Scomber *Thynnus.* *Gallis* Thon.

SCOMBER *pinnulis utrinque VIII.* In deliciis abdomen, sed indigestum. Caro multum alit robustos.

Ex hac familia adhuc plurimi, plurimum in usu: Pleuronactes, Platessa, Flesus, Limanda, Linguatula, Passer, qui omnes plurimum nutriunt, & boni sunt succi.

ABDOMINALES.

CLUPEA *Ichthyologorum.* Classis Naturalis Piscium. Ordo Abdominalium.

Clupea *alosa.* *Germ.* Elsen. *Gallis* Alose. *Anglis* Shad.

CLUPEA *apice maxillae superioris bifido, lateribus maculatis.* Delicatissimus piscis, in aquis dulcibus

cibus captus; recens non diu ſervatur, alias enim alcali ſapit, facilis eſt digeſtionis, & boni ſucci.

CLUPEA *Halex*, ſeu *Halengus*. Haring *Germ.* Harang. *Gallis.*

CLUPEA *maxilla inferiore longiore, maculis nigris carens.* Recens, non ſalitus, ſapidus, delicatulus, facilis digeſtionis. Salitus difficilioris, difficillimæ fumo induratus, exſuccus. Muriam halecis in clysmate datam in iliaca paſſione valere. *Acad. N. C. Vol. IX.*

CLUPEA *Encraſiculus. Germ.* Sardellen. *Gallis* Anchois. *Anglis* Anchovy.

CLUPEA *maxilla ſuperiore longiore.* Recens optima, ſapidiſſima, tum abſciſſo capite exenterata, condita ſale, aliorum piſcium condimentum, multum excitandi appetitus cauſa adhibita.

COBITIS *Ichthyologorum.* Claſſis Nat. Piſcium. Ordo Abdominalium.

Cobitis *Barbatula. Germ.* Grundl. *Gallis* Goujon.

COBITIS *Cirris oris 6, capite inermi, compreſſo.* Mediocriter alit ſapidus, facilis digeſtionis piſcis.

Cobitis *Taenia. Germ.* Steinbeisl.

COBITIS *Cirris oris 6, aculeo infra oculos bifurco.* Priori inferior.

Cobitis *foſſilis.* Nobis Pisgurn.

COBITIS *Cirris oris 8, aculeo ſupra oculos bifurco.* Carnis ſubfuſcæ, paucæ, multus in Hungaria uſus, nec adeo utilis, nec guſtu jucundus.

CYPRINUS *Ichthyologorum.* Claſſis Natur. Piſcium. Ordo Abdominalium.

Cyprinus *Carpio. Germ.* Karpfe.

CYPRINUS *Cirris 4, oſſiculo tertio pinnarum dorſi, axique, uncinulis armato.* In ſtagnis, lacubus, piſcinis, multa hujus piſcis educatio: Cypriorum rex, Danubii incola, ætatem conſecutus, inter diverſas ejus ſpeciès optimus. Cæterum in hac familia mares, quod compactiorem carnem habeant, præferuntur. Facilis digeſtionis, mediocris nutrimenti.

Cyprinus *Brama. Germ.* Gareiſel. *Gallis* Braime.

CYPRINUS *pinnis omnibus fuſcis, pinna axi radiis 27.* Alibi lacuum, apud nos Danubii civis, 7. 8. 9. librarum ponderis delicatus piſcis.

Cyprinus *Tinca. Germ.* Schlein. *Gallis* Tanche. *Anglis* Tenſch.

CYPRINUS *axi radiis 11. cauda integra, corpore mucoſo.* Vulgi ſolatium Tinca, ſatis ſapida mediocriter alit; bona ex hac juſcula fiunt, externe icteri magnes dicitur, umbilico applicata, confirmante LINNÆO. Gluten hic piſcis habet, ichthyocollæ non inferius, BRADLEY *a Courſe upon the Materia Medica* Conſumptioni obnoxiis, exulceratis prodeſt, IDEM.

Cyprinus *Aſpius. Germ.* Schied.

CYPRINUS *pinna axi radiis 15. 16. maxilla inferiore longiore incurva.*

Cyprinus *Cultratus.*

CYPRINUS *pinna axi radiis 30. maxilla inferiore longiore incurva*, prioribus inferiores. His ex eodem genere

genere nobis usitati plurimi addi possunt: Aphia, Rutilus, Erythrophthalmus, Alburnus, Vimba.

LUCIUS *Ichthyologorum* Esox. Classis Natur. Piscium. Ordo Abdominalium.

Esox *Lucius*. *Germ.* Hecht. *Gallis* Brochet. *Anglis* Pike.

ESOX *rostro depresso, subaequali.* Rivorum optimus, carnis foliaceæ, sapidæ, facilis digestionis, mediocris alimenti.

MUGIL *Ichthyologorum.* Classis Nat. Piscium. Ordo Abdominalium.

MUGIL *Cephalus. Gallis* Muga. Muellet *Anglis.*

Etiam edulis, magis tamen adhibentur ova, quæ sale condiuntur: ferculum *Botarso* Itali dicunt.

SALMO *Ichthyologorum.* Classis Nat. Piscium. Ordo Abdominalium.

Salmo *Salar.* *Germ.* Salm. Lax. *Gallis* Saumon. *Anglis* Salmon.

SALMO *rostro ultra inferiorem maxillam prominente.* Sapidus, subpinguis brevi satians, delicatus tamen non salitus, sed valens & multum nutriens.

Salmo *Germ.* Heuch.

SALMO *dorso brunneo, maculis nigris lateralibus, ventreque albis.* Laudabilis est.

Salmo *Trutta.* *Germ.* Laxforel.

SALMO *ocellis nigris, iridibus brunneis, pinna pectorali punctis 6.* Exquisitus piscis.

Salmo *Fario. Germ.* Forell. *Gallis* Truitte.

SALMO *maxilla inferiore ſublongiore, maculis rubris.* Carne firma compacta, æſtate optimus, facilis digeſtionis, boni alimenti.

Salmo *Salvelinus.*

SALMO *maxilla ſuperiore longiore.* Grada ſapiditate cum Salmone Trutta, Thymallo, ad minimum certat, ſi non ſuperet, caro granulata, butyracea, facilis digeſtionis, optimi nutrimenti.

Salmo *albula. Germ.* Reinankl.

SALMO *maxillis edentulatis, inferiore longiore.* Inter congeneres infimus fere, apud nos ſolum habetur fumo induratus, exſuccus, non adeo ſapidus.

Salmo *Thymallus. Germ.* Aſch. *Gallis* Ombre.

SALMO *maxilla ſuperiore longiore, pinna dorſi radiis 23.* Caro delicioſa facilis digeſtionis, boni ſucci, ut etiam ægris concedatur.

Aliæ adhuc ſpecies aliis regionibus ſapidæ, & edules.

INSECTA.

ANIMALCULA polypoda, poris lateralibus reſpirantia, cute oſſea, cataphracta, antennis mobilibus, ſenſoriis, capitis L.

CANCER *Entomologorum.* Claſſis Natur. Inſectorum. Ordo apterorum.

Cancer *Pagurus. Germ.* Meerkrebs. *Gallis* Cancre de mer, crabe. *Anglis* Crabbe.

CANCER *brachiurus, thorace utrinque obtuſe noveplicato, manibus apice atris.* Difficilis duraque caro

ro aromatiſari multum, & multum coqui pro ventriculo debet. Ex hoc officinæ chelas habent.

CANCER *aſtacus. Germ.* Waſſer-Krebs. *Gallis* Ecreviſſe de riviere. *Anglis* Crayfiſch.

CANCER *macrourus, thorace laevi, roſtro lateribus dentato, baſi utrinque dente unico.* Delicatiſſimus lacte nutritus. Notari meretur, frequentiorem hujus uſum ſanguinem diſſolvere, ſæpe hæmoptoen facere & phtiſim inducere.

VERMES.
MOLLUSCA.

Tardigrada, mollia, pandentia, vivaciſſima, redintegranda, humidi animantia, acephala, apoda, androgyna tentaculis dignoſcenda.

LIMAX *Syſtematis Natur.* Claſſis Nat. Vermium. Ordo Molluſcorum.

Limax *maximus. Germ.* Schneck. *Gallis* Eſcargot. *Anglis* Snail.

LIMAX *cinereus maculatus.* Antiphthiſicum incraſſans eorum juſculum multis habetur. Eſt tamen maxima in his cautela opus. Vide *Illuſtr.* L. B. VAN-SWIETEN *Comment.* T. I.

SEPIA *Syſtematis Natur.* Claſſis Nat. Vermium. Ordo Molluſcorum. *Anglis* Skuttle-Fiſch.

SEPIA *octopoda. Corpore caudato, tentaculis nullis.* Rubentem ex ſuo condimento, quod coctione cum nitro in rubrum vertitur, apponi in cibo debere LINNÆUS. Carnem duram, coriaceam, haud exquiſiti

guſtus habet, nutrit tamen multum, viſceribus fortibus probe ſubacta, alvum adſtringit, HIPPOCRATES.

Sepia *officinalis;* os ſepiæ, & atramentum, quod etiam aliæ largiuntur, concedit; in oſſe ſepiæ, ſubadſtringens vis prædicatur.

VERMES.
TESTACEA.

MYTILUS *Syſtematis Natur.* Claſſis Natur. Vermium. Ordo Teſtaceorum.

Mytilus *edulis.* *Germ.* Muſchel. *Gallis* Moule.

MYTILUS *teſta laeviuſcula violacea, valvulis obliquis poſtice acuminatis.* Marina optima, ſapida, vix multum nutriens, difficilius digerenda. EPHEMERIDUM N. C. Vol. VII. morbos contrahere mytilos mortalibus edentibus periculoſos. Factum exemplis confirmatum eſt *ibidem*, ut magiſtratuum vigilantia pro ſalute civium interpellatur.

OSTREA *Syſtematis Natur.* Claſſ. Natur. Vermium. Ordo Teſtaceorum.

Oſtrea *edulis.* *Germ.* Auſtern. *Gallis* Huitre. *Anglis* Oyſter.

OSTREA *teſta ſemiorbiculata, valva altera plana, altera elatiore.* Multorum deliciæ, differentiam magnam patiuntur; virides optimæ, in ventriculo facile deliqueſcunt, bilioſis, quos parum nutriunt, convenientes, recommendantur etiam a medicis ſcorbuto, podagra laborantibus: ad ignem induratæ ſtomacho inimicæ, crudis deteriores GODFREY *Treaſure of uſeful Diſcoveries.* Oſtrocodermata egregie abſorbentia ſunt.

ANIMA-

ANIMALIUM PRODUCTA.

LAC univerſalem, ſeu in alimentis, ſeu in medicamentis uſum ab omni tempore habuit.

Lacte mero veteres uſi memorantur, & herbis,
Sponte ſua ſi quas terra ferebat.

ait OVID. L. 4. Faſtor.

Lacte ſolo alimento vixiſſe plures, paſſim hinc inde PLINIUS, TACITUS, JUSTINUS, CÆSAR, memorant: GALENUS *l. 5. de Sanit. tuenda Cap. 7.* exemplum excitat hominis centum conſecuti annos, & lacte maxime viventis; & hodie adhuc ad ſeptentrionem multi ſunt, quibus lac, & lactis producta, butyrum & caſeus omnia ſunt. Recte igitur VARRO omnium alimentorum lac voluit eſſe nutrientiſſimum: eſt enim lac ex ingeſtis jam elaboratus, & excoctus humor, non per modum putrefactionis, ſeu puris, veluti placuit EMPEDOCLI apud ARISTOTELEM, ſed per modum perfectionis, utpote quæ ſubſtantia optima ſit conſtituendo noſtro corpori, cum ſit conſociabilis omni naturæ.

Nec infima ſane hæc lactis laus eſt, quod omnes neo-nati tam hominum, quam fere animalium, lacte nutriantur, creſcant, & quod omnis ita dicendo homo, omne animal, proprio lacte vivat, & nutriatur, & ex eo ſolo omnia reliqua ſolida, & fluida vi vitæ per-

perficiat: eſt enim in viris æque, ac fœminis omnium animalium ſemper præſens lac, licet nunquam pepererint, nunquam nutrices fuerint; ſic ex ſexagenario ſene, ſola ſuctione, lac eductum narratur in *Miſcell. Natur. Curioſ. Decad. II. Anni Vti* in Appendice; ex aliis alii.

Ex his vero, quæ hactenus de lacte dicta ſunt, intelligitur facile, lac eſſe, & ex aſſumtis, & ex admixtis humoribus animalibus, præparatum liquidum, hinc primo mediæ eſſe naturæ inter vegetabile & animale in animalibus, quæ gramine, & vegetabilibus aliis veſcuntur. Secundo pro vi & differentia aſſumtorum lac diverſum eſſe, ex illis enim chylus melior, vel deterior, dulcis, vel amarus, mitis, vel acer fit, ex hoc tale lac; qualia enim ingeſta, talis chylus, qualis chylus, tale lac, & ſanguis, aſſertum quotidiana obfirmat experientia: menſis Maji lac, ut & butyrum omnium optima ſunt, quia hoc tempore vaccæ comedunt naſcentes & novas quaſi herbas, quæ illas magis quam exſuccum gramen reficiunt; notaverat jam GALENUS caprarum lac purgare, quia hæ ſcammoneo, & tithymalis veſcerentur, neque hodie id novum eſt, infantulos purgari dato medicamento ſoli nutrici. Tertiam differentiam lac recipit, prout ex eodem animali vario tempore emulgetur, prout animal ipſum, quod hoc conficit, temperatius, & valentius eſt, tum ex multis aliis circumſtantiis aliis differentias patitur.

Non ſolum ipſum lac, ut jam ante dixi, ſed etiam ejus partes a ſe invicem ſeparatæ, & in uſum alimentarem, & in medicum veniunt. Notum enim eſt, lac tribus componi, parte butyroſa, caſeoſa, & ſeroſa, hæcque tria plus minus in omni lacte ſano obtinent: Butyrum

tyrum ex lactis cremore, seu parte ejus pingui, & oleosa fit, caseus coagulum lactis est, ablato butyro, & sero; serum aqua lactis. Qua mechanice hæ partes a se invicem separentur, lac cogatur, ita elaboretur, hic loci dicere non attinet, cum hæc omnibus notissima sint; hoc tantum hic volo, eximium lactis, & ejus productorum, tum in alimentis tum in medicina usum esse, de quo ultimo jam latius agemus.

Ab omni tempore pro usu medico hi gradus bonitatum lactis diversorum animalium observati sunt, ita, ut primum semper haberetur lac humanum, huic succederet asininum, post caprinum, dein vaccinum. Atque tum semper, ubi interitura præ debilitate corpora vellent reficere & refocillare, pro primo hoc scopo omnium optimum invenere lac humanum, utpote naturæ nostræ maxime analogum, & omni lacti aliorum animalium, si haberi potest, præferendum.

Debet vero lac illud esse fœminæ sanæ, quæ salubri motu corpus exercet, & victu laudabili utitur, & integro ætatis flore viget: omnium optimum, si 4 vel 5 post pastum horis ducatur, tunc enim chylus in lac totus jam mutatus est, & alimentorum indole deposita incipit humanam induere naturam: ingens est enim differentia, prout lac vario post ultimum pastum tempore ducitur: quod statim post ingestos cibos & potus in mammis colligitur, crudum est, & multum de ingestorum indole retinet: quod duodecim ab ultimo pastu horis evocatur, tenue, subflavescens, fœtorem suburinosum fere, instar seri sanguinis habet, atque hæc ratio est, cur primum lac nutricum semper purgans sit, quia serosum fit, diu in mammis hærens: unde patet, intermedio hinc tempore lac optimum esse cæteris paribus.

Alte-

Alterum vero, & id obſervandum eſt, lac ipſum ex uberibus duci debere, aut vaſis receptum illico occludi; videntur enim lacti ineſſe ſubtiliſſimi ſpiritus, ultima concoctione in ſano corpore elaborati; docent hoc tot nervi concurrentes ad chyli, & lactis officinas, ſubtiliſſimus exhalans ex lacte recens mulcto, & adhuc calido, ros: quod jam antiquitas perſpexit, cum moneat GALENUS: „Veteres vero etiam mulierem lactantem illis, qui tabe decumbebant, adſtare voluerunt, quorum ſententiæ & ipſe quoque accedo, & „quod familiare id ſit, & quod, priusquam ab ambiente aere refrigeretur, id ſumi voluerint;„ & alibi, poſteaquam ſimilia præfatus fuerat, lac comparat ſemini genitali, quod nec ipſum aliquamdiu extra propria vaſa, ſi modo ſuam virtutem ſervabit, morari poteſt, ſed vel in maris partibus contineri, vel fœminæ partes tangere debet: & ſane efficaciſſimum lac eſt ex ipſis mammis aere non refrigeratum, hauſtum. Hujus conſilii gnarus CAPIVACCIUS nobiliſſimæ gentis unum heredem ſervavit, dum inter binas florentis ætatis decumbentem nutrices, ubera illarum ducere juſſit: plura de hac felici methodo nobis conſervarunt exempla autores varii; Viennenſibus illud *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN in Regia Stirpe ſumma cum laude confectum ob oculos eſt, aliis illud, quod in T. I. l. IV. obſervationum FORESTI habetur, atque id præter alia hic recenſeri meretur. Juvenis maraſmo vero correptus Bononiæ, juvenculæ nutricis pulcherrimæ ubera ducebat, & in eodem cum illa lecto dormiebat, unde ſic inſtauratum exſuccum corpus fuit, ut metuerent, ne intempeſtiva venere perderet renaſcentes ex lactis uſu vires.

Secun-

Secundo: adhibent hodie lac, per medicamenta medicatum redditum in nutricum corpore Parisienses, etiam, ut dirissimam luem tollant: notum enim est, jam tenellum fœtum culpam turpis matris sæpe luere, & in utero materno luem veneream contrahere; talis infans dum puræ & sanæ nutricis ubera ducit, illi luem communicat ortis latis circa mammas ulceribus & veneno per totum corpus suscepto; ob hanc rationem sanam etiam nutricem mercurialibus imprægnant, ut communicata lacti mercurii vi, misellus servetur; quum vero raræ eæ sint, quæ sibi sanis tale in corpore experimentum fieri velint, etiam res ad animalia translata est, & tale exemplum novi felicis successus; sic etiam alii animalia plantis antiscorbuticis nutriunt, ut sævo scorbuto laborantes lacte antiscorbutico curent.

Extra corpus lac vario modo medicatum fit; hoc modo catharticum lac delicatulis paratum exhibetur, lactis cocti libræ quatuor sumuntur, additur libra semis sacchari, parumper coquuntur, tum totum de die hauritur, multas dejectiones movet.

Ex uberibus supra ramum unum alterumve plantæ alicujus aromaticæ recentis lac etiam emulgeri solet & medicatum reddi; sic supra Mentham mulctum continuos ab assumpto veneno, & vomitorio excusso, vomendi conatus sustulit; & mictui cruento specifice medebatur supra ramum Menthæ rubræ mulctum, & syrupo Cydoniorum satis edulcoratum, calensque quotidie haustum, & spes est, supra salicis grati odoris fungum, qui in phthisi vix non conclamata curanda drachmæ semis, unius dosi, ex ovo sorbili haustus, aut cum saccharo mixtus, tantopere deprædicatur, emulctum lac calensque haustum in eodem morbo multum profuturum.

Ter-

Tertio: celeberrima in arte medendi eſt diæta illa lactea, quæ in variis morbis, ut paſſione hyſterica, tumido abdomine, emaciatis artubus, venere exhauſtis, rheumatismo, podagra rebelli, ut id variis locis teſtatur SYDENHAMUS, & alii egregii viri, ſummi uſus eſt: atque tunc præmiſſo leni purgante, ſi opus, nihil niſi lac aſſumitur; ex uberibus tepidum optimum eſt. A minori doſi in initio incipiendum eſt, & videndum an ventriculus ferat. Ubi fert, libra una mane, dimidia a meridie dari poteſt, tum etiam loco alimenti, & medicamenti vario modo præparatum exhiberi; ſi lacte ſolo vivere ægrum conveniens non videatur medico, etiam juſcula ex carnibus gallinarum contuſis cum aliis herbis coctis, illi permittere poteſt, hoc obſervando, ut ab omnibus acidis abſtineat, cereviſia, vino, & loco hujus potus, decocto hordei, ſcorzoneræ, additis leviter aromaticis, aniſo ſtellato, æger utatur. Secundo, ut lactis coagulum in ventriculo certo certius nociturum impediatur addito ſacchari, ſic V. G. ad libram unam lactis additur uncia una, vel etiam omni veſperi datur blandum abſorbens. Tertio: ut ſi lac alvum fluidam nimis reddat, roborante medicamento non acido ſiſtatur; ſi nimis adſtrictam, interpoſito purgante ex rheo laxetur, aut ſi nimia ventriculi debilitas uſum lactis non ferat, lac virtute roborante florum roſarum rubrarum ſiccatarum, balauſtiorum, Cinnamomi imprægnetur, MEAD *in monit. pract.* & in hanc rem aliquot cochlearia fortis infuſionis menthæ aut etiam ex extracto aquoſo chinæ & maſtiche confecta pilulæ faciant, lactis enim corruptelam & damna præcavent, TYSSOT *de manuſtuprat.* notandum tamen, licet diverſi caſus probent, in morbis ſupra memoratis lactis egregium fuiſſe uſum, in iisdem etiam ſæpius nihil præſtitiſſe certum. Unde prudenter notavit

FON-

FONSECA in morbis a cauſa calida bilioſa prodeſſe, a frigida minus. Exactius *Cl.* BROWNE LANGRISH *The Modern Theory and practice of physic. London. 1738.* ſi a pulmonum tuberculis febris hectica ſit, inutilem lactis aſinini uſum eſſe, cui fere omnes alii adſtipulantur, lac ebutyratum tum magis recommendantes, quod calorem hecticum temperet.

Quarto demum etiam lac in aquis medicatis exhibetur, ut etiam in hordei aqua diluitur, quod *lait coupé* vocant Galli, quod in labe purulenta viſcerum, in ſpasmodicis affectibus, convulſionibus, miros ſæpe effectus præſtat; dum nempe aquis ſelteranis varia doſi lac admiſcetur: ſic quandoque libræ uni aquarum ſelteranarum libra ſemis lactis, quandoque duæ partes lactis cum una aquarum, variis etiam aliis doſibus, & proportione varia, miſcentur, pro variis circumſtantiis, & ægri temperamento, de quibus legi poteſt de *connubio lactis cum aquis medicatis Cl.* HOFFMANNUS. In horum autem uſu id, quod in lactis uſu, cavendum: tum etiam id tenendum, lac tepens vel calefactum his aquis ſemper addi, aquasque aliquantulum eſſe calidas debere, licet tamen & frigidas aliqui aſſumant.

Cæterum in variis adhuc aliis caſibus magnus lactis uſus eſt, tam interna exhibitione quam externa applicatione; ſic dum venenum aſſumptum eſt, lac maxima copia ſæpe exhibetur ſcopo diluente, & demulcente: Cantharidum veneno vaſa urinalia certo afficiente plerumque medetur: tum etiam in clysmatibus per ſe, vel aliis gravidum, cum fructu injicitur; externo uſu emolliente, & molliſſimo adhibetur, ſic cataplasmata ex ſapone veneto in lacte ſoluto ad lateris dolorem bono cum ſucceſſu applicantur: fiunt etiam ex lacte balnea.

Fomentis ex lacte ſaccharato femora variolis infectorum fovere in Suecia receptum, & obſervatum, femora puſtulis quaſi aſſata evadere, dum aliæ corporis partes minori variolarum multitudine afficerentur. LINNÆUS *Amoenit. Acad.* Vol. V. *exanth. viva.*

Hæc de lactis ipſius virtutibus, jam de vi medicata ſingulorum illorum productorum, quæ lac largitur, aliquid dicendum: primo enim lac dat *cremorem*, ſeu florem lactis, præſtantiſſimam nempe lactis partem, pinguedinem ejus, ex qua *butyrum*, quod nihil aliud quam cremoris, ſeu floris coagulatio ſeu coactio in pinguem, & ductilem albam ſubſtantiam: butyrum enim ex pinguiſſima cremoris parte fit: tum eſt lac defloratum: lac ſecundarium, deflorati ſerum; lac *ebutyratum*, *ſeroſum*, idem *acidum*, lac *ſchiſton*, nempe ejus pars caſeoſa a ſero ſeparata, ex qua caſeus; tum demum lactis ſerum.

Quem uſum diverſæ hæ partes in uſu communi habeant, ut & in pharmacia, medicina, chirurgia, omnibus notum eſt; cremor enim, & butyrum balſamorum vim habent, & oleis blandis comparari poſſunt, unde etiam iisdem uſibus adhiberi. Cremor recens lactis cum vitello ovi & ſyrupo violarum mixti aliqua aquæ ſtillatitiæ roſarum copia dilutus inflammatis gingivis prodeſt, van SWIETEN.

Graminis autem digeſti & elaborati ſuccus, *ſerum*, omnium fere lactis partium, maximum in medicina uſum habet, eſt enim ſubſtantia delibatiſſima lactis, a rudiori, caſſiori, caſeoſa, ut & omni pingui craſſiori ſeparata. Unde patet, tum demum ab hoc maximas eſſe exſpectandas vires, dum recenti gramine, & propullulantibus aliis herbis, læte in pratis animalia paſcun-

cuntur, minores longe, dum in ſtabulis incluſa exſuccum gramen manducant; unde etiam ineunte, & adulto jam vere major hujus, quam in hyeme uſus, licet tamen omni tempore ſit non exiguus.

Coagulandi lactis, & parandi ſeri, ſunt variæ apud varios methodi; ſic Florentinis floribus cynaræ lac coagulatur, qua ratione & præſtantiorem caſeum fieri aſſerunt, nec nullo alio coagulo quam floribus cynaræ utuntur: coagulant etiam lac alii galio flore aut albo aut flavo prædito, quod tum vel maxime faciendum, ubi lactis ſerum acidum non poſtulatur; cæterum extemporaneo experimento alii, coloſtro vitulino, acido quocunque vegetabili, ſucco citri, cremore tartari, vino Rhenano, ſucco acetoſæ, & acetoſellæ, tamarindis, ſerum lactis parant; in officinis id quandoque negligentius fit, & acido foſſili cogitur, quod forte non adeo probandum: debet vero lac prius calefieri, tum demum acidum addi, ſic V. G. lactis vaccini recentis menſura una cum dimidia igni admovetur leniſſimo, ut ebulliat, tum additur ſucci citri cochlear haud exiguum, iterum ebulliat, donec coaguletur, quo facto percolatur; ſi acidum nimis fuerit, una circiter oculorum cancrorum drachma ad temperandam aciditatem ſub levi agitatione adjicitur: ſi non ſatis clarum, ſub finem coctionis albumen ovorum additur; ſi palato gratum, ventriculo amicum, magis expetatur, elæoſaccharum citri, aurantiorum &c. additur.

Serum hoc dat pulcherrimum in morbis acutis inflammatoriis refrigerans, diluens, reſolvens, in morbis melancholicis, hypochondriacis, incoctis ad libras aliis herbis fundentibus, cichoreo, taraxaco &c. tum etiam bilioſis, cum tamarindis optimum medicamentum: exhibetur vel ſolum vel cum aliis, calidum,

frigidum, varia nec facile limitanda dosi, pro potu ordinario, medicamentoso.

Paratur adhuc aliud *serum* lactis, quod *artificiosum* vocant, aut *serum* lactis *dulce*, id vero hac ratione fit; sumitur lac recens, sub continua agitatione ad leniorem ignem, ne aduratur, ad pulveris fere consistentiam coquitur, tum demum affusa aqua totum ebullire curant, ut dissolvatur iterum in hac aqua, quo caseosa portio remaneat; dein percolatur, & exhibetur; laudatur vel maxime in omni acrimonia.

SERUM LACTIS VINOSUM paratur, dum lactis libræ aliquot cum vini albi acidi unciis IV. ebulliunt, ut separato collostro purum obtineatur serum. Valet in morbis continuis putridis affatim haustum, & in febri castrensi verminosa vinum, inprimis vero serum lactis vinosum larga copia potatum, profuisse novit van SWIETEN *Comment.* T. IV.

Saccharum lactis, quod ex sero lactis aliquoties cocto, ut omnis pars caseosa eo melius a sero separetur, fit, dum nempe serum sæpius inspissatum, & aqua dilutum in crystallos coactum fuit; nihil aliud est, quam extractum inspissatum seri sal essentiale lactis ab ipso sero ratione principiorum multum diversum; optimæ fiunt ex sero lactis cum vitello ovorum, non acido, parato.

OVA alimentum non extemporaneum præbent, ob id multum a lactis usu deficiunt; albuminis liquor antequam nutriat pullum, ejus vasorum & viscerum actionem experiri debet. Lac vero jam habet humores subtilissimos animali fabrica separatos, & præparatos: sunt tamen etiam pulcherrimi nutrimenti & reficientis ova, quod albumen ovi sero sanguinis humani plu-

pluribus dotibus conveniat, & in ſe habeat materiem, quæ calore incubatus mutata, intra viginti, & unum dies, in ſacculo colliquamenti latens vitale ſtamen pulli in tantam molem fecit excreſcere; nec tamen quis credere debet, ex vitello aliquid pullo acceſſiſſe; ille enim notante poſt ARISTOTELEM HARVÆO intra pulli abdomen conclufus, intactus manet; & hoc ſolum pro nutrimento utitur, dum excluſus eſt, donec firmato roſtro durioribus veſci poſſit.

Ex hoc ſolo in tenellis pullis obſervato naturæ ordine, clare diſcimus, vitello facilius in nutrimentum converti, & optimum eſſe alimentum albumen: vitellum quidem optimum nutrimentum dare, ſed jam firmiorem viſcerum fabricam poſtulare, quæ quoniam tamen in nobis jam adultis valida ſit, patet, hæc non tantam ratione noſtri differentiam pati. Dixit HIPPOCRATES: „Volucrum ova *validum* quid, & nu„triens, & inflans habent, validum quidem, quia ani„malis generatio eſt; *nutriens*, quia lac eſt pulli; *in„flans*, quia ex parva mole in multum diffunduntur.„ Ex his rationibus eſt, quare ad nutriendos debiles homines ab omni tempore ova recommendarint medici, & quare in quibusdam regionibus, ut in Gallia, Italia, in quadrageſima ovorum eſum inhibeant, quia tantum reficiunt.

Celebratiſſima apud nos ſunt Gallinarum ova: Afri ſtrutio-cameli ova, crocodillorum ova alii manducant, quæ id inconveniens habere dicuntur, quod odorem moſchi adeo fortem, qui caput tentet, habeant; tum, & teſtudinum maris ovis veſcuntur Angli, Galli, & alii Europæi: alii aliis.

Ova vero omnia, quæ in ſcopum nutrientem adhibentur, debent eſſe recentia, ſorbilia, id eſt, per coctionem non nihil inſpiſſata, ita ut in cortice ſuo videantur tremere; ſunt enim ſic multi nutrimenti, probæ, & facilis digeſtionis, convaleſcentibus, ſenibus, debilibus apprimis convenientia; indurata in teſta, aut etiam in pingui frixa, etſi robuſtioribus viſceribus non noceant, debiliora tamen offendunt, molliſſimo albumine in cornu mutato; unde optime monuit GALENUS, eo plus nutrire ova, quo minus induruerint, hinc variis præparationibus in juſculis diluta, in hæc integre effracta, tremula ſumuntur.

Hoc tamen ova habent, quod cito putreſcant: hinc & in febribus ſumma cum cautela præſcribenda ſunt, licet tamen in his exhibuerit HIPPOCRATES L. 3. *de morbis;* albumina enim aliquot aqua fontana conquaſſata pro potu humectante, & refrigerante exhibuit.

Ovi omnes partes ſatis raros, eosque varios in medicina uſus habent:

Albumen ovorum ad varias decoctiones depurandas in officinis inſervit; iterum ex albumine ovi inſpiſſato oleum myrrhæ per deliquium paratur, quæ alias acerrimis etiam aliis menſtruis reſiſtit, & quæ hoc modo ſoluta præſtantiſſimum dat medicamentum alio loco dicendum.

Vitellus olea, & reſinas, aquæ miſcibilia reddit, tum, & oleum ovorum, quod ex vitellis induratis coctione, ſequente exſiccatione & preſſione elicitur, largitur, in fiſſuris labiorum, papillæ mammarum, re-

com-

commendatum. Quinquaginta vitelli olei uncias quinque subministrant.

Testae etiam in usu medico absorbenti non deteriores margaritis & aliis pretiosioribus. Dum calcinatæ sunt, magis sunt bibulæ, sed simul etiam acriores. Præcipuum constituunt ingrediens lithontriptici illius Anglicani. In harum exhibitione id cavendum, ne in pollinem tenuissimum tritæ exhibeantur; alias enim cum aqueis concrescerent in glebas, & pondus in ventriculo facerent, & sic plus nocerent, quam prodessent.

Ultimo demum, quæ fracta testa albumen continet tenuis *pellicula*, & suum in arte medendi usum invenit, in vulneribus præcipue recentibus, a quibus, ne corrumperentur, arcendus aer erat; hoc incommodi habet, quod exsiccetur, & durior fiat, sed tunc aqua tepida, aut saliva aut halitu oris, emolliri potest. Specifica vero nulla in hac vis est: aerem a vulnere arcet, sic naturam juvat, & ob hanc rationem de rara deligatione vulnerum tam pulchra scripsit MAGATI. Cæterum recens, humida pellicula glandi penis imposita, effluere non potentem urinam evocat, certo experimento.

MEL. Dicetur alibi.



POTUS.

De his pauca dicere conſtitui, cum pleraque peculiaribus tractatibus ſcripta habeantur.

AQUA ſincera curſu exercita omnium optima. Vide *Antidota*.

CEREVISIA fermentata defœcata etiam multum nutrit: dulcior, ſapidior, tabidis utilior: tenuior vim diureticam habet, liberatque a calculo, & abſtergit bilem in primis viis collectam; amara hypochondriacis, atque ſcorbuticis conducit; nec enim aceſcit facile, itaque nec male agunt, qui abſynthium ei adiiciunt, quando fermentat, in gratiam febricitantium, vel ſcolopendrium pro lienoſis, & hepatis obſtructione laborantibus, vel rorem marinum, atque ſalviam adverſus aſthma, phthiſim, & ſic porro. AUG. QUIRINI RIVINI *Diſput. VI. de Medicina in alimentis optima.*

VINUM ex uvis factum multam differentiam patitur; fit etiam ex melle hydromel, ex pomis pomaceum, ex pyris pyraceum. Sunt adhuc plurimæ ex aliis vinorum ſpecies; vires alibi dicentur. Ex omni ſpecie muſtea affatim hauſta dolores colicos & rheumaticos creant & arthritidis paroxyſmum maturant, *Cl.* HUXHAM *de morbo colico Damnoniorum.*

Perſpectis itaque eſculentis, & potulentis, horum principiis, dotibus, materiei imbecillitate aut validitate, omnino facile erit (cognitis naturæ, vel in ſano, vel in ægro viribus) ea ſubminiſtrare, quæ magis conveniant; nam etiam ſi acute decumbentes alimenta fere omnia reſpuant, ſolis nutriantur juſculis, & ſani nulla lege adſtrin-

ſtringi debeant, eſt tamen, ut acuti morbi ex decidentia longiores facti, & humanam beatitudinem ardenter exoptantes ſani diætam poſcant; primum quidem per totam medicinam demonſtratum eſt, alterum ex natura temperamentorum etiam clare deducitur.

Igitur *ſanguineo temperamento* fermentata Cerealia, facile digerenda Olera, carnes animalium juniorum magis conveniunt, cum aquoſo potu, vini auſteri non calefacientis parco uſu. Obſunt vero illi cruda glutinoſa, mucilaginoſa, ſpirituoſa.

Pituitoſum facile fert & fermentata Cerealia, & bis coctum etiam aromatibus conditum panem, olera vel alcalina vel acida vel aromatica, animalium aliis animalibus viventium carnes, etiam ſale conditas alias, & potus fermentatos, cereviſiam, vina; quibus ſimul vis roborans inſit, ut Burgundica, Italica, auſtera, Hiſpanica: conveniunt quoque ſpirituoſa liquida; glutinoſa omnia, mucilaginoſa, pinguia, huic obſunt.

Bilioſo diæta eſſe debet ex oleribus aceſcentibus, ſaponaceis multa, carnis potiſſimum vero ferinæ, aut illorum, quæ aliis vivunt, animalium parca, parca quoque piſcium. Potus aqua, cereviſia tenuis, tenuia pariter & acidula vina, ut ſunt Rhenana, Moſelana, Auſtriaca; non ferunt pinguia, nec ſpirituoſos potus.

Melancholico concedes panem bene fermentatum, olera, & fructus ſaponacæos cocta, carnes juniorum animalium herbis paſtorum. Potus aqua eſſe poteſt, cereviſia tenuis, vina aquoſa. Obſunt legumina farinoſa alia non fermentata, olera citò alcaleſcentia, liquores ſpirituoſi, qui tamen parce quandoque concedendi. Et

hæc quidem ad temperamenta ſpectant, ſed & ſua ætati, & anni tempori, & Climati regula eſt.

Infantibus primam ex lacte diætam natura conſtituit, dein omnino mollem & nullo aromate vitiatam indicavit; his non convenit potus fermentatus ullus, ſed mollis, aqua, lac.


Pubertas lege caret.

Virilis ætas temperamentorum regimine ſervatur.

Senectus nova infantia eſt, igitur & huic lac, mollia omnia, panatellæ, decoctum fabarum cacao in lacte, Chiocolada, vinum parcum, his tenue, illis generoſum, aliis petulcum concedenda.

Anni temporibus ea potiſſimum conveniunt, quæ his natura offert; & *Veri* teneræ & juvenes plantæ ſaponacea ſolventes, carnes digeſtu faciles, vina tenuia. *Æſtati* aquoſorum ſaponaceorum acidulorum olerum, tum fructuum horæorum major uſus, carnium minor: Potus convenit diluens aceſcens, fermentatus quidem ſed non multum ſpirituoſus; vitanda aromata ſunt & omnia calidiora. *Autumnus*, magis vero *Hyems* aromatica & ſpirituoſa poſtulant.

Climatibus fere eadem diæta eſt, quæ tamen temperamento in hac ætate aut anni tempore conſtituto accommodari debeat.



CLAS-

CLASSIS SECUNDA

CARDIACORUM NERVEORUM.

Quæ vires infundunt nervis roborantes, & ſpirituum vividiorem efficiunt motum, NERVEA recte dicuntur.

Indicantur, quando cognoſcuntur vires deficere, ſimulque apparent evidentia ſigna languoris ad omnes motus muſculares, etiam ubi valde impediuntur exercitia ſenſuum, inprimis vero, ſi tum ſimul cernuntur ſigna clara humorum craſſorum per reliqua vaſa. BOERHAAVE. L. B. van-SWIETEN.

VIS ELECTRICA.

Suſpendebat adhuc Phyſicorum omnium animos ignota Electri Vis, & timorem, quem terribile CUNEI experimentum incuſſit, nondum MUSCHENBROECKIUS abjecerat, cum audax Japeti genus in eo ſalutem confidenter quæreret, in quo mortem adinvenire facile potuiſſet; ita demum homines ſumus! ſcilicet ſpes erat fore, ut vel electricus ignis illis in partibus calorem ſuſcitaturus eſſet, in quibus diu deficeret, vel validior commotio motum, qui jam dudum abeſſet; quapropter grave & audax auxilium in medicinam traducitur, eoque Paralyſis diverſis in regionibus tentatur.

Sapien-

Sapienter vero factum est, quod inter primos 1746 Parisiis in periculum paralyticos deduceret NOLLETTUS, vir doctus, & horum experimentorum apprime gnarus, qui, etsi electrica commotione nullum curaret, quod curari amplius non possent, in eo tamen magni officium exegit viri, quod commotionis patefaceret periculum, & illos, qui hujus operationis manipulationibus non ex asse imbuti essent, circumspectos esse juberet. *Acad. des Sciences* 1746. 1749.

Interea D. LOUIS Chirurgiæ Parisinæ decus, paralysim scintillarum evocatione tentare intentus, mutato, ex NOLLETTI exemplo, consilio, duas paralyticas commotione frustra vexavit: tandem, & commotione haud sollicitandam curationem esse nervoso sermone reliquit, *Observat. sur l'electricité*, Paris 1747. Philosophiæ Genevæ Professor *Cl.* IALLABERTUS tam scintillarum evocatione, quam commotione paralyticum restituit, *Journal des Scavans* 1748, gelu vitiatam partem in eodem correxit, *ibidem*, & tumores scrophulosos emendavit, *propria* ad *Cl.* SAUVAGES *epistola*. *Cl.* Monspeliensis Medicus SAUVAGES hemiplecticum pulmone exulceratum hoc remedii genere ex hæmiplegia restitui quidem, ex ulcere pulmonis vero rapi vidit: tum electricitate paralyticos melius habere, tumores œdematosos percurari, suppurationem accelerari *Lettre à Mr.* BRUHIER; ultimo compulsis experimentis Illustri Academiæ Upsaliensi Commentarium misit de usu electricitatis in rheumatismo novem successibus felicem, ut etiam in eo ultimo concludat in acuendo visu nullum electricitati medicamentum anteponendum, & nemini electricitatem nocere nisi phthisico, hinc terrorem a NOLLETTO, aliorumque panicum habendum.

Hæc

Hæc in Galliis aguntur, dum in diverſis Italiæ partibus *Cl.* Viri PIVATI, BIANCHI, VERATTI plurimum & diverſimode electricitate utuntur; & quidem *Cl.* PIVATI Venetiis electricitatem medicamentoſam tantum (ſcilicet incluſis ipſis tubis varii generis remediis) adhibet, dum & ſimplici electro & medicamentoſo VERATI mederetur. Jamque malum iſchiaticum pertinax, a ſcabie curata ſuperſtes brachii dolor, gravis in aure dextra auditus, rheumatici, & catharrales effectus tumoribus arthriticis ſtipati, involuntarium lacrymarum profluvium, nervorum debilitas, curantur: etiam in uno tentamine electricitatis medicamentoſæ dolores arthritici profligantur. Fuit Auguſtæ-Taurinorum purgantis, dum electrizandorum manibus medicamenta purgantia inderet BIANCHI, electricitatis novæ auctor. Sed quantum eſt in plurimis experimentis inane! in Italiam iter ſuſcipit NOLLETTUS, adit *Cl.* hos Italos, ut per hos, de veritate illorum, quæ de electricitate medicamentoſa ſcripſerant, convinceretur, & mirum viſu! nullus facto rem comprobare potuit. *Hiſtoire de l' Acad. des Sciences* 1749.

Pragæ paralyticos quatuor curatos, ſolatum rheumatiſmo dolorifico laborantem, etiam podagricos reſolvi nodos vidit *Cl.* BOHADSCH *in Theſi de elect.* 1751. Lipſiæ Th. QUELMALZ hæmiplegiam cum aphonia electricitate fere ſuſtulit, rheumatiſmum in ſene octagenario lenivit, chiragram cum carpi tumore profligavit, & inter ſeptem partim paralyticos, partim rheumaticos ſex curavit *Cl.* SCHEFFER Ratisbonæ; & mirabiles electricitatis in aphonia, in reſolutione labii inferioris oris a tonſillarum tumore, effectus vidit PAULSOHN in Livonia: & alios in Suecia

STROE-

STROEMERUS etiam non Medicus: & malum hysté-ricum convulsivum electricitate curatum in *Tent.* & *Comment. Societ.* N. I. *Gedaneus.* T. II. de LA MOTTE, & affectum paralytico spasmodicum sublatum ALLAMAND & GAUBIUS *part. I. Comment. Societ. Scientiar. Harlemens.* & insultum convulsivo hystericum Philadelphiæ CADWALLADER EVANS *Medical. observ.* T. I. & brachium paralyticum CHENEY. HART. *Philosoph. Transact.* Vol. XLIX. & paralysim WHYTT iisdem Vol. L. p. I. & hæmiplegiarum duarum curationem ZVINGER. *Act. Helv. phys. math.* Vol. II. & paralysim linguæ singularem ALLAMAND, & dentium dolorem & surditatem LEROY *Histoire de l'Acad. des Sciences* 1757, & palpebrarum superiorum lapsum *Act. Acad. Elect. Mog.* T. I. BAUMER, possent adhuc addi alia pericula plurima.

Hodie tamen post tot observationes vix unus alterve hinc inde adhuc electricitatis in corpus humanum effectus extollit. Commotionem electricam percussionis & verberum efficaciam solum habere D. LOUIS demonstravit; partes solum rubefacere, & minimam omnibus de ea factis jactationibus fidem adhibendam esse *Cl.* KUHN in *Act. phys. med.* T. I. Item post varia tentamina in variis hominibus vario morborum genere laborantibus instituta, certos & indubitatos effectus ab electricitate hactenus exspectandos non esse *Cl.* ZETZELL. *Recueil. Period.* T. V. & *Cl.* LEROY post capta alia tam in hæmiplegia, gutta serena, quam surditate experimenta, quid de viribus medicis electricitatis statuere possit, se adhuc dum ignorare fatetur: & non nisi in rheumatismis curandis fluidi electrici usum sibi esse perspectum. *Acad. des Sciences* 1761. Ultimo demum etiam *Cl.* TYSSOT intervenit,

&

& pessime pro paralyseos specifico electricitatem venditari contendit: dum ipsa & febrim, & convulsiones, & plethoram inducit, sanguinemque ad caput cogit, & casu paralysim facit, & auget *de Apoplexia.*

Revera audax, & anceps remedium est electrica commotio. Subitas hujus martyres aves NOLLETTUS, JALABERTUS, & alii plurimi recensent; nec hodie mortalium ullus ignorat hac etiam homines occidi. Sic prostratus *Cl.* dum viveret Professor DOPPELMAIER, & inter media experimenta exspirat sæviori fulmine tactus *Cl.* Petropolitanus Academicus RICHMANNUS.

Nec simplex electricitatis vis semper tuta est, in virgine menstrua suppressit, ex ulcere venereo effluxum cohibuit, dum simul ulcus inflammaret LOUIS, & ægrum hic Viennæ occidit. Nuper, an inoculatio per DEUM liceret, quæsitum est, & de electricitate nihil quæritur.

ANIMALIUM EXHALATIONES.

Effœta, & præ languore interitura corpora, animali exhalatione refici jam antiquitati notum fuisse, DAVIDIS que exemplo confirmatum, & hodie familiare esse, vide *Illustr.* L. B. van - SWIETEN *Comment.* Nec tamen aut his, aut aliis evidentioribus exemplis, juvenilis vigoris bona, in senis corpus attracta accubitu, ita deduci, ut jam hoc elanguidum sensim depereat, probatum, quanquam & id plurimis pronunciatum sit. Nam etsi id ipsum verum, ægritudines contagio-

sas

ſas eſſe poſſe, & accumbenti corpori communicari: ita ex impuro lecti ſocio multos tabidos factos olim ſaniſſimos probe meminit *Cl.* HUXHAM *de conſtitut. Aeris & morbis Epidemicis;* ita de canum in podagra uſu plurimus BORELLUS, factum alii confirmant, & ultimo de cane podagræ magnete obſ. dedit in *Acad.* N. C. Vol. VI. van WOENSEL; hæc tamen id non ſatis demonſtrant.

Sed quid eſt in perſpirabili reficientis? etſi ſua cuique animali atmoſphæra eſt, a propria individuorum fabrica dependens, eſt tamen omni ſubtiliſſimum odoratum principium ab eadem; docet inquirendis aliis, animalium ſagacitas; hoc ſuſcipi, ſuſceptum refocillare exhauſtum poſſe, maxime ſi e juvenili vegeto corpore emanet tanta copia, ut calculo docuit SANCTORIUS, haud mirum. AUGUSTI Cæſaris ſuaveolens corporis atmoſphæra, ni adulatoribus ſcripta, inſolita: ſed etiam ſudorem axillæ ſiniſtræ tempore æſtivo moſchum redoluiſſe, alias hoc odore liberum, PRÆCEPTOR meminit.

TERRÆ EXHALATIONES.

Nec ſolum animalia, aut vegetabilia perſpirant exhalantque, ſed & foſſilia id ipſum faciunt, ſuntque, ut in prioribus, aut ſalubria, aut inſalubria horum effluvia; de ſalubribus non dicam, de inſalubribus venenatis Tom. III.

Et inprimis habet aliquid fragrantis terrei, patens ex humo aratro verſa ſulcus, habet ipſa, poſt meſſem in cam-

campis, per ſicca ſtramina, tanquam nova exhalantia vaſa perſpirans terra, habet id eadem ſemper ex decidua pluvia madefacta; hoc vero fragrans ex ſuo ſinu non ex vegetabilibus exſuccis nunc imbre refectis & exhalantibus, mutuatur, REAUMURII experimentis *Acad. des Sciences* 1730. licet non eam inficias, vegetabilium exhalationes, puris crudæ terræ exhalationibus jungi poſſe, ſicque aerem gratiorem reddi & obſervari.

Sed nunc certum eſt, eſſe in ea ſingulari terræ fragrantia aliquid reficientis recreantisque animalia corpora, quod & ſani maxime poſt pluvias in campis experiantur, quod & Epilepticis deambulantibus tribus quatuorve horis quotidie, per integram ſeptimanam vel diutius, in ſulco immediate poſt aratrum humum verſans, aut in agello annis aliquot feriato, laudatur MEZA *armament. med. Hafn.* 1761. quod & lithanthracum vapore in fodinis carbonariis oberrante mulctatis effoſſo e terra ceſpite hauſtum ſaluti ſit TRIEWALD. *Act. Upſal.* 1740; quod totius externæ corporis ſuperficiei quaſi forma balnei communicatum & reſorptum, phthiſicis proſit, van SWIETEN. *Commentar.* T. IV. p. 101.



VEGETABILIUM GRATI VAPORES.

AURANTII flores *Offic.* p. 36.

CITRII flores *Offic.* p. 37.

CROCUS *Offic. Botanicorum.* Classis Nat. Liliorum. *Germ.* Saffran. *Gallis* Safran. *Anglis* Saffron.

CROCUS, *floribus fructui impositis*, *tubo longissimo.* Crocus *officinarum*, est pistillum ovarii in tres lacinias fissum, non ipse flos. Mira species materiæ, ad oleosum spirituosum pertinens: recens fragranti odore prædita, coloris rutili, pinguis, flexilis, tritu difficilis, manus fricantis inficiens, probatur: talis est crocus Austriacus non solum in spiritu vini rectificatissimo totus solubilis, sed etiam in spiritu vini rectificato, imo etiam totus in aqua. Ad varia olim, ut etiam hodie adhibetur, docet epicrocium, crocorancis; opera aurichalcea, *migniature* &c. itidem condimenti loco multis usurpatur nationibus.

USUS MEDICUS externus, odorati moderate croci ad animales spiritus excitandos eximius, BOERHAAVE. In Pulmonibus affectis peculiare quid præstat. FR. HOFFMANN *de Medic. Selectioribus.* Immoderate caput gravans, mentem turbans, sardonicus, apoplecticus, lethalis, GALENUS, FABER LYNCÆUS, BORELLUS, L. B. van SWIETEN. Internus iisdem conditionibus idem, minori dosi exhilarans, majori sensus omnes sopiens, ut vinum, & opium; etiam virgines pro provocandis menstruis majori cro-

ci

ci dosi indulgentes in immoderatos risus solutas RIVERIUS vidit, & alios casus alii habent, ut recte de salubri, vel noxia croci dosi quæratur: In hac audaces multi, multi timidi; liberalior nec sequendus LINNÆUS, dum croci Orientalis, & Britannici drachmam dimidiam, tincturæ croci tantumdem, extracti croci grana XV. pro dosi exhibet. Duæ tertiæ ejusdem convenientissima dosis est, non assuetis.

Difficulter recens, pinguis, pulverisatur, massæ pillulari, electuario, incorporari integer potest, etiam in præparatis dari in melancholia, tristitia involuntaria, passione hysterica, in suscepto miasmate, languente natura in expulsione exanthematis: etiam laudatur scopo sudorifero, emmenagogo: externe crocum abdomini applicatum vomitus sistere, LINNÆUS.

PRÆPARATA. *Extractum* croci. *Essentia* croci, quæ cum spiritu croci in nostris officinis extrahitur ditior, minori dosi a guttis V ad X pro dosi danda, alia paulo majori.

IASMINI flores *Offic. Botan.* Classis Natur. Pauci-stam. *Germ.* Iasmin. *Gallis* Iasmins. *Anglis* Iessamy.

Variæ hujus plantæ species sunt; IASMINUM *foliis oppositis, pinnatis;* album vel maxime nobis officinale est, ut inde paretur oleum odoratum.

USUS MEDICUS veteribus haud cognitus, recentioribus inter illa, quæ grato odore languentes spiritus reficiant, & moveant, maxime floris, qui etiam infundi possit, gratus.

PRÆPARATUM. *Oleum* iasmini, quod diversis modis multis paratur, per infusionem his, per ex-

preſſionem cum amygdalis, cum goſſypio, oleo Ben imbuto, inſtratis iasmini foliis, aliis: unguentis &c. odoris gratia additur.

LILII ALBI flores. *Offic. Botanicor.* Claſſis Natur. Liliorum. *Germ.* WeiſſeLilien. *Gallis* Lis blanche. *Anglis* The White Lilly.

LILIUM *foliolis ſparſis*, *corollis campanulatis*, *intus glabris*. Flores pulcherrimi candidi campanulam ſeu calathum efformantes admodum odorati ſunt; caput, ut iasminum, tentantes naribus diutius ſuppoſiti. Quod vero illis ineſt volatile odoratum, nec facile elici, nec coerceri poteſt, cito evanidum: præter flores, antheræ excitantes, radix emolliens aliis claſſibus inferendæ ſunt.

USUS MEDICUS florum, ubi humoribus bonis ſpirituum languor, utilis, odoratu, infuſione, fotu. Antherarum, in vino infuſarum lætificans. Bulborum mucilaginoſorum externus, maturans, unde frequenter cataplasmatibus ſuppurantibus recipiuntur.

PRÆPARATA. *Aqua* ſtillatitia florum liliorum alborum, odoris vinoſi ſemper laudanda. *Oleum* vel inſolatione vel coctione paratum, utrumque raro bonum, poſtremum officinarum inutile. Bene paratum externum paregoricum, emolliens, dolorificis, & emolliendis partibus applicatur.

LILII CONVALLII flores *Offic. Botanicor.* Polygonati flores. Canvallariæ flores. Claſſis Natur. Liliorum. *Germ.* Thal-Lilien. *Gallis* Muguet. *Anglis* Lillies of the Valley.

POLYGONATUM *bifolium*, *ſcapo florigero*, *aphyllo*. Etſi hujus plantæ plurimæ ſpecies ſint, tamen

men bi-folio, ſcapo florigero, facile cognoſcitur omnibus. Odor florum gratus, ſuavis, caput non tentans, durabilis magis quam liliorum alborum. Baccæ, radix, folia, amariſſima raro adhibentur, licet hinc inde deprædicata; ex foliis cum calce fit pulcher, durabilis color viridis.

USUS MEDICUS florum in languidis excitandis ſpiritibus utilis, licet ſuſpectam vim L. habeat, quam cum illa baccarum absque dubio confundit. Flores pulveriſati ſternutatorii.

PRÆPARATA. *Aqua* ſtillatitia grata. *Spiritus* liliorum convallium laudatus, *conſerva* cephalica.

MELISSA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Ringentium. *Germ.* Hertzkraut. *Gallis* Meliſſe. *Anglis* Balm.

MELISSA *floribus ex axillis inferioribus, ſubſeſſilibus*, maxime officinalis, licet alias plures meliſſæ ſpecies adhuc officinæ aſſervent, non æque utiles omnes. Meliſſa *Turcica* odorem quidem aromaticum, ſed, ſi ita loqui licet, fatuum, ingratum, nauſeoſum, & magis debilitantem, quam erigentem, habet. *Canarienſis* fragrantiſſima eſt, non ubique diſpenſata. Meliſſa vero hortenſis *citrina* officinarum gratiſſima, maxime uſualis, & laudata eſt. Siccata de aromate ſuo perdit nihil.

Eſtne meliſſa noſtra mellitæna DIOSCORIDIS? Apiaſtrum PLINII, quod in confeſſa damnatione venenatum in Sardinia? Aliis ad morſus venenatorum animalium laudatur, nobis tale nihil obſervatum.

USUS MEDICUS excitandi ſcopo olfactæ plantæ, etiam in vino frigide infuſæ recentis, in inſoli-

ſolita triſtitia, maxime hypochondriaca, ſenſuum a cauſa frigida eclipſi, utilis, ut & in omni caſu exhauſtarum virium, ut poſt partum, proficuus: adhæc in morbis frigidis, languente humorum motu, in polypoſis ſanguinis concretionibus, affectionibus paralyticis, ſoporoſis, laudatur; valet etiam ad dolores rheumaticos, podagricos in potu, & fotu.

PRÆPARATA egregia ſunt. *Aqua* ſtillatitia meliſſæ vires plantæ habet, habet & has *Spiritus* ſed longe efficaciores. *Aqua* meliſſæ *compoſita* Carmelitarum in Apoplexia frigida, paralyſi, lethargo, epilepſia, paſſione hyſterica, palpitatione cordis, colica flatulenta, celebrata eſt, doſi drach. I. II. unc. ſemis, unius. *Oleum eſſentiale* ingens cardiacum forma elæoſacchari. *Conſerva*, *Syrupus* ſuis viribus gaudent.

OCYMUM. BASILICUM *Offic. Botanicor.* Claſſis Natur. Ringentium. *Germ.* Citronen Baſilien. *Gallis* Baſilic. *Anglis* Baſil.

OCYMUM *foliis ovatis, glabris*, ſuaveolens fragrans, gratiſſimi aromatis planta, per excellentiam regia dicta eſt. Ex infinita ſpecierum varietate caryophyllata officinis electa; hæc, ut etiam aliæ culinis uſitatæ. Scorpionum fabula imprudentior, quam verior.

VIRES MEDICÆ inter illas, quæ grata fragrantia debiles, & languidos reficiunt, excitant ſpiritus, plantas, principes: infuſio frigida vinoſa laudatiſſima, doſis Manip. ſemis, libra vini una.

PRÆPARATA. *Aqua* Baſilici.

PA-

PARALYSEOS flores *Offic. Botan.* PRIMULÆ. Claſſis Nat. Pauci-ſtam. *Germ.* Schlüſſelblum. *Gallis* Primevere. *Anglis* Prim roſe.

PRIMULA *foliis rugoſis, hirſutis, ſpica inclinata, flore odorato.* Flores prioribus minus odorati, aroma ſubtile tamen, melleum, reficiens habent; adeſt etiam radix, herba, non earundem virium.

VIRES MEDICÆ florum in excitandis ſpiritibus, tremulis, paralyticis etiam membris, laudatæ, totius plantæ podagram lenientes fotu; radicis amaræ ſunt.

PRÆPARATA. *Aqua* ſtillatitia ad capitis dolores pota. *Spiritus, conſerva.*

His etiam aliarum plantarum aromaticarum grati odores, ut & odores ſingulares aliarum rerum addi poſſunt, ſed hæc in altera claſſe dicentur omnia.

In his tamen omnibus id rite tenendum, ſubtilem & volatilem horum medicamentorum vim non ſolo odoratu in corpus ægrum deduci, ſed etiam per vaſa reſorbentia, per ipſam inſpirationem communicari & in id ſuſcipi poſſe, multiplicem igitur patere modum, quo nervea illi ſubminiſtrari queant: inde explicari actionem balneorum, emplaſtrorum, fomentorum, ſacculorum, amuletorum: inde intelligi uſum æolipylæ in *theatro tabidorum* BENEDICTI olim adhibitæ & nuper in phthiſi pulmonali a *Cl.* MUZEL feliciter advocatæ aliorumque medicamentorum quocunque modo corpori applicatorum actionem.






CLASSIS TERTIA

CARDIACORUM STIMULANTIUM.

Quæ partium ſolidarum vividiorem addito robore actionem efficiunt, STIMULANTIA dicuntur.

Sciuntur neceſſaria a defectu motus circularis liquidorum, orto ex ſola inertia fibrarum, una cum humoribus blandis, vaſisque transmittendo aptis; cum vero hæc multiplex ſit claſſis, quænam ſingularis ſpecies eligenda, docemur conſiderata indole mali peccantis, & cardiaci adhibendi.



STIMULANTIA SIMUL NUTRIENTIA.

AURANTIORUM acidorum
Dulcium
Curaſſavicorum ſucci, vide p. 36. 37.
GRANATORUM maturor. ſuccus, vide adſtring.
POMORUM fragrantium
vinoſorum ſucci, pulpa, vide p. 53.

ANA-

ANANAS *Offic. Botanicorum* BROMELIA.
Classis Naturalis Liliorum.

Aliquot hujus plantæ species sunt, odoris etiam fragrantia, & saporis excellentia discrepantes. Maturi fructus fragrantissimi, aromate etiam per totum conclave diffuso, saporem inimitabilem, & suavitatem omnibus expetitam habent. Rari, magnatum mensis solum adhibiti, non satis certo experimento multis culpantur.

VIS MEDICA nutriens, cardiaca, grato stimulans aromate, hypochondriacis, melancholicis, vel inde etiam ob vim fundentem maxime utilis. Succus fructus nondum penitus maturi specificus ad calculum habetur in *Journal. de Savans. Mem. Trev.*

ARMENIACA p. 36.
CERASORUM sapidissimorum caro p. 38. 39.
Aqua reficiens.
FRAGA p. 45.
MELONUM caro p. 48.
MORA p. 49.
PERSICA p. 51.
PRUNA acidula p. 54.
RIBESIORUM nigrorum baccæ p. 55. 56.
RUBI IDÆI BACCÆ p. 56.
UVÆ odoratæ moschatæ dictæ p. 60.

Quæ omnia in sicca, & calida debilitate optima stimulantia sunt, cum plurimum aquosa, aliquantulum reficientia, nutrientia, etiam leni aromate stimulent. Venit etiam in hanc classem

TUBER *Offic.* LYCOPERDON *Botanicor.*
Classis Natur. Fungorum. *Germ.* Erdmorcheln.
Gallis Truffles. *Anglis* Tufsball.

LYCOPERDON *solidum, muricatum, radice destitutum*, virulenti odoris, in vino generoso coctum

eſtur, difficilioris tamen digeſtionis eſt in aqua non facile ſolubile & ſolutum in gluten tenax degenerans, tum in ſpiritu vini induratur GEOFFROY junior *Acad. des Sciences* 1711. Deſtillatum ſtatim alcalinam indolem prodit, & habet magnam vim alcali volatilis, dum caput mortuum non ſpernendam fixi ſuppeditat, & tinctura etiam aromatica & alcalina eſt, IDEM.

VIS aromatica. Addit languidis ſtimulos quotidiano experimento, & lactantibus lac. *Acta Phyſ. Med.* N.C. *Vol. VIII.* An compeſcit motus hyſtericos?

STIMULANTIA
EXCITANTIA
SUBTILIA.

BORAGINIS flores *Offic. Botan.* Claſſis Natur. Pauci-ſtam. *Germ.* Hertzblümlein. *Gallis* Bourrache. *Anglis* Borrage.

BORAGO *foliis alternis*, *calycibus patulis*. Flores jam veteribus in uſum cardiacum noti, inter IV flores cordiales majori forte encomio quam jure recenſentur; ego aromatici odorati parum invenio.

USUS MEDICUS florum frequentior quam utilior. Totius plantæ certo ſolvens, ſaponaceus, inflammatis, & obſtructis ſummopere utilis, in decocto, ſero

ſero lactis, ſucco, non adeo limitata ubi reſolvendum eſt doſi. Cæterum ob ſalia quæ illi inſunt efficax eſt, examen enim triplicis ſalis, BOLDOUC educti, *Acad. de Scienc.* experientia confirmat. Succus adhuc ad calculum laudatur.

PRÆPARATA. *Conſerva* florum vix multi uſus. *Aqua* vix magnæ virtutis. *Syrupus* lege artis paratus.

BUGLOSSI flores *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Pauci-ſtam. *Germ.* Ochſenzung. *Gallis* Bugloſſe. *Anglis* Bugloſe.

BUGLOSSUM *floribus longe ſpicatis* HAL. Præcedentibus haud magis cardiaci etiam inter IV flores cordiales recipiuntur. Tota planta uſualis, utilior floribus.

VIRES MEDICÆ cum præcedentibus eædem, hypochondriacis, melancholicis, etiam inflammatione vexatis conveniunt. Decocti, ſucci, doſis in obſtructis non adeo facile limitanda, inflammatis Manip. unus, duo, in libra aquæ ſufficiunt. Succi unc. VI. in lib. ſeri lactis, decocti avenæ, hordei, dantur.

BETONICÆ flores *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Ringentium. *Germ.* Betonien. *Gallis* Betoine. *Anglis* Betony.

BETONICA *foliis, inter verticillos in vertice congeſtos, breviſſimis, integris.* Mirum quondam laudata planta, parum odorata, aromatica, tota in officinas medicas recipitur. Herba tamen & flores frequentiores. Radix nauſeoſa, ingrata, incidens, rarius.

VI-

VIRES MEDICÆ florum debiles, nervinæ, herbæ ad capitis dolores frigidos, ſic & arthriticos, podagricos, infuſione calida continuo ſumtæ laudatæ: ad ulcera pulmonum, renum cum melle edulcoratæ decoctum lene vaſis clauſis, vulnerarium. Doſis unc. una, libra aquæ una.

PRÆPARATA. *Conſerva* florum multum adhibita, parum aromatica, ſic etiam *aqua*. *Syrupus* ex ſucco expreſſo depuratus ejusdem notæ. *Emplaſtrum* compoſitum medicamentum eſt, ex vi betonicæ vix multum activum, ad capitis dolores laudatur.

BOTRYS *Offic. Botanicorum* CHENOPODIUM. Claſſis Incompletarum. *Germ.* Trauben-Kraut, Motten-Saamen. *Gallis* Piment. *Anglis* Qack of Ieruſalem.

CHENOPODIUM *foliis dentato-lineatis, racemis nudis, multifidis*, dicitur etiam Chenopodium *ambroſioides, folio ſinuato* T. Oblivioni fere tradita planta, tota odorata eſt, non inſuaviter graveolens, ſaporis ſubacris, reſinoſi, aromatici, amari. Vires promittit & habet.

USUS MEDICUS in labe purulenta viſcerum in pulmonum infarctu, phthiſi, orthopnœa, tuſſi convulſiva, præſtans plurimis confirmatur obſervationibus: purulenta ſpuentibus in lacte infuſa MATHIOLO, in aqua decocta addito ſyrupo violato HEURNIO, feliciter ceſſit. Alii adhuc looch, alii ſyrupum laudant. Doſis unc. dimidia ad libram lactis, aquæ, melle temperandæ.

PRÆ-

PRÆPARATA balſamicæ præſtantis plantæ deſiderantur.

CROCUS *Offic.* vide p. 113.

HYACINTHI TUBEROSI. *Botanicorum* Polyanthes admodum odorati flores officinales non ſunt.

IASMINI flores, vide p. 115.

LILIORUM ALBORUM flores vide p. 115. 116.

LADANUM *Offic. Botanicorum* CISTUS. Claſſis Multi-ſtam. *Germ.* Ciſten-Röslein. *Gallis* Ladanum.

CISTUS *ladanifera flore purpureo.* Etſi hinc inde in hortis botanicis colantur ciſtorum ladaniferarum ſpecies, non tamen adeo communes ſunt, ut magnam quantitatem ladani ſuppeditare poſſint: officinale ladanum eſt exſtillans ex frutice lacryma reſinoſa, & hæc adhuc duplex, vel in maſſas grandiores compacta præſtantior, altera in panes contorta, arena intrita vitiata, deterior: probatur valide odoratum, accenſum ſuave, multi odoris, calore molleſcens, purum, ladanum.

USUS MEDICUS internus rarior. Externus in ſuffimigiis multus, & gratus, & ad laxas partes roborandas utilis: ex ladano extrahi ſpiritu vini reſina poteſt, quæ in ſolidam formam redacta, admodum nervina, contumacioribus cephalalgiis efficax, HOFFMANN *Diſſert. de Balſ.*

Compoſitum *Emplaſtrum* de ladano in morbis capitis, pectoris, ubi humores extra alliciendi, magnæ efficaciæ.

MELISSA *Offic.* vide p. 117.

PHILADELPHIÆ flores officinales non ſunt.

ROSARUM RUBRARUM flores, vide adſtringent.

RHODIA RADIX *Offic. Botanicorum* Claſſis Incomplet. *Germ.* Roſenwurtz. *Gallis* Racine ſentant la Roſe. *Anglis* Roſe-root.

Anacampſeros radice roſam ſpirante T. Alpium incola gratum, & jucundum odorem reficientem habet: probatur recens odorata radix.

VIRES odoratas pulchras habet, interne etiam adſtringentes: recentem ad cephalalgiam ſpecificam L. habet.

RHODIUM LIGNUM *Offic.* planta ignoratur, & Claſſis. *Germ.* Rodieſer-Holtz. *Gallis* Bois de Rhode. *Anglis* Roſe-Wood.

Veterumne Aſpalathum ſit lignum noſtrum rhodium, nec ne? lite hodie nondum compoſita, jam dudum diſceptatur. Officinale varias formas habet, jam radici, jam ſegmento ex arbore exſecto ſimilius, etiam colore variat flavo, palleſcente, per vetuſtatem rufeſcente. Exterior pars ſæpe non multum fragrans eſt, dum interior rarc roſarum odore deſtituitur, cum ſapore aromatico acri, amaro, reſinoſo. Ut ex hac deſtillatione oleum evocetur, ruberrimum lignum eligendum, albidum vix aliquid largitur. GODFREY *Treaſure of diſcoveries.*

USUS MEDICUS vix multus internus: tamen non negandum, eſſentiam radicis ligni, tum decoctum in aqua, in lymphæ vitiis, in ipſa lue venerea, & inti-

ma

ma humorum corruptione, eximium præſtare effe-ctum, HOFFMANN *de Balſ.*

PRÆPARATUM. Ex ligno per aquam diu cum ſale marino macerato deſtillationis ope parca copia *oleum* habetur fragrantiſſimum, quod pro oleo eſſentiali roſarum ſæpe adhibetur; guttæ aliquot ſaccharo inſtillatæ elæoſaccharum dant cardiacum, egregium.

SAMBUCI flores vide p. 57.

SASSAFRAS Lignum, Cortex *Off. Botanicor.* LAURUS. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Fenchelholtz. *Gallis* Saſſafras. *Anglis* Saſſafras.

LAURUS *foliis integris trilobisque.* Hujus arboris lignum, cortex, forte & radix in uſum trahuntur: an enim lignum trunci, an radicis habeamus, nondum determinatum. In cortice recenti major fragrantia, ſapor calidior, odor fugacior, quam in ligno ejus, præeminentiam teſtantur.

VIRES MEDICÆ aromaticæ, ſtimulantes, ubi augendus humorum motus ad corporis peripheriam, præſtantes; ita in morbis catarrhoſis, frigidis, articularibus, rheumaticis, podagricis, ſine magna febre, morbis cutaneis, tunc ubi languens ſtimulanda & excitanda natura eſt, cocta materie in febrium fine. Laudavere pariter in lue venerea, non tamen ſatis efficax tanto malo debellando medicamentum, in fluore albo, cachexia, ſcorbuto lento: ultimo invenere etiam in ulcere, abſceſſu balſamicum, & hydropis remedium; fruſtra enim omnibus tentatis decoctum urinam evocavit *Ephemerid.* N. C. Doſis pro varia intentione diverſa. Infunditur aquæ, vini, lib. I. a drach. II. unc. dimidia ad unc. integram. Coquitur nunquam, licet decoctum

in

in paralyſi ex colica, tum podagricis, multum prodeſſe obſervatum ſit.

PRÆPARATA. *Extractum* vires ſimplicis non habet omnes, cortici peruviano analogas tamen credit HOFFMANNUS. *Aqua* ſtillatitia egregia. *Eſſentia* ſpiritu vini tartariſato facta, vi ſimplicis ditiſſima, confortans, carminativa. *Oleum* eſſentiale penetrantiſſimum, actuoſiſſimum.

VINA, ACETA, SPIRITUS, ſimilibus impraegnata.

STIMULANTIA
EXCITANTIA
FIXIORA ACRIA.

ABROTANUM *Offic. Botanicorum* ARTEMISIA L. Claſſis Compoſitarum Nudar. *Germ.* Gartheil. *Gallis* Aurone. *Anglis* Sothern-wood.

ARTEMISIA *foliis ramoſiſſimis, ſetaceis, caule erecto, fruticoſo.* Odoris fragrantiſſimi ingrati, ſaporis acris, amari planta, exſiccationem patitur abſque adeo magna virium jacturá, licet decoqui non debeat, ſed tantum infundi. Recentis infuſio frigida jam ſumme actuoſa eſt.

VIRES MEDICÆ incitantes, ſtimulantes, calefacientes, in cauſa frigida utiles; lethargo, tuſſi, fluo-

fluori albo medentur. Dosis uncia dimidia, libra una aq. vini. Externe contrita recens sugillationibus subvenit; ad balnea uterina etiam recipitur.

PRÆPARATA. *Aqua* abrotani vires habet simplicis, *oleum* coctum nullas.

ABSYNTHIUM *Offic. Botanicorum.* ARTEMISIA L. Classis Compositarum Nudar. *Germ.* Wermuth. *Gallis* Absinthe. *Anglis* Wormwood.

Quanquam plures sint Absynthiorum species, elegere tamen solum officinæ vulgaris, & Pontici herbam: prima definitur artemisia *foliis compositis, multifidis, floribus subglobosis, pendulis, receptaculo papposo.* Amarissima planta est, simul fragrans, aromatica. In usum officinalem vocantur folia, & summitates. Nota in usu communi cerevisia absynthiaca, vinum absynthites.

Altera *foliis compositis, multifidis, subtus tomentosis, floribus subrotundis, nutantibus, receptaculo nudo* determinatur; præcedenti fragrantior, & minus amara habetur.

VIRES MEDICÆ in morbis frigidis stimulantes, glutinosis incidentes, languidis excitantes, laudantur. Hydropem incipientem sæpe perfectissime planta tollit, adultum juvat. Cachexiæ senili frigidæ, & mucosæ diathesi, medetur: ventriculi a muco languentis vitia corrigit, & languorem post febres intermittentes pellit, defectui bilis subvenit, etiam acido resistens extemporaneo experimento. Datur forma pulveris ad drach. semis, infusi unc. semis, unam, in

libra una aquæ, vini. Succus coctione purgatus, intense amarus, ingratus.

Externe absynthium aquæ marinæ incoctum, remedium ad gangrænam euphoriston plurimis experimentis BARTHOLINUS habet.

PRÆPARATA. *Conserva* vulgaris, & pontici, vires plantæ totas habet. Dosis drach. una. *Extractum* de fragrantia plurimum amisit, dum totum amarorem habet. Dosis gran. X. XX. forma boli, electuarii: aut cum liquoris terræ foliatæ tartari, cum vino paratæ, sufficienti quantitate, vel alio, tincturæ forma, ad gutt. triginta, quadraginta. *Syrupus* amaritiem plantæ habet. *Aqua* stillatitia fragrans, parum amara est. *Essentia* tam simplex, quam composita, valida deprehenditur, dosis guttæ viginti, triginta. Simplicem contra calculum specificam LINNÆUS habet, sumendo cochlear unum omni mane per sex septimanas, dein singula septimana per dimidium annum cochlear, vitando vina, potus, cibos acidos.

Spiritus absynthii validus etiam, essentia simplici debilior tamen, dosi paulo majori dari posset. *Oleum* essentiale non omnes officinæ habent, viride, amarum est, cujus drachma una soluta in spiritus vini rectificatissimi & liquoris mineralis ana uncia semis, aut una, mixturam constituit concentratam in vomitu & componendis spasmodicis harum partium contractionibus, perutilem dosi guttarum decem viginti & ultra. Oleum *coctum* parum de planta possidet. *Sal* absynthii nomen, non vires plantæ habet: pro diversa præparatione alcalinus, vel medius est.

ACO-

ACORUS *Off. Botanicorum.* Claſſis Palmarum. *Germ.* Calmus. *Gallis* Acorus. *Anglis* Acorus.

ACORUS *verus*, ſeu Calamus aromaticus officinarum radicem nobis ſuppeditat, quæ absque jactura virium exſiccari poſſit, ſiccam, etiam conditam gratiorem, ſed magis eſſœtam.

VIRES acres, admodum calefacientes, in morbis frigidis, mucoſis, inſignes; ita in proſtrato appetitu, mala digeſtione &c. ex hac cauſa glutinoſo ſpontaneo, in taleolas ſecta radix aliquoties de die deglutita ſæpe auxilio fuit; convenit etiam hydropi, çatarrho ſenili, in hoc quam alio corpore magis pertinaci, tum aliis mucoſis pectoris morbis melle remixta. Juvit etiam paralyticos; & infinitos lotii ſuppreſſione laborantes, decocto ex vino tenui facto, ſe reſtituiſſe teſtatur FALLOPIUS. Acre, ſtimulantiſſimum medicamentum, aromatis fixioris, inflammantis fere, in febribus exanthematicis, malignis, laudat LINNÆUS. Heu quale medicamentum! Datur in taleolas ſecta recens, ſiccata in pulvere a granis quinque ad decem, duodecim, in infuſo ad unc. dimidiam; decoqui non debet.

PRÆPARATA. *Radix condita* pro delicatulis: *Extractum* egregiarum adhuc virium ad ſcrupulum ſemis datur.

AGALLOCHUM, ſeu ALOES lignum *Off. Botan.* Claſſis ignoratur. *Germ.* Aloes-Holtz. *Gallis* Bois d'aloe. *Anglis* Wood of Aloes.

Inter thymiamata in templis deorum & in palatiis regum adhuc hodie in oriente comburitur pretioſo ſuffitu. *Calambac* æſtimatiſſimus ejusdem ligni nodus, quod

quod maxime resinosus, in Europa raro visitur: resinam sudans in cymeliis Regiæ Societatis Londinensis servatur.

VIRES MEDICÆ anthelminticæ, roborantes, BONTIO confirmantur: in cholera, paralysi, podagra alii laudant. Dosis in pulvere scrupuli unius: in infuso aquoso, vel vinoso unc. dimidiæ. Hodie non multum in usu est. Venenati quid subesse L. testatur; sed FR. HOFFMANNUS resinam spiritu vini rectificatissimo extractam dandam, essentiam resinosam cum tinctura martis permixtam ad debilitatem viscerum in hypochondriacis magno pretio haberi: *Dissertatione de Bals.* tum destillatione elici oleum æthereum frigore instar camphoræ concretum, quod in spiritu vini rectificatissimo solutum, essentiam magnarum virium in roborando cerebro, nervorumque debilitate emendanda, probabat. IDEM *ibid.* ad alvi fluxus specificum nonnulli deprædicant.

AMOMUM *Offic. Botanicorum* MYRTUS. Classis Calycifloraruin. *Germ.* Amomlein. *Gallis* Amome. *Anglis* All-spice. Jamaica Pepper.

MYRTUS *foliis alternis.* Celebratissimum antiquitati amomum hodie in integrum ignoratur. Baccæ, quæ hoc nomine in officinis vocitantur, ex Jamaica ad nos deferuntur, rotundæ, scabræ, fusco nigricantes, umbilicatæ. Odoris, & saporis caryophyllæi, non tamen adeo acris, quasi ex plurimis aromatibus mixti. Condimentorum numero in Anglia adscriptæ sunt.

VIRES MEDICÆ odoratæ, calefacientes, stomachicæ.

ANE-

ANETHUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Dyll. *Gallis* Anet. *Anglis* Dill.

ANETHUM *fructu compresso;* dum recens est, odorem habet fragrantissimum, qui in exsiccata perit, hinc recens tantum adhibetur; & dum haberi non potest, ejus semen, flores, aut præparata in usum vocantur. Flores inter IV. carminantes recipiuntur.

VIRES huic plantæ aromaticæ, stimulantes, carminativæ specificæ, laudantur in singultu, torminibus, flatibus, a causa frigida exortis; valet itidem ad mucosos pulmonis infarctus, unciæ dimidiæ, etiam unius pondere, in infuso melle edulcorato. Genituram restinguere jam DIOSCORIDES prodidit; in *Ephem. N. C.* confirmatio habetur. Externe contusum ad tumores frigidos valet, coctum etiam in enemate carminativo.

PRÆPARATA. *Aqua* stillatitia efficax: *oleum* destillatum validum: *coctum* inutile.

ANGELICA *Offic. Botanicorum.* Classis Natur. Umbelliferarum. *Germ.* Engelwurtz. *Gallis* Angelique. *Anglis* Angellica.

ANGELICÆ *foliorum impari lobato;* neglectis foliis radix, & semina tantum officinalia sunt, tum etiam radicis usus præ semine, longe major est. Mirum saporem aromaticum, amarum, acrem, radix habet, penetrabilissimum quidem, non tamen inflammantem: datur in pulvere ad grana quindecim, viginti, in infuso ad unc. semis in lib. aquæ. Semina iisdem dosibus, & formis.

VIRES MEDICÆ alexipharmacæ, dum ſuſceptum venenum, miasma, nondum inſedit, ſed quaſi adhuc vagum in humorum maſſa errat, certæ ſunt, in infuſo addito aceto; tum ubi ſub finem acutorum exſtimulanda natura eſt, ut per corporis peripheriam cocta expellat, valet; eſt adhuc pectoralis, carminativa, emmenagoga frigidis. Angelicam Canadenſem purpuream indomabile eſſe venenum, quod præſtantiſſima antidota eludat, autopta eſt KALM.

PRÆPARATA. *Extractum* non ignobile: *Aqua ſtillatitia* egregia. *Spiritus* non ubique habetur.

ANISUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Anis. *Gallis* Anis. *Anglis* Aniſe.

ANISUM *foliis radicalibus ſimplicibus*, nihil niſi ſemen officinis largitur; olim etiam inter condimenta relatum, ut hodie pani aſperſum: inter IV. ſemina calida majora refertur.

VIRES in vitiis primarum viarum, tum pulmonum frigidis, egregiæ: inde ſtomachicum, carminativum, anticolicum, bechicum. Etiam comitiales infantes juvat, PLINIUS, quos ſcrupulus unus groſſo modo pulveriſatus primo pultis cochleari commixtus purgat, HEURNIUS. Forma pulveris a ſcrupulo ad drachmam: infuſi ab uncia ſemis ad integram datur.

PRÆPARATA. *Confectio* aniſi ſimplex, ſemen eſt ſaccharo incruſtatum laudandum delicatulis. *Confectio* aniſi *laxativa*, acidulas ſumentibus præſcripta. Utraque non in omnibus officinis habetur: *Species* dianiſi laudandæ in primarum viarum cruditatibus, compoſitæ aliis calidioribus ſunt. *Aqua* ſtillatitia virtutis plan-

plantæ. *Spiritus* anisi saccharo, syrupo temperatus, cochlearis mensura carminativus, stomachicus; linguæ tremorem spiritu anisi, & serpilli curatum vidit DECKER. *Oleum* stillatitium butyraceum, album, penetrabilissimum, nutricis lac odore anisi infecit, etiam enchymosibus illitum utile. *Oleum pressum* viride seminis vires habet, sed destillatio inferius est.

COMPOSITA. *Balsamus* sulphuris anisatus egregie pectoralis; alia scire vix opus.

ANISUM STELLATUM *Off. Germ.* Indianischer Anis. *Gallis* Badiane.

Botanici nec de nomine, nec de classe conveniunt, quæ ab uno vocatur *Zingi*, nescio, quo jure ab alio dicatur *Badanifera*, nonne a tertio *Ciegerdeckia* majori adhuc jure vocari posset. Fructus fraxinellæ similis, stellatus, saporis medii est, inter anisum, & fœniculum, longe gratioris, suavioris tamen.

USUS MEDICUS in iisdem casibus ac Europæum, in infusis theiformibus frequens. Masticatum fœtorem oris emendat.

ARTEMISIA *Off. Botanicorum.* Classis Compositarum Nudar. *Germ.* Beyfus. *Gallis* Armoise. *Anglis* Mugwort.

ARTEMISIA *foliis planis, semipinnatis, pinnis rariter dentatis, floribus erectis, dense spicatis* HALLER. Officinis herbam suam offert, summitates, flores, radices: absynthio minus amara est.

VIRES MEDICÆ ab omni tempore uterinæ recognitæ, hinc ad mala virginum, mulierum, puerperarum, ex retentis menſtruis, vel lochiis laudant, potu, fotu, inſeſſu: partes podagricas herba fotas dolore abſolvi, & ſclopetorum ictus, vulnera, hac percurari, multi aſſerunt: accenſæ ſuffitus ab œdemate liberat; doſis abſynthii.

PRÆPARATA. *Aqua* ſtillatitia, *ſyrupus*, egregii uſus. *Moxa* celebre illud in Aſia remedium cauteriſans, ſtupa artemiſiæ albæ eſt, concipiendo igni aptiſſima, qua accenſa ignis moderate gliſcit, ſcintilla minus conſpicua, ardore temperato, progreſſu lento, donec in favillam tota depaſta ſit. Medicis Europæis vix in uſu, aliis heroicum, vide KÆMPFERUM. A podagra non abſolvit. L. B. van SWIETEN.

AURANTIORUM recentes cortices. Oleum p. 37. 38.

CITRIORUM recentes cortices. Oleum p. 40.

CALAMINTHA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Ringentium. *Germ.* Berg-Münze. *Gallis* Calament. *Anglis* Calamint.

CALAMINTHA vulgaris, ſeu officinarum, botanicis Calamintha *floribus ex alis ſuperioribus pediculo communi confertis*, definitur. Grate aromatica hæc; alia Calaminthæ ſpecies etiam uſitata officinis, quæ Calamintha foliis ovatis, obtuſis, caule procumbente, audit HALL. & BLACHW. Tab. 176. delineata, validior, ingratior eſt.

VIRES MEDICÆ in cauſis frigidis cephalicæ, pectorales, nervinæ, uterinæ, calefacientes, in ulceribus

bus internis balſamicæ, detergentes, externos tumores fotu diſcutientes. Vaſis clauſis infunditur ad Manip. unum.

PRÆPARATA. *Aqua* ſtillatitia calaminthæ *vulgaris*, *aqua* ſtillatitia calaminthæ *montanae*, utraque egregia eſt, licet ſaporis non adeo grati. *Species* diacalaminthes GALENI non habemus.

CARDAMOMUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis ignota. *Germ.* Cardamomlein. *Gallis* Cardamome. *Anglis* Cardamom.

Tres cardamomi ſpecies nobis exhibent officinæ; eſt enim cardamomum ſimpliciter, & per excellentiam, & hoc *minus* eſt: eſt cardamomum *medium:* tum *majus*, quod eſt ſub nomine *granorum paradyſi*, præſcribitur, & priori ſæpe ſubſtituitur.

Cardamomum *minus*, cur dixerit LINNÆUS amomum, dum amomi veterum, quam cardamomi notio, haud certior, non perſpicitur ſatis; ſemen eſt angulotum, rufum, odoratum, acre, aromaticum. *Medii* ſemen oblongum, preſſum, anguloſum, canaliculo diviſum, ex albo rufeſcens. *Majoris* ſemen nitidum, anguloſum, pipere minus, ſpadiceum, guſtu acre, fervidum, ut piper, & zingiber eſſe ſolent. Semina hæc omnia ſiliquis variis incluſa eſſe ſolent.

VIRES MEDICÆ cardamomi *minoris* in cruditatibus primarum viarum, anorexia, dyſpepſia, cardialgia, & colica flatulenta a frigidis cauſis, efficaces, incidentes ſunt, in pulvere, trageis, vel aliis formis. Pulveris doſis a ſcrup. ſemis ad integrum. Cardamomum *majus* odoratiſſimum, ubi excitandum, & ſpiri-

tuum adaugendus motus, magis conveniens, eadem, etiam majori præſcribi doſi poteſt, ut in ſoporoſis, lethargicis.

PRÆPARATA. Hinc inde in officinis habetur, ex cardamomo *medio*, in Indiis paratum *oleum*, CAIAPUT vocant, magnum nervinum, & anodynum, in linguæ paralyſi, catalepſi, chorea Sti Viti, gravioribus aliis motibus convulſivis, ſummopere laudatum, etiam in cardialgia proficuum MARTINI. Doſis gutt. duarum, trium, quatuor, vino, ovo ſorbili, ſaccharo, ſubactarum.

CARVUM *Offic. Botanicor.* CARUM. Claſſis Natur. Umbelliferarum. *Germ.* Feld-Kümmel. *Gallis* Carvi. *Anglis* Carraways.

Semina, quæ etiam inter IV calida majora numerantur, ſola officinis, etiam culinis, in plurimis regionibus nota planta largitur; omni forma carvum præſcribitur; valet in iisdem caſibus ac cuminum, de quo infra dicetur.

VIRES MEDICÆ. Os commendare, ſtomacho utile eſſe carvum, & concoctionem adjuvare, reliquit DIOSCORIDES.

PRÆPARATA. *Oleum* ſtillatitium nec dulcedinem, nec gratiam olei ſtillatitii aniſi habet, ſatis acre; in tympanitide auxilio fuiſſe, HARTMANN.

CARYOPHYLLUS *Off. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Fructiflorar. *Germ.* Näglein. *Gallis* Clous de Gerofles. *Anglis* Cloves.

Flos eſt clavatus, fumigatione niger, inſolatione exſiccatus, oleoſum fervidiſſimum aroma habens, ex

Inſu-

Insula Ternata ad nos devectus, culinis, & officinis notus.

VIRES MEDICÆ fervidissimæ, pertinaces, oleo irretitæ, ubi stimulo valido acri opus, proficuæ, ut in paralysi linguæ, ubi integri mandendi, in paralysi aliarum partium, laxitate ventriculi, intestinorum, horum cruditate, exolutione, distensione, flatibus &c. ubi raro forma pulveris, sed semper vini medicati dantur. Pulveris dosis scrup. semis, infusi drach. tres in lib. vini I.

Externe pulverati sacculis stomachicis, pani tosto in imbecillitate fœtus, in singultu a causa frigida, adduntur.

PRÆPARATA. *Oleum* stillatitium caryophyllorum ignitum penitus & causticum, gossipio instillatum, denti cavo inditum, si nervum contingit, certo destruit, & a dolore dentium liberat; cariem ossium, sphacelum, instar ignis actualis inhibet; interne raro adhibetur.

Scire convenit, novum aromatis genus, quod Culilawan appellant, & ex insulis Moluccensibus in Belgium advehunt, destillari; destillatumque ejus essentiale oleum in Hollandia pro oleo essentiali Caryophyllorum divendi.

CASSIA LIGNEA *Offic. Botanicis* LAURUS. Classis Pauci-stam. *German.* Cassien-Holtz, Mutter-Zimmet. *Gallis* Cassia lignea. *Anglis* Cassia lignea.

LAURI *foliis lanceolatis*, *trinerviis*, *nervis supra basim unitis*, cortex, est cinnamomo satis similis, colore,

lore, odore, & ſapore: guſtus tamen diſtinguit debilius aroma, & glutinoſum, quod cinnamomo non ineſt.

VIRES MEDICÆ cinnamomo debiliores, tamen adhuc in diarrhœis ob glutinoſam, & roborantem, utiles.

PRÆPARATA. *Eſſentia* caſſiæ ligneæ cum ſpiritu vini tartariſato facta, laudabilis.

CHAMÆPITYS *Offic. Botanicorum* BUGULA. TEUCRIUM L. Claſſis Natur. Ringentium. *Germ.* Schlagkräutlein. *Gallis* Ivete. *Anglis* Ground Pine.

BUGULA *foliis trifidis, floribus ſparſis in alis foliorum* HALL. Teucrium foliis linearibus trifidis integerrimis L. Reſinoſa, amara plantula, plurimum aromatis habet. Herba præſcribitur.

VIRES MEDICÆ in rheumatismo, arthritide, malo iſchiadico, incipiente podagra, nervorum morbis longo uſu laudabiles. Laudant etiam in arthritide & doloribus rheumaticis PARISIENSES.

PRÆPARATA. *Aqua* ſtillatitia egregiæ virtutis: *extractum* multum adhuc medicatum, quia reſinoſum.

CINNAMOMUM *Offic. Botanicorum* LAURUS. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Zimmet. *Gallis* Canelle. *Anglis* Cinnamon.

LAURI *foliis ovato-oblongis, trinerviis, baſi nervos unientibus*, cortex, eſt tenuis, in cannulas convolutus,

lutus, coloris ex flavo dilute rubeſcentis, odoratus, aromaticus, ſaporis cum ſuavitate acuti, evanido aromate adſtringentis, & hic optimus probatiſſimusque: vis in interiori corticis pellicula præcipua.

VIRES MEDICÆ, ubi domandum venit frigus a flaccida vaſorum diatheſi, humorumque inertia mucoſa, & aquoſa; ſtimulantes, roborantes, in exhauſtis recreantes, ſapidæ; tum & carminativæ, ſtomachicæ. Forma pulveris drach. ſemis, electuarii, vini medicati unc. ſemis, una, cum aliis præſcribitur, tum ad gratiam, tum indicationem.

PRÆPARATA & COMPOSITA varia ſunt: *Aqua* cinnamomi *bugloſſata* in involuntariis triſtitiis utilis. *Aqua* cinnamomi *cydoniata* inutilis. *Aqua* cinnamomi *ſpirituoſa* lactea, optimum analepticum, & cardiacum, non doſi aquarum ſtillatitiarum, ſed ſpirituum, præſcribenda. *Aqua* cinnamomi *cum vino*, quæ zingiberis ſtimulum adhuc habet. Cur multa vitra cryſtallina aquam cinnamomi albeſcere, etiam flaveſcere faciunt?

Syrupus ſatis male unam ebullitionem ſuſtinet, cæterum egregius. *Oleum* ſtillatitium ex diverſis plantæ partibus varium, hoc camphoratum, illud aquæ innatans, aliud fundum petens, poſtremum noſtris officinis frequens, ſæpe adulteratum: genuinum ratione virtutis inſtaurantis; in collapſis gravidarum, parturientium, puerperarum viribus, ubi nulla ſubeſt febris, hucusque cognitorum princeps, in ovo ſorbili, vino, ſaccharo, duarum, trium guttarum pondere exhibendum, tum in violento ventriculi ſpasmo podagra dolentes vexante guttam unam alteram hujus olei aut ma-

cis

cis e cochleari vini hiſpanici cum effectu aliqui præſcribunt. Externe in oſſium carie potentiſſimum. Sic ad ſeparandas partes oſſium carioſas, frequenti præſcriptione ſe nihil vidiſſe, aut legiſſe convenientius, teſtatur TULPIUS. Tincturam in hæmorrhagia lochiali cum aqua meliſſæ datam proficuam invenit van SWIETEN.

CORTEX WINTERANUS *Offic. Botanicorum* LAURUS. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Magellaniſcher Zimmet. *Gallis* Canelle blanche. *Anglis* Wild-Cinnamon.

LAURI *foliis enerviis, obverſe ovatis, obtuſis*, cortex, canella alba officinarum, eſt etiam in oblongos convoluta tubulos, exalbidos, cinnamomo craſſiores, ſaporis ex plurimis aromatibus mixti, acris, pungentis ſimul.

VIRES MEDICÆ præcedentibus calidiores, ſtomachicæ, carminativæ, incidentes, in mucoſitate primarum viarum, in catarrhoſis, & paralyticis affectionibus. Pulveris doſis ſcrup. ſemis ad ſcrupulum unum, vini medicati unc. ſemis.

CASCARILLA *Off. Botanicor.* CROTON. Claſſis Natur. Incompletar. *Germ.* Schackarille. *Anglis* Cascarilla.

CROTON *foliis lanceolatis acutis integerrimis petiolatis, ſubtus tomentoſis, caule arboreo.* Ricinoides æleagni folio, ſeu Hathera CATESBEO, qui etiam ejus iconem cum deſcriptione dedit, dicitur. Plantam omnibus Bahamæ inſulis, maxime illa Elatheria, aliis Eleutheria dicta creſcentem, multi cum Clu-

Clutia Eluteria confundunt. Convolutus hoc nomine in officinis cortex externa facie albidus, inodorus, insipidusque, interna fuscoferrugineus, grati odoris, saporis amariusculi, aromatici. Ejus rasura primo herbæ nicotianæ commixta, fumo per fistulam tabacariam attracta, multo sese recommendabat sapore, dein etiam cortici peruviano substituta ejus vis fuit, in plurimis casibus laudata.

USUS MEDICUS Cascarillæ in dysenteria epidemica probatus *Acad. des Sciences 1719.* Calefaciens, roborans, stomachica vis in morbis frigidis, ventriculi, intestinorum, pectoris, uteri, hodie in Germania nota est. Jungitur cortici peruviano in intermittentium curationem. Datur a granis quindecim ad triginta in pulvere, unciæ semis dosi infusione aquosa, aut vinosa.

PRÆPARATA. *Extractum* simplici non comparandum. *Essentia* spiritu vini tartarisato facta laudabilis.

CORIANDRUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Coriander. *Gallis* Coriandre. *Anglis* Coriander.

CORIANDRUM *fructibus globosis*, solum semen officinis concedit. Recens graveolens, ingratum, cum floribus sambuci conciliat tamen vino fragrantiam moschatam. De ejus virulentia experimenta desunt, quidquid commentatores in MESUEN Monachi opponant.

VIRES MEDICÆ stomachicæ, carminativæ.

CU-

CUMINUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Umbelliferarum. *Germ.* Kümmel. *Gallis* Cumin. *Anglis* Cummin.

Sola officinalia ſemina, ſunt inter IV calida majora recenſita: odorem habent gravem, vehementem, ſaporem aromaticum, ſubamarum, acrem, ingratum tamen; ob digeſtionis vitia & flatus, edulia hinc inde facta ſunt. Omni forma dari poſſunt.

VIRES MEDICÆ carminativæ præſtantes, in cauſa frigida certæ; tum in glutinoſis primarum viarum morbis, in colica flatulenta, tympanitide auxilio eſt; conducit etiam anhelatoribus, orthopnoicis; externus frequentiſſimus forma fumi, cataplasmatis, fomenti, pulveris ſicci, diſcutiens in tumoribus aquoſis ſcroti, aliarumque partium, uſus.

PRÆPARATA. *Oleum* ſtillatitium, carminans. Doſis aliorum ſtillatitiorum.

COMPOSITA. *Ceratum* de cumino, adultum parum efficax.

CYPERUS LONGUS / ROTUNDUS } *Off. Botanicorum.* Claſſis Natur. Graminum. *Germ.* Cyper-Wurtz. *Gallis* Souchet. *Anglis* Cyperus.

CYPERUS *longus culmo triquetro, folioſo, panicula folioſa, ſupradecompoſita, pedunculis nudis, ſpiculis alternis gaudet*, dum rotundus *culmo triquetro, ſubnudo, umbella decompoſita, ſpiculis alternis, linearibus* inſtruitur; utriusque plantæ fragrans aromatica radix in uſu eſt, quæ datur in ſubſtantia, in taleo-

las

las diſſecta, in pulvere ad drach. ſemis, infuſo ad unc. ſemis, integram.

USUS MEDICUS hodie vix multus. Plurimi ad ulcera interna uteri, veſicæ, oris, ex HIPPOCRATE, HOFFMANNO, SIM. PAULI, laudant. Prodeſt etiam paralyticis, & ſtimulo aromatico egentibus.

DICTAMNUS ALBUS *Offic. Botanicorum* FRAXINELLA. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Weiſſer Dictam. *Gallis* Fraxinelle. *Anglis* White Dittany.

Ex hac in officinis ſolius radicis cortex, licet vires capſulæ ſeminales longe majores, quam radix, promittant: hæ fragrantiſſimæ balſamo nativo terebinthinaceo turgidæ, etiam manus odore non ingrato afficiunt, quod & de caule notum; ſiquidem æſtivis diebus candela plantæ ſuppoſita, flammam capit, quæ totam plantam lambat; odor graveolens a vermiculis per microſcopium in floribus obſervatis, GEIER: quo experimento! ablatis floribus odor in cortice caulis idem, etiam antequam flos erumpat. Radix recens odorem viroſum habet, ſaporem amariſſimum.

VIRES MEDICÆ cardiacæ, antipeſtilentiales, antihyſtericæ, anthelminticæ, a multis enixe commendantur.

DICTAMNUS CRETICUS *Offic. Botanicorum* ORIGANUM. Claſſis Naturalis Ringentium. *Germ.* Cretiſcher Dictam. *Gallis* Dictame de Crete. *Anglis* Dittany of Candy.

ORIGANUM *foliis tomentoſis*, *ſpicis nutantibus*, definitur botanicis. In uſum officinalem ſola vocantur folia, jam antiquitati celebria.

VIRES MEDICÆ ſtimulantes, fragrantes, balſamicæ, mucoſis, lethargicis, etiam ulceratis utiles; in partu difficili non ſatis rationales, in ſola debilitate parturientis, dato poſitu infantis naturali, proficuæ. Forma pulveris a ſcrup. drach. ſemis ad ſcrupulos duos, in vino medicato manip. I.

ENULA *Off. Botanicorum* INULA. Claſſis Natur. Compoſitar. Radiatarum. *Germ.* Alantwurtz. *Gallis* L'aunée. *Anglis* Elecampane.

INULÆ *foliis ovatis, ſubtus tomentoſis, calycum ſquamis ovatis*, radix, acris, aromatica, alexiteria, ſudorifera, pellens, eximia vi, incidendi glutinoſa, & ſtimulandi ſolida, in aſthmate, fluore albo, morbis ventriculi, cutis, utili gaudet; dicitur etiam valere ad tremorem a mercurialibus relictum, & a calculo præſervare infuſum aquoſum per XIII. dies potum, *Commerc. litt. Norimberg.* & prunis injectum pulverem pulices & muſcas abigere. In decocto unc. ſemis, in pulvere ſcrupulus, drachma una.

PRÆPARATA. *Extractum* egregium. *Syrupus* itidem bonus.

GALANGA MAJOR / MINOR } *Offic.* Claſſis Natur. ignoratur. *Germ.* Galgan. *Gallis* Galanga. *Anglis* Galangal.

Radices tuberoſæ, nodoſæ ſunt: eſt vero galangæ *majoris* radix ignavior, & colore dilutior, *minoris* fortior, coloratior, odoratior, jam monente MATHIOLO. Javanenſibus in ciborum condimentis inſtar zingiberis, quo valentior, adhibita, recens etiam acetariis advocata.

VIRES

VIRES MEDICÆ admodum fervidæ, acres, in cruditate ventriculi, morbis pituitosis utiles. An vero sint in singultu, vertigine, specificæ, ut L. prodit? multum dubitari debet; in colica lochiali, in qua idem autor laudat, periculosæ sunt. Calidi aromatis recentis dosis, in substantia scrupuli semis, gran. quindecim, in infuso aquoso vel vinoso drach. trium, unciæ semis.

COMPOSITA. *Species* diagalangæ ad morbos ab inertia mucosa ortos valent.

GENTIANA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Pauci-stam. *Germ.* Enzian. *Gallis* Gentiane. *Anglis* Gentian.

GENTIANÆ *corollis rotatis*, *verticillatis*, amarissima radix, bili succedanea, in febribus intermittentibus, horum languore, bilis defectu, inertia, egregiæ efficaciæ. Unicum, & præstantissimum est podagræ remedium, HALLERUS, calculi, LINNÆUS. Est etiam stomachicum, & anthelminticum. Externe decoctum cum melle ulcera, & fistulas depurat, radix cava fistulas ampliat. Forma pulveris, decocti, rarior: in hoc scrupulus unus, in illo drachmæ tres. Extracti in catapotia redacti frequentior, gran. duodecim, dosim dein augendo.

HYPERICON *Off. Botanicorum.* Classis Natur. Multi-stam. *Germ.* S. Johannes-Kraut. *Gallis* Mill-Pertuis. *Anglis* S. John's-wort.

HYPERICON *foliis punctatis*, *obtusis*: vim vulnerariam, & anthelminticam specificam hacet, LINNÆUS. In dispositione phthisica utiles flores HOFFMANN. *de praestantia Remed. Domesticorum.*

HYSSOPUS *Off. Botanicorum.* Claſſis Natur. Ringentium. *Germ.* Iſop. *Gallis* Hiſſope. *Anglis* Hyſſop.

HYSSOPUS *ſpicis ſecundis Botan.* herbam nobis largitur, ſaporis acris, amari, aromatici, ſtimulantis, odoris ſimilis.

VIRES aromaticæ ſtimulantes, incidentes, in pituitoſis pulmonum morbis multum probatæ ſunt: in tuſſi, catarrhis, aſthmate utiles: ad libram unam aquæ, unc. ſemis, unam damus. Externe ad partes contuſas ſugillatas recentis hyſſopi coma, etiam planta cum vino, aceto, contuſa valet, tumoribus aquoſis faucium colluta medetur.

PRÆPARATA. *Conſerva* ex ſummitatibus floridis egregia. *Syrupus* compoſitus, eſt laudandus tamen. *Aqua* ſtillatitia virtutis plantæ.

IMPERATORIA *Off. Botanicorum.* SELINUM. Claſſis Natur. Umbelliferarum. *Germ.* Meiſter-Wurtz. *Gallis* Imperatoire. *Anglis* Maſtor-Wort.

SELINUM *foliis tripartito-diviſis, & ſub-diviſis.* Radix ſola officinalis, licet non ignobiles in reliquis plantæ partibus vires ſint; diſciſſa folliculos balſamo odorato igneo plenos exhibet; exſiccationem fert, ſed brevi carioſa fit. Recens ob acrimoniam etiam purgat.

VIRES calidiſſimæ, diureticæ, ſudoriferæ, etiam alexipharmacæ, in morbis frigidis ex mucoſa humorum diatheſi, ut leucophlegmatia, ſuppreſſis menſtruis, hydrope incipiente, multum incidentes, etiam in paralyſi ſtimulantes. Sumitur in taleolas diſſecta in mor-

bis

bis ventriculi, in pulvere ad ſcrupulum unum: ad unciam ſemis in infuſo vinoſo, aut aquoſo. Externe ad tumores colli ſtrumoſos, contuſa folia, cum ſale & aceto trita, laudantur. Radix in paralyſi linguæ ore volvitur, eſt enim apophlegmatiſans.

JUNIPERUS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Incomplet. *Germ.* Wachholderſtaud. *Gallis* Genevre. *Anglis* The Juniper-tree.

JUNIPERUS *foliis ſeſſilibus, patentibus;* inter triſtes arbores recenſita PLINIO, dat diverſas officinis partes; baccas, quæ balſamorum nativorum terebinthinaceum quaſi ſaporem habent; lignum, quod ſapore balſamico debili, præditum, accenſum odoratum eſt; ſandaracam, ſeu gummi Juniperi, quæ lacryma reſinoſa, odoris balſamici, non ingrati, deprehenditur.

VIRES diureticæ, diſcutientes flatus, attenuantes mucoſa, in morbis ventriculi, pectoris, absque magno calore eximiæ; ad hydropem per vias urinarias curandum arcanum medicamentum habuit HELMONTIUS, ex juniperi baccis, aqua ſtillatitia juniperi, addito roob juniperi, confectum, cochleatim exhibitum. Septentrionales populi univerſalis remedii loco utuntur infuſo, etiam in nephritide pituitoſa, ſabuloſa, utili, non ſemper tamen in calculo, licet ab hoc præſervet; nam etiam urinam cruentavit, & hujus frequentior, & major uſus lethalem diabetem induxit. *Acad. N.C. Vol. X.*

BACCÆ vel per ſe manducantur: cum aliis in pulverem rediguntur: doſis drach. ſemis: unciæ ſemis, integræ pondere contuſæ, infunduntur lib. I. aquæ. *Lignum* accenſum gravem, halitibus infectum aera luſtrat:

ſtrat: infuſum unciæ pondere in aqua calente in ſcabie, lue venerea, ligno quaiaci, ſaſſafras, exoticis, non cedit: decoctum non infimæ ad expugnandum ſcorbutum utilitatis HOFFMANN *de Balſamis*.

PRÆPARATA. *Aqua* ſtillatitia actuoſa. *Spiritus* ex baccis validus. *Oleum* deſtillatum duplex, ex baccis, & ligno; utrumque forte, externe magis, quam interne exhibitum: licet forma elæoſacchari, guttarum duarum, trium numero, dari poſſit in liquido. *Roob*, quod etiam Germanorum theriaca dicitur, ob uſum diaphoreticum, oleo deſtillato præfertur in renum morbis HOFFMANNO, a drach. duabus ad unc. ſemis, vel per ſe exhibetur, vel in theato Juniperi. *Sal* diureticus in vino juniperino ad drach. duas, tres ſolvi poteſt pro hydropico.

LAVENDULA *Off. Botanicorum.* Claſſis Natur. Ringentium. *Germ.* Lawendel. *Gallis* Lavande. *Anglis* Lavender.

LAVENDULA *foliis lanceolatis integris, ſpicis nudis.* Botanicis definitur planta: etiam ab aliis in latifoliam, & anguſtifoliam diſtincta, non adeo utiliter, cum promiſcue utramque officinæ uſurpent. Habemus herbam & ejus flores. Penetrabile aroma etiam tineas arcet veſtibus conceptum.

VIRES in morbis pituitoſis, & languore frigido, cephalicæ, nervinæ, uterinæ eximiæ: in debilitate ſenili, languore viſus, imminutione auditus, lethargo, artuum tremoribus, paralyſi, præſtantes: in aphonia, balbutie, multum laudat RULANDUS infuſum. Doſis manip. ſemis, integer, additis etiam floribus ad pugillos

gillos aliquot. Externe in ſacculos nervinos paralyticorum, diſcutientes recipitur.

PRÆPARATA. *Aqua* ſtillatitia *cum & ſine vino* egregia. *Spiritus* lavendulæ laudabilis. *Oleum* ſtillatitium lavendulæ efficaciſſimum, in convulſionibus a vulnere, aut punctura obortis, ſpecificum tam externe quam interne habetur, BARBETTE.

Oleum ſtillatitium *Spicae* etiam habetur ex congenere planta, genuinum & ſincerum in noſtris officinis admodum rarum, cum ſemper adulteratum ſit etiam aliis conflatum, ut demonſtravit GEOFFROY junior *Acad. des Sciences 1715:* adulterari vero dicit ſpiritu vini & Terebinthinæ oleo; & oleum ſpicæ Terebinthinæ eſſe oleum petroleo tinctum, contendit ALLEYNE a *New. Engliſh. Diſpenſ.* *Balſamus* lavendulæ inunctionibus etiam utilis. *Conſerva* ex floribus drachmæ unius, vel duarum mole, vacuo ventriculo aſſumenda, cum aqua ſtillatitia lavendulæ vitiis ſenilibus pulchre opitulatur.

LAURUS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Pauci-ſtam. *Germ.* Lorberbaum. *Gallis* Laurier. *Anglis* The Bay Tree.

LAURUS *foliis lanceolatis, peremantibus, corollis quadrifidis*, definita, folia & baccas officinis, culinis folia maxime offert. Celebratiſſima omni antiquitati planta, honoris, & lætitiæ ſigno fuit, nobis ob aroma potiſſimum laudata.

VIRES. Baccarum foliis magis excalefacientes, & pertinaces, ad roborandas a muco languentes partes, utiles, ut inappetentia, mala digeſtione, colica, flatibus, morbis pallidis virginum, etiam incipiente hydrope; in colica lochiali raro tutæ; & ad difflanda vene-

na in initio, ubi hæc adhuc vaga nulli parti insedere, proficuæ. Tumorem manuum, & pedum subitaneum ab assumptis baccis lauri in chlorotica habet MATERNI de Cilano *Acad.* N. C. *Vol. X.* an geometrico judicio, ab his esse, evictum? Baccarum, & foliorum forma eadem fere, eaque varia. Commodius tamen forma pulveris folia, quam baccæ dantur, quod hæ pinguiores. Dosis ad scrup. semis; in vinis medicatis baccarum contusarum unc. semis, etiam una pro hydropicis.

PRÆPARATA. *Oleum* coctum, tumoribus frigidis inungitur, etiam carminativo scopo clysmatibus additur, ad unciam unam. *Oleum* stillatitium unguentis discutientibus roborantibus, nervinis admiscetur.

COMPOSITA. *Electuarium* de baccis lauri, quo carere possemus. *Emplastrum* de baccis lauri, quod in doloribus colicis, flatulentis, in diarrhœa, quandoque cum levamine abdomini applicatur.

LIMONIORUM recentes cortices, oleum p. 47.

MAJORANA *Off. Botanicor.* ORIGANUM. Classis Natur. Ringentium. *Germ.* Meiran. *Gallis* Mariolaine. *Anglis* Sweet Marioram.

ORIGANUM *foliis ovatis, obtusis, spicis confertis, compactis, pubescentibus,* definitur. Sitne majorana sampsuchus DIOSCORIDIS? nondum finita lis est. Habent officinæ herbam, & præparata.

VIRES in inerti fibra, glutinosis humoribus, & spirituum languore summæ, stimulantes, incidentes, moventes, cephalicæ, & nervinæ, pertinaciter fragrantes sunt; hinc in vertigine, aurium tinnitu, lethargo, paralysi, artuum tremore, apoplexia, dum mala

hæc

hæc ſenile corpus, aut etiam mediæ ætatis leucophlegmaticum habent, eminent. In morbis catarrhoſis frigidis, morbis pectoris glutinoſis, cum ſpirituum languore, inertia, duplici ex capite herba valet; tum quod potenter glutinoſum dividit, incidit, tum quod vim nervis infundit, ſpiritus excitat. Doſis in pulvere gran. triginta; in libra una aquæ, vini, infunduntur herbæ drach. tres, quatuor. Externe additur ſacculis cephalicis, cordialibus, adhibetur balneis antiparalyticis. Pulvis, aqua ſtillatitia, aut etiam infuſum, naribus attracta, errhina ſunt.

PRÆPARATA. *Conſerva*, *aqua* ſtillatitia, *oleum* deſtillatum, iisdem in caſibus actuoſa medicamenta ſunt: Oleum interne elæoſacchari forma datur, externe in unguentis antiparalyticis adhibetur: peculiare hoc habet, quod rectificatum in corpus ſalinum concreſcat. *Oleum coctum* inutile. *Balſamus* majoranæ externo uſui dicatus eſt.

MARUM VERUM *Off. Botanicor.* TEUCRIUM. Claſſis Natur. Ringentium. *Germ.* Edel-majoran. *Gallis* Marum. *Anglis* Syrian Maſtich. Thyme.

TEUCRIUM definitur *foliis lanceolatis, integerrimis*, *floribus ſolitariis*, *laxe ſpicatis*, quod vulgo marum CORTUSI B. Rarum ſatis, feles hac planta allici, hanc ſalutare, mordere, quandoque manducare, unde temulentæ furentes ſint. Ex officinis herba, odoris fragrantiſſimi, acutiſſimi.

VIRES majoranæ, vehementiores tamen, in iisdem caſibus laudatæ, adhuc in hydrope, aſthmate ſpecificæ LINNÆO habentur. Pulverem ut inſigne errhinum

extollit QUINCY, & ex foliis ſal volatile oleoſum cephalicum præſtantiſſimum paravit.

MASTICHINA. Marum Maſtich. *Offic.* *Botanicorum* THYMUS. Claſſis Naturalis Ringentium. *Germ.* Maſtichkraut. *Anglis* Maſtich.

THYMUS *verticillis lanuginoſis, dentibus calycinis ſetaceis, piloſis*, cognoſcitur; non omnibus tamen officinis habetur, quod marum verum huic vulgari præferant.

VIRES aromaticæ fragrantes, nervinæ egregiæ, ſed majorana, & maro vero mitiores, non ideo tamen ſpernendæ, ſpecificæ non notæ.

MENTHA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Ringentium. *Germ.* Müntzbalſam. *Gallis* Mente. *Anglis* Mint.

Plures MENTHÆ ſpecies hinc inde officinis inſunt: omnes facile ſuperat mentha *criſpa*, exiguo epitheto ab aliis ſatis diſtincta. De mentharum temperamento ex DIOSCORIDE, qui calefaciens, ex PLINIO, qui venerem exſtinguens, pronunciarunt, inutiliter aliqui diſputant; ex fabula PLINIUS dixit.

VIRES calefacientes, ſtomachicæ, carminativæ, uterinæ in cauſis frigidis certæ, vomitum, ſingultum, mirum in modum compeſcunt, tuſſi etiam convulſivæ obveniunt: etiam vulneraria, balſamica mentha eſt. In pulvere ad drach. ſemis datur, in infuſo ad unciam ſemis, integram. Externe diſcutiente, & roboran-

borante ſcopo in aquoſis defluxionibus, antiſeptico in contuſionibus, chirurgis multum utile quaſſum recentis plantæ folium.

PRÆPARATA. *Conſerva* egregiæ virtutis. *Aquae* ſtillatitiæ *cum vino*, *ſine vino*, etiam per fermentationem paratæ, non ignobiles. *Eſſentia* menthæ efficax. *Syrupus* utilis; *Oleum* eſſentiale calidum, multum fragrans, ſtomacho utile. Totius menthæ medicina in vomitu, ſingultu, cholera, adjecto laudano commoda, & felix, ſi inflammatio abſit. Eſt adhuc *balſamus* menthæ.

NUX MOSCHATA, MYRISTICA. *Off. Botanicorum.* Claſſis Naturalis ignota. *Germ.* Moſchatt-Nus. *Gallis* Muſcade. *Anglis* Nutmegs.

NUX MOSCHATA tam culinis, quam officinis notiſſima, ut & medius hujus nucis cortex, Macis. Ut ad nos transportentur, præparantur diverſimode. Quæ nuces rotundæ ſunt, ponderoſæ, optimæ; deterrimæ oblongæ, quadratæ, ſaporis ingrati, odoris vix ullius.

VIRES in recentibus narcoticæ, ſtupefacientes, plurimis obſervatæ, certæ; caro homines corripi, & jacere mutos, etiam improvido uſu ſtuporem, & levem apoplexiam induci BONTIUS, temulentas ab harum uſu concidere aves THEVENOTUS, gravidam, recentium eſu capite tentatam, & ebriam, LOBELIUS, habent. Puella pluſculum macis ad movendos menſes aſſumens, delirio per aliquot horas tentata eſt, apud FR. HOFFMANNUM. Cæterum in laxis vires ſtomachicæ, anticolicæ, excalefacientes, etiam emmenago-

nagogæ, ex oleo copioſo pertinaces, in paralyſi ſtimulantes. Doſis & nucis moſchatæ, & macis eadem fere a granis quinque ad decem, forma pulveris; in infuſi vinoſi libra una ad drachmas duas recipi, & ultra poteſt.

PRÆPARATA. Nux recens in Indiis *condita* per ſe exhibenda, ſcrup. drach. ſemis pondere, etiam aliis formis immiſcenda majori. *Oleum deſtillatum* nucis moſchatæ, odoratum, pretioſum, carminans ſtomachicum, ſed multum calidum, externe etiam balſamis, unguentis nervinis adhibitum. *Oleum* nuciſtæ *preſſum* per ſe vix multum odorum, ſpiritu tamen rectore olei eſſentialis aliquatenus inficitur inſtar butyri conſiſtens, non facileranceſcens, balſamorum baſis, morbis externis frigidis articulorum perſanandis, litu utile, etiam interne in vomitionibus, diarrhœis, aliis additum, vel forma elæoſacchari uſurpatum. *Eſſentia* macis egregia. *Oleum deſtillatum* macis ejusdem ac nucis uſus.

PIMPINELLA ALBA. *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Umbelliferar. *Germ.* Bibernel. *Gallis* Pimprenelle blanche. *Anglis* White Saxifrage.

PIMPINELLA *foliolis ſubrotundis*; calida, acris, in Germania a STAHLII aſſeclis multum laudata in morbis pituitoſis, ventriculi, pulmonis, febribus intermittentibus. Doſis pulv. a granis ſex, ad octo. Etiam maſticata ſialagoga eſt. *Eſſentiam* ſtimulantem ad mercurium e corpore eliminandum laudat SCHULZ. *Diſpenſat. Brandeburgico.*

PULE-

PULEGIUM *Offic. Botanicorum*, nonnullorum Mentha. Classis Naturalis Ringentium. *Germ.* Herzpoley. *Gallis* Pouliot. *Anglis* Penny-royal.

PULEGIUM *foliis subrotundis*, *verticillis nudis*, HALL. ut olim, ita etiam hodie, inter condimenta relatum in culinis, herbam suam largitur officinis.

VIRES acriter stimulantes languidas fibras, potenter incidentes mucosos humores, omnes tribuunt; etiam ab his causis emmenagogas, pectorales laudant, in asthmate, tussi, utiles, dum infusum cum melle potatur. Dosis unc. semis infundenda libr. uni aquæ calidæ, addendo mellis, vel oxymellis squillitici unc. I. In hunc usum etiam pulegium cum hyssopo certat.

PRÆPARATA. *Aqua* stillatitia, egregia. *Extractum* non adeo laudabile, licet non inefficax. *Oleum* stillatitium validum.

RUTA *Off. Botanicorum.* Classis Pauci-stam. *Germ.* Weinraute. *Gallis* Rue. *Anglis* Garden-Rue.

RUTA *foliis decompositis;* est proprie hortensis latifolia, dum ruta foliis incisis, lobulis linearibus, acutis, est sylvestris.

Veteribus modo ruta, modo peganum, modo harmala dicta est, magnæ, & adversus fascinum, & venena laudis. Sic mustum rutatum comitiis peractis a CORNELIO CETHEGO datum populo, PLINIUS; HERACLEOTAS esu rutæ a CLEARCHO tyranno sibi

ſibi caviſſe, THEOPOMPUS CHIUS; nec ignoratur Regis Ponti antidotum. Odorem penetrabiliſſimum, ingratum, graveolentem, planta habet, ſaporem ingratum, cum amaritie, ſubacidum: ſanguinem dilutiorem fluidiorem facit, SCHWENCKE, & contuſa externe applicata rubefacit.

VIRES, vago in ſanguine ſubtili miasmate, nec adhuc parti infixo, antipeſtilentiales proficuæ, in paſſione hyſterica, epilepſia, multæ. Scopo ſudorifero emmenagogo, felices. Familiare eſt infuſum vinoſum aut aquoſum. Doſis manip. ſemis ad libram unam liquidi. Externe contuſa cum ſale recens planta, addito vino, aceto, ad contuſas, & emortuas partes, tum quod putredinem cohibeat, ſolida exſtimulet, extravaſatum ſanguinem fluidiorem reddat, non ſatis laudandum cataplasma conſtituit. Eſt etiam rubefaciens ſanis partibus applicata, hinc vel ſola, vel fermento panis miſta, contuſa, in convulſionibus, locis ſubpopliteis applicatur. Ruta in vino rhenano infuſa addito marino ſale utiliter foveri pedes illorum, qui a podagra non revertente alia mala metuunt van SWIETEN perhibet.

PRÆPARATA. *Conſerva*, laudabile medicamentum drach. ſemis, unius pondere exhiberi poteſt. *Aqua* ſtillatitia, *Eſſentia* rutæ, pulcherrimarum virium. *Acetum* rutaceum magnum diaphoreticum. *Oleum* ſtillatitium efficaciſſimum, *infuſum* vix non inutile.

SABINA *Off. Botanicorum* JUNIPERUS.
Claſſis Natur. Incomplet. *Germ.* Sevenbaum.
Gallis Sabine. *Anglis* Savine.

JUNIPERUS *foliis inferne adnatis, oppoſitionibus concatenatis*; hæc planta botanicis vocatur. Cæterum

terum etiam folio cupreſſi, & odore gravi, facile cognoſcitur, perpetuo virens, fruticoſa planta. Magnarum virium ſabina, quid ſingulare habet, & inter aromatica vix ulla alia eſt, quæ tantam olei eſſentialis quantitatem largiatur. Ex libra una olei ſtillatitii unc. tres HOFFMANN. L. B. van SWIETEN, uncias duas cum ſemiſſe CARTHEUSERUS. Sanguinem etiam fluidiorem, & magis rubicundum reddit, SCHWENCKE.

VIRES MEDICÆ, ex ingenti olei eſſentialis copia, moventes, uterinæ, emmenagogæ ſpecificæ, omnibus notæ, ſed in cauſis frigidis tantum utiles; Sabina ſceleſtæ conceptus tentant mulieres, vix unquam tuto, plerumque oborto ſanguinis profluvio, lethali uſu; non minus improbo, partum difficilem, retentas ſecundinas hac aggreditur, conſilio medicus. Periculoſa medicina eſt. In paralyſi, ubi languidæ exſtimulandæ partes, motus per collapſa, & obſtructa vaſa minima adaugendus, impactum ſolvendum, plurimum utilis: Doſis in diverſis caſibus varia: In infuſo, vel etiam decocto pugilli unius, alteriusve pondere ad libram unam liquidi, etiam manip. ſemis. Externe in ſuffimigia, balnea, adhibetur.

PRÆPARATA. *Aqua* ſtillatitia efficax. *Oleum* ſtillatium interno, & externo uſu validum in paralyticis. *Extractum* magnarum adhuc virium, licet multas in operatione perdat.

SALVIA *Off. Botanicorum.* Claſſis Natur. Ringentium. *Germ.* Salbey. *Gallis* Sauge. *Anglis* Sage.

SALVIA *foliis oblongis, retorridis, calycibus acutis tubo minoribus.* Sacra veteribus habita, multis; ex

ex fabula forte vituperata eſt. Sanguini pulcherrimum colorem rutilantem conciliat, SCHWENCKE; decoctum cum vitriolo martis atramentum facit; adhæc camphoram largitur.

VIRES aromaticas nervinas ex penetrabili aromate magnas habet, inde diaphoretica, diſcutiens, exacuandis ſenſibus languidis, & confortandæ memoriæ dicata, & quia ſimul roborantes, tonicas poſſidet, ideo tremori ſenili, paralyſi, fluori albo, & in caſu frequentis ex laxitate abortus, plurimum utilis, nec in hydrope ſpernenda. Teſtatur *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN, quod ad ſudores nocturnos, poſt morbos ex ſolidorum laxitate ortos, ſalvia ſpiritu vini infuſa, vel alio modo adminiſtrata, nihil invenerit efficacius. Doſis, uncia una libræ uni liquidi infunditur. Coctione major vis roborans, minor aromatica habetur, influxu ſeroſo mammarum etiam poſt ablactationem permanente & emaciante, ſalviæ forte infuſum omni trihorio ad uncias duas datum, ultimum remedium invenit *Illuſtr.* van SWIETEN. Externe ad roborandas partes laxas, ſalvia, cum baccis lauri, juniperi, multum utuntur. Vetula apud FORESTUM curavit cancrum ſalvia maſticata appoſita.

PRÆPARATA. *Aqua* ſtillatitia, ſi cohobata, camphoram Aſiaticam redolet, efficax. *Spiritus* egregiarum virium. *Oleum* eſſentiale parca manu ſtillatitium, aquæ innatans, virtutis plantæ ditiſſimum. *Conſerva* ex floribus, ſenibus utilis.

SERPILLUM *Offic. Botanicor.* THYMUS. Claſſis Natur. Ringentium. *Germ.* Wilder Thymian. *Gallis* Serpolet. *Anglis* Mother of Time.

THYMUS *verticillis in ſummis ramis congeſtis, foliis ovalibus, baſi ciliatis, flore minore.* HALL.

Tum

Tum officinis, tum culinis, sua folia largitur, penetrabilissimum aroma habet, cum congeneribus, viribus corporis viventis indomitum, etiam sanguinem, & carnes inficiens, & suaviores reddens. Mel etiam has plantas sapit ex his confectum.

VIRES calidæ, stimulantes, attenuantes, a sequenti sola stypticitate distinctæ, ut serpilli tonicæ magis, thymi magis odoratæ. Infunditur in libra una liquidi ad unciam semis. Externe etiam in fomentis, balneis nervinis adhibetur.

PRÆPARATA. *Aqua* stillatitia balbutientibus pueris proficua. *Spiritus* multum stimulans, in linguæ paralysi utilis; *oleum* stillatitium.

THYMUS *Offic. Botanicorum.* Classis Natur. Ringentium. *Germ.* Thymian. *Gallis* Thym. *Anglis* Thyme.

THYMUS *erectus*, *foliis ovatis*, *reflexis*, *floribus verticillato-spicatis* L. tum officinis, tum culinis, suas largitur divitias, fragrantes, aromaticas. Ex hoc certa encheiresi camphora elici potest.

USUS calidæ plantæ, ubi incidendum mucosum, ut in pectoris morbis, egregius, tum nervinus, emmenagogus, similis serpillo.

PRÆPARATA. *Oleum* essentiale thymi, quod tantæ est acrimoniæ, ut non solum omnia olea essentialia Europæa superet, sed etiam Americana æquet.

ZINGIBER *Offic.* BOERH. Classis Natur. Palmarum. *Germ.* Imber. *Gallis* Gingembre. *Anglis* Zinger.

ZINGIBER *scapo nudo, spica ovata.* Jam veteribus cognitæ, quæ officinales sunt radices, etiam illis, ut nobis, condiebantur, hac diversitate, ut olim muria, hodie saccharo serventur; saporis sunt acerrimi, fervidi piperini, aromatici, discissæ odoris fragrantissimi. Habemus radicem zingiberis communis, intus nigricantem, aliam zingiberis albi, albam longe fervidiorem, etiam culinarem.

VIRES fervidæ, admodum acres. Conditarum radicum clementiores, siccarum pertinaciores: in exolutione fibrarum ventriculi, intestinorum, in languore pituitoso & harum, & aliarum partium, in morbis pallidis virginum, fluore albo, lethargo, hydrope, non spernendæ. Siccata radix rarius in pulvere datur ob nimiam acrimoniam, cum aliis dosis est gran. decem, duodecim; vinis medicatis ad unc. semis adjicitur. Condita ad drach. semis, integram exhibetur.



STIMU-

STIMULANTIA.

GUMMI-RESINÆ.

Succus vegetabilis concretus, igne vix ardens, aqua solubilis GUMMI: Succus vero vegetabilis concretus, igne continuo flagrans, spiritu vini solubilis RESINA: & quod ex utroque conflatur corpus, siquidem & in utroque menstruo solvatur GUMMI-RESINA vulgo definitur. Quantumcunque vero hæ notiones jam dudum apud multos receptæ sint, nec ideo aut evidentiores, aut veriores ipsa ætas effecit; dum & igne accenditur, & spiritu vini Gummi solvitur: & Resina etiam in aqua soluta visitur.

Primum est in experimento admoti ad flammam Gummi arabici, quod etiamsi inflammatum pelluciditatem amittat, cum Resina majorem non acquirat, & inflammata opaca magis fiat, discrimen in pelluciditate quæsitum valde imbecillum est, sed nonne etiam verum in Ammoniaco Gummi in flammam ardet?

Posteriora sunt in tentamine extractionis partium Aloes, aut Gummi resinosi alterius corporis argumenta; dum enim sumerentur pulveratæ Aloes hepaticæ HERM. unciæ duæ, una aquæ altera spiritui vini rectificato immitteretur, deprehensum est, unciam Aloes aquæ infusam, digestam, totam pœne solutam fuisse exceptis fœcibus & granis resinæ circiter quadraginta, *Pharmacien Moderne experiment.* 1 *de Aloe &* 2 *Calculo;* unciam vero alteram alcohole maceratam in integrum exceptis fœcibus solutam, *experiment.* 2. EJUS-

DEM, ut perſpicuum inconcuſſumque ſit, id, quod reſinoſum non eſt in Aloe & in aqua ſola ſolubile, licet maxima pars ſit hujus corporis, æque bene in alcohole ſolvi totum, ac quidem id, quod vere reſinoſum eſt, & in alcohole ſolum, non in aqua ſolubile ſit, licet minima pars ſit ejusdem.

Et hæc quidem probatio non in ſola Aloe conſiſtit, ſed etiam per omnia Gummi reſinoſa corpora extenditur, & jam a longo tempore perſpexere Germani, tum Chemici, tum Pharmacopæi, menſtruum primo loco adhibitum, Alcohol aut aqua fuerit, poſteriori advocato ſemper ditius eſſe, & ipſa gummea extracta ſolutioni in ſpiritu vini obedire, infuſa vehiculo aquoſo facta plurima, licet pellucida, magnam reſinæ vim ſolutam ſuſtinere, & extracta aquoſa eandem poſſidere; ut omnino laxe nimis omne id gummi dicatur, quod ex ſucco concreto in aqua ſolvitur, aut reſina, quod in ſpiritu vini.

Et nunc certum eſt, ſolius ætheris interventu, etiam ex plantis inodoris, Parietaria, Mercuriali, Viola, Carduo benedicto, & aliis, reſinam extrahi, quæ ſpiritu vini non obtineatur BAUME *Elemens de Pharmacie:* itidem ejusdem ætheris adminiculo ex impura Jalappæ reſina minorem ejus quantitatem extrahi, dum ſpiritus vini auxilio major ſemper obtinetur, dum tamen puriſſimas reſinas æther plus, quam ſpiritus vini ſolvit, IDEM; adde, neque id reſinoſum eſſe, quod vel Crocus & Cochinella in ſpiritum vini dimittit, dum ex his tincturæ fiunt, aut quod ex oleo preſſo olivarum, amygdalarum in ſpiritu vini ſolvitur, dum hæc commiſcentur, etenim aliquid ſemper ſolvi, in experimentis ſuis adinvenit induſtrius Vir MEYERS *im Chemiſchen Verſuch des ungelöſchten Kalchs. Hannover* 1764.

Nec

Nec ſane huc usque demonſtratum eſt, aut unam eandemque eſſe Gummatibus, aut reſinis naturam, quin in diverſis ſubjectis ratione diverſæ proportionis principiorum contrarium luculenter pateſcat: ſimpliciſſimum Gummi, & hoc nomine proprie inſigniendum, ex plantis minime aromaticis rupto cortice ſtillans, Gummi Ceraſorum, Gummi Arabicum, ipſum guſtu inſulſum eſt, in aqua ſolutum, hanc viſcidiorem, & ſpiſſiorem facit, deſtillatione acidum, & exiguam olei quantitatem largitur: quod vero ex plantis aromaticis, vel inciſo de induſtria vel caſu rupto cortice ſtillat, jam reſinæ commixtum, & nuptum Gummi ammoniacum, id ſapidum, & aromaticum, in aqua lacteſcit emulſum, in analyſi majorem olei, & acidi quantitatem ſuppeditat. Reſina contra vix non tota oleoſa & acida, verus eſt balſamus inſpiſſatus, ut igitur differentia, quæ inter hæcce corpora intercedit, pateſcat: in gummi enim mucilagine, inflammabilis oleoſa ſubſtantia acido ſubtili remixta, adeo mucilagine plantarum ſaponacea contemperata ſubactaque eſſe videtur, ut oleum haud amplius, & nonniſi in ultima analyſi ſiſtatur; in gummi oleaginoſo vero corpore oleum illud ſpiritu rectore dives ſaponis mucilaginoſi quantitatem longe excedat, hinc etiam ſtatim in experimento offeratur, & in puro reſinoſo corpore maxima quantitas olei, & quidem ætherei plerumque maxima, pariter acidi minima, mucilaginis obſervetur: & hæc quidem omnia etiam artificialis horum corporum confectio commonſtrat.

I. Cujuscunque vegetabilis mucilago ad ignem lente inſpiſſata gummi exhibet *Pharm. modern. Exper. I.*

II. hoc gummi mollius Terebinthina vulgari adjecta ſubactum induratum, gummi oleaginoſum. IDEM *Exper. II.*

III. quin & ſolutio gummi arabici inſpiſſata denuo aliquantulum, rite cum Terebinthina mixta exſiccata gummi oleaginoſa. *Exper. IV.*

IV. et adhuc amygdalinum mucilagini gummi arabici incorporatum, Gummi oleaginoſi phœnomena exhibet, addita enim aqua emulſionem conſtituit. IDEM *Exper. V.* & alii in aliis.

Reſinam vegetabilem hucusque nemo produxit per ſyncriſin, & per diacriſin ex Terebinthina vulgari obtinetur, & hæc eo potiſſimum conſilio diffuſius a me propoſita ſunt, ut intelligeretur, quibus quæque menſtruis felicius extrahi poſſint, aut formis commodioribus exhiberi debeant, in quam rem multi graviter peccant, dum corporis, quod reſerare volunt, naturam deſtruunt: mucilaginis gummi arabici interventu olea preſſa balſama, & alia corpora plura, Benzoinum, Myrrha, Styrax, Camphora, Moſchus, ſperma ceti in aqua ſuſpenſa tenentur, & ſoluta Experimentis BOGLE FRENCH *Medical obſervations and inquiries* T. I. p. 412. ſequent. &c. nec opus eſt ſpirituoſo menſtruo.

Gummi-oleaginoſa corpora, quæ & gummi reſinoſa alii vocant plurima, aqua ſimplici ſola, vel etiam menſtruo leviter ſpirituoſo, ut, dum aquæ ſpiritum vini addis, actuata felicius longe reſerantur, quam aliis tædioſis artibus: lac myrrhatum omni Myrrhæ tinctura ſpirituoſa efficacius eſt in experimento; & inconceptibile eſt, quare ſalis tartari interventu, & hæc reſinoſa pura tentarint plurimi; ſi enim absque acido reſina nulla ſit, & reſinæ vis in tinctura quæritur, ad quid tartari ſale acidum reſinæ perditur, & ipſa reſina invertitur? ad quid tot evaporationes, exſiccationes, non exiguam ſpiritus rectoris vim perdentes? ita malo conſilio Tinctura Myrrhæ ſpirituoſa paratur.

AM-

AMMONIACUM GUMMI *Off. Botan.* Claſſis ignoratur. *Germ.* Gummi Ammoniac. *Gallis* Gomme Ammoniac. *Angl.* Gum-Ammoniacum.

Quod juxta Hammonis templum in aridis Lybiæ arenis colligeretur, *ammoniacum* dictum, jam veteribus in ſincerum, thrausma, & minus probum, phyrama, diſtinctum fuit; utrumque adhuc noſtræ officinæ habent. Probatur ſordium expers, ſplendens, candidum thuris ſimilitudine. Succus odoris fragrantis, galbano viroſioris, ſaporis dulcis, dein amaricantis, mire aromatici, pertinacis, acris, carbonibus injectus in flammam ardet. Aceto, & aqua calida ſolvitur totus, ſaliva diluitur. Incredibile eſt, quantum fragrantiæ perdat, dum depuratur in officinis.

VIRES MEDICÆ. Anhelatoribus, orthopnoicis, comitialibus, laudat DIOSCORIDES; item, quibus humor in pectore coit, ſi cum melle delingatur, aut cum ptiſanæ ſucco ſorbeatur. Aſthmati ſpecifice obvenit, juvat multum hypochondriacos, & hyſtericas. Forma commodiſſima eſt pilularis, doſis gran. decem omni quadrihorio: vitello ovi ſoluti drach. ſemis cum aqua ſtillatitia, & ſyrupo pro hauſtu. Externe ſummum reſolvens, indurationi glanduloſæ, etiam articulari tumori conveniens; in aliis etiam magnum emolliens, maturans, prout diverſis jungitur: priori in caſu vitello ovorum, aceto ſcillitico ſolutum, poſteriori melle, aliis ſubactum applicatur. Unguentis, emplaſtris frequenter commiſcetur.

ASA FOETIDA *Off. Botanicor.* FERULA. Claſſis Nat. Umbelliferar. *Germ.* Teufelsdrek. *Gallis* Aſſa fœtida. *Anglis* Devel's-dung.

FERULA *foliolis alternatim ſinuatis, obtuſis,* L. gummi-reſinam Perſicam, quam aſam fœtidam officinæ

næ vocant, ex incisa radice stillat. Est hæc lacryma candida, pinguis, cremori lactis in initio similis, ad aeris vero, ut & solis contactum coit, lentescit, fit consistens, subfusca, pinguis, variis grumis splendentibus, albis, flavis intercurrentibus variegata. Recentis fœtor vehementissimus, ut drachma una centum libras vetustioris superet, KÆMPFERUS; saporem allii habet, sed hoc ingratiorem, calidum, amarum penetrantem. Quis crederet æneum esse Persis guttur, & condimenti loco adhiberi! salivam lacteo colore inficit, licet in hac tota non solvatur. Loca suo fœtore plurima adimplet, & in pondere non minuitur, BOYLEUS. Phosphorus hic naturalis, ut opium, agit, absque eo, ut hujus incommoda habeat, CHEINE *Biblioth. Britan.* T. III. Anno 1734. etiam transpirationem auget. IDEM.

VIRES præcedentibus stimulantiores, & in compescendis spirituum animalium irregularibus motibus potentiores, in phlegmaticis, quibus solum convenit. Dosis non, sed forma præcedentium, eadem, pilularis: datur ad grana quatuor, sex, octo. In paralysi, ubi stimulandum, artificialis etiam febris inducenda, scrupuli unius, imo drachmæ semis pondere exhibetur; ut interno, ita externo usu plurimum utilis: inde fiunt poma, noduli, antihysterica, suffimigia uterina, emplastra. Vis antihysterica eximia jam HOFFMANNO, L. B. van SWIETEN probata, ut specifica antidota vermibus laudata, *Acta Phys. Med. Vol. IX.* gr. V. bis ter de die dosi.

BDELLIUM *Off. Botan.* Classis Natur. ignoratur. *Germ.* Bdellium. *Gallis* Bdellium. *Anglis* Gum Bdellium.

Massa coloris ex fusco rubentis, utcunque pellucida, odoris vix validi, non ingrati tamen, minimo calore ductilis,

ctilis, saporis in initio vix multi, dein subtilissimi, amaricantis, acris, sub hoc nomine habetur. Probatur sordis expers, translucidum, suffitu odoratum.

VIRES MEDICÆ calefacientes, emollientes, discutientes, omni puncto ammoniaco inferiores, cujus caliditatem, amaritiem, facilem solubilitatem non habet; sæpe tamen aliis jungitur. Dosis prioris eadem, etiam major.

GALBANUM GUMMI *Offic. Botanicorum* FERULA. BUBON L. Classis Natur. Umbelliferarum. *Germ.* Mutter-Hartz. *Gallis* Galbanum. *Anglis* Gum Galbanum.

BUBON *foliis rhomboideis, serratis, glabris, umbellis paucis*, definit LINNÆUS plantam, quæ gummi-resinam in Æthiopia largitur. Massa est, granulis tum albicantibus pellucidis, tum flavescentibus, etiam rufis variegata, lentescens, digitis calentibus ductilis, saporis amaricantis, subacris, proprii, odoris miri, medicati, penetrabilissimi, ammoniaco intensioris. Spiritu vini solvitur, etiam in aquosis diluitur, & pro parte solvitur; igne accenditur. Multum impurum etiam depuratur, cum deperditione aromatis. Methodus DIOSCORIDI præscripta inculcanda pharmacopæis.

VIRES calefacientes, resolventes, discutientes, omnibus notæ, ad suppressos menses restituendos, album fluorem percurandum, & obstructiones tollendas, utiles. Vires odoratæ, subtiles, penetrantissimæ, ubi perturbatus spirituum motus corpus exagitat, ut in passione hysterica, tum aliis, ab eadem excitatis

 mor-

morbis convulſivis, etiam epilepſia, admodum proficuæ. Forma, & doſis præcedentium. Externe etiam in eadem indicatione umbilico, forma emplaſtri, pulvere caſtorei inſperſo, applicatur, tum potenter incidit, emollit, maturat: etiam ad reſolvendos bubones, & anthraces adhibetur.

GUMMI LACCA *Offic.* Claſſis Natur. ignota. *Germ.* Lacca. *Gallis* Lacque.

Mirum corpus! gummi non eſt, licet vulgo ſic vocetur; quia in aqua non ſolvitur, NEUMANN. At nec cera eſt, ut contendit NEUMANN, quod oleis non pateat, LEMERY *Acad. des Sciences* 1710. quod vitreæ duritiei ſit, BOERHAAVE. Sed neque reſina eſt, LEMERY *ibid.* at mixta inter gummi, & reſinam media ſubſtantia, IDEM.

A formicis volantibus Indiæ ex arboribus colligitur, GEOFFROY. *Acad. des Sciences* 1714. cum & formicarum cryſalides in hac inveniantur, GEOFFROY, *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN, in experimentis; accenſa odorem gratum, dein fœtidum, animalis ſubſtantiæ ſpargat, GEOFFROY, NEUMANN. A chryſalidum exuviis rubris laccæ color, GEOFFROY.

Gummi lacca duplex eſt. In granulis deterior, lota, inſecto orba, in ramulis optima, ſubamara, adſtringens, ſalivam colore purpureo tingens. Varias laccæ ſolutiones tentavit LEMERY *Acad. des Sciences* 1710. Oleum olivarum parum, oleum terebinthinæ, ſpiritus vini, leniter tingebantur. Aqua aluminoſa ad ſatietatem imprægnabantur, & acida debilia multum, fortiora foſſilia parum, mutabantur, oleum

tar-

tartari efficaciam ſatis magnam in laccam habuit, *ibidem*, ut etiam nunc Tincturæ cum alcali factæ efficacia pateſcat.

USUS MEDICUS ſimplicis vix ullus; tincturæ cum alumine factæ, in laxis ulceribus, ſcorbuticis, gingivarum laxitate, multus, & egregius: Tincturæ ſpirituoſæ, in arthritide, rheumatismo, hydrope, ſcorbuto lento, gutt. quadraginta, bis, ter die doſi, BOERHAAVE laudatus.

MYRRHA *Offic. Botanicorum.* Claſſis deſideratur. *Germ.* Myrrhe. *Gallis* Myrrhe. *Anglis* Myrrh.

Sitne myrrha noſtra myrrha veterum, nondum definitum eſt. Raram olim fuiſſe, multiplicem, etiam adulteratam opocarpaſo, ſucco venenato, ſtrangulante, GALENUS reliquit. Noſtra glebis figuræ irregularis, variæ etiam magnitudinis, aſperis, ſubpellucidis, coloris flavi, rufi, aut etiam ferruginei, odoris grati, ſaporis amari, ſubacris, balſamici, deprehenditur, ſæpe etiam admixtione aliorum vitiata. Solvitur tota fere in ſaliva, cui etiam ſuas divitias largitur, ita tamen, ut non perfecte reſeretur, nec in aquoſis, nec in ſpiritu vini, nec oleaginoſis, quod triplici conſtet principio, gummoſo pro maxima parte, dein reſinoſo ſatis parco, tum oleoſo; hinc flammam etiam myrrha concipit.

VIRES in glutinoſo ſpontaneo, in inerti fibra, eximiæ: unde laudavere in morbis ventriculi, inteſtinorum, uteri, frigidis, laxis, quibus non immerito dicata myrrha eſt. Vis balſamica, & antiputredinoſa, jam

iam veteribus cognita Ægyptiis, hodie pariter celebratiſſima eſt, in gangræna, putridis ulceribus proficua. Interne raro in pulvere exhiberi ſolet, ob inſignem amaritiem, tamen datur cum ſaccharo cando, & omni quadrihorio grana novem exhiberi poſſunt. Lac ſeu emulſum myrrhatum aqua aut vino factum, ejus tinctura efficacius, etiam interne dari poteſt, ſed forma pilularis aptior eſt.

Externus pulvis uſitatior, ulceribus, oſſibus carioſis inſpergitur, etiam ſuffimigio utilis. Cæterum & in decoctis, emplaſtris, unguentis, adplicatur.

PRÆPARATA. *Tinctura* myrrhæ BOERHAAVE optima, officinarum, quæ *eſſentia* vocatur, haud adeo ſedule præparata, in caſibus recenſitis a guttis quindecim, viginti, triginta, interno uſu utilis: externe in ulceribus ſinuoſis ſæpe, tamen non ſemper, tum ob ſalem alcalinum, tum ob ſpiritum, corrugantem partes ſolidas, proficua; quibus rebus pro re nata prior, aut alia ſine ſale alcalino facta, aut vinoſa, aquoſa, chirurgis in uſu eſſe debet. *Oleum deſtillatum* in chronicis pectoris vitiis, tuſſi inveterata, aſthmate humido, magnæ laudis, forma elæoſacchari ſumptum, etiam reficiens, & recreans, miasma arcens, teſte FR. HOFFMANNO. *Oleum* myrrhæ *per deliquium*, rectius liquamen myrrhæ ab alcohole ob albumen coagulandum fiſſuris labiorum, papillarum in mammis, excoriationibus aliis, etiam ulceribus medetur, cum balſamo peruviano, vitello ovorum, in linimentum coactum, ſed ſemper præſtat extemporaneo experimento confectum, cum adultum etiam corrumpatur.

COM-

COMPOSITA multa ſunt. *Elixir proprietatis*, &c.

OPOPANAX. *Offic. Botanicor.* SELINUM PASTINACA L. Claſſis Natur. Umbelliferarum. *Germ.* Heilwurtz Gummi. *Gallis* Opopanax. *Anglis* Gum Opopanax.

PASTINACA *foliis decompoſito-pinnatis*. Plantam Italiæ, Siciliæ, hanc gummi-reſinam fundentem, ita definit L. licet non videatur immutandum nomen DIOSCORIDIS fuiſſe, qui panacem vocavit heracleum, & ſuccum exacte deſcripſit. Lacryma piſi magnitudinis, in ſumma cute rufum, vel croceum colorem, interne album, aut ſubflavum habet, pinguis eſt, fragilis tamen, odoris gravis, ſaporis amari, ſalivam lacteo colore inficiens. In ſaliva ſolvitur, in aqua & ſolvitur, & deliqueſcit, & hanc turbat; flammam etiam concipit; ut partim gummeo, partim oleoſo, & reſinoſo principio conſtet. Mala encheireſi depuratur.

VIRES ad incidenda viſcida, ſtimulanda languida ſolida, compeſcendum inordinatum ſpirituum motum, forma pilulari cum gummi ammoniaco, vel galbano, non inefficaces. Externe ut præcedentia, emollit, diſcutit, reſolvit, ulcera mundat, firmat, & his carnem ſuperducit.

SAGAPENUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis deſideratur. *Germ.* Serapin-Saft. *Gallis* Sagapenum. *Anglis* Sagapenum.

SAGAPENUM colorem habet fuſcum, multis parvis granis, albi & flavi coloris, variegatum; attactum

tactum lentescit, odoris gravis, virosi, alliati compositi, saporis amari, acris, mordacis; flammam concipit; aqua, vino, aceto coctum solvitur. Gummiresina est pertinacis stimuli, sub exigua mole copiosissimi, depuratione enervandi.

VIRES emmenagogas specificas L. habet; in morbis mucosis pulmonum, in obstructionibus viscerum abdominalium egregias, ALII. In spirituum ataxia, nervorum morbis, spasmo, tremore, paralysi, palmam galbano praeripere videtur; acrius, pertinacius, virosius, ex allio, asa foetida, galbano, quasi compositum medicamentum. Dosis, & forma praecedentium eadem. Externus pariter idem, ac praecedentium usus.

THUS, *seu* OLIBANUM *Offic. Botanicorum* JUNIPERUS. Classis Natur. Incompletar. *Germ.* Weyrauch. *Gallis* Encens. *Anglis* White Frankincense.

JUNIPERUS *foliis undique imbricatis, ovatis, obtusis*, definitur arbor, quae olibanum, vel thus masculum, lacrymam gummi-resinosam, flavescentem, amaram largitur. Gummi oleaginosum olibanum nostrum dici debere, contendit *Le pharmacien Moderne traduit de L'Anglois*. Paris 1750.

USUS MEDICUS vulnerarius in ulceribus, siccans, roborans in catarrhosis defluxionibus; dosis scrup. unus, duo, bis ter de die. Externe suffimigiis additur, etiam aliis.

RESI-

RESINÆ.

Olea eſſentialia difflata liquidiori parte magis conſiſtentia *Balſami*, concreta jam & ſolidiora RESINÆ dicuntur. Reſinæ a gummatibus differunt:

I. Inflammabilitate.
II. Indiſſolubilitate in aqua, ſi pura fuerint.
III. Faciliori in ſpiritu vini ſolubilitate.
IV. Odore aromatico.

A balſamis fluidis differunt majori copia acidi, ut ex his oleum eſſentiale ſeorſim ſiſti non poſſit, MACQUER.

BENZOINUM *Offic. Botanicor.* LAURUS. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Benzoe. *Gallis* Benjoin. *Anglis* Benjamin.

LAURUS *foliis enerviis, obverſe ovatis, utrinque acutis, integris, annuis;* definitur planta, quæ hanc reſinam officinis largitur.

Eſt hæc arida, fragilis, varii coloris, ex fuſco flaveſcens, amygdalodes optima, oderis in ſuffitu ſuaviſſimi, ſaporis excitantis, pinguis, balſamici, balſami peruviani. Inflammabilis eſt, ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolubilis, aquæ calidæ etiam ſuas vires odoratas, ſalinas largiens, tum in decocto inſpiſſato, flores ſuos in fundo exhibens ſplendentes, elegantiſſimos, HOFFMANN *de Balſ.* ut adeo conſtet parte reſinoſa, oleoſa, ſalina. Infuſum aquæ calidæ aliquot horis Benzoinum, brevi ſuum ſalem dimittit,

GEOF-

GEOFFROY *Acad. des Sciences* 1738. refrigerata aqua concrescentem in acus, MACQUER.

Ordinaria vero methodo caloris, quam sit aquæ ebullientis, paulo majori gradu sublimantur flores Benzoes acidi & cum alcalinis effervescentes, tum in aqua calida, tum in spiritu vini solubiles sunt, verumque constituunt salem essentialem, in eo diversum a sale essentiali aliarum plantarum:

I. Quod sit inflammabilis.

II. Quod odorem habeat simplicis.

III. Quod sit admodum volatilis.

IV. Quod sit in omnibus liquidis inflammabilibus solubilis, ob oleum, quod illi inest, attenuatissimum acido vegetabili nuptum.

Hoc vitii hi flores habent, quod, etiam scrupulosa attentione obtenti, nivei, diuturnitate temporis flavescant, & vasis clausis quidem citius quam apertis; ratio antea dicta est.

Peracta sublimatione residuum paulo majori ignis gradu actum largitur

I. Oleum tenue, clarum, odorum, in initio vix coloratum, quod tamen sensim magis consistat & coloretur.

II. Spiritum acidum paucum.

USUS ipsius simplicis internus rarus. Externus tum in aliis, tum suffimigiis ad partes laxas roborandas, frequens; in pulmonum affectibus tamen, quia acres, stimulantes, sublimantur flores, suspectus, quod hi

hi majorem tuſſim inducant; eſt tamen, ubi etiam eadem hac medicina proficue inducatur, ſcilicet ubi pulmonis vomicæ aquæ vapore prius emollitæ rumpendæ ſunt.

PRÆPARATA. *Flores* ſublimatione parati, optimi, nivei, primo ſapidi, grati, dein fauces ignea acrimonia urentes, multum ſtimulantes, incidentes, in infarctu pulmonum, aſthmate, efficaces, gran. trium, quátuor, ſex, etiam decem doſi, forma pilulari cum olibano, maſtiche, áliis.

Tinctura flavo rubicunda, temperate balſamica, etiam virtute roborante, reſolvente pectorali dives, ſyrupo convenienti, aut alio menſtruo, ad guttas viginti, triginta exhibenda, etiam in externum uſum aquæ mixta, quam lacteſcere facit, cosmetica, & ob id *lac virginale* dicta. Magiſterium ſatis inutile eſt.

ELEMI GUMMI *Offic. Botanicorum.* Claſſis ignoratur. *Germ.* Gummi Elemi. *Gallis* Gomme Elemi. *Anglis* Gum Elemi.

Quæ hunc ſuccum reſinoſum in nova Hiſpania fert arbor, elemifera dicta recte a PLUCKNETIO fuit. Reſina ipſa pellucida, ex albo viridis, lenta, odorata, leni calore ductilis, ſaporis balſamici, utcunque terebinthinacei, foliis arundinaceis tecta advehitur: principia balſamorum habet.

USUS externus chirurgis maximus, vulnerarius, mundans, detergens, incarnans, in vulneribus capitis, etiam tendinum puncturis; tum in tumoribus diſcutiens.

LADANUM. vide p. 125.

MASTIX *Offic. Botanicorum* PISTACHIA. Classis Natur. Incomplet. *Germ.* Mastix. *Gallis* Mastic. *Anglis* Gum Mastic.

PISTACHIA *foliis abrupte pinnatis:* resinosam hanc lacrymam, pallidam, aromaticam, masticatam nivis instar albescentem, fundit.

USUS MEDICUS internus scopo roborante multus; in catarrhis mucosis, ventriculi laxitate, fluore albo; potam veteri tussi mederi, DIOSCORIDES. In pulverem contrita, aut in catapotia redacta datur drachmæ semis dosi; denti etiam carioso intruditur; & pro corpore masticandorum adhibetur, huic etiam commode piper, pyrethrum, alia acria, incorporantur. Chirurgi pulverem ossibus denudatis inspergunt, ut eo citius coeant, & compleantur, tum spatula calida in emplastrum extendunt, odontalgiis utile; adhuc soluta spiritu vini resina, super alutam extensa, ischiaticis solatio est, multiplici experimento.

SANDARACA *Offic. Botanicor.* JUNIPERUS. Class. Nat. Incomplet. *Germ.* Wacholder-Gummi. *Gallis* Gomme de Genévrier. *Anglis* Gum Sandaracha.

JUNIPERUS *foliis sessilibus patentibus:* lacrymam officinis sandaracam dictam fundit, multum carminativam, & adeo, ut urinam violaceo colore inficiat, diureticam. Dosis scrupulus unus, bis ter de die in calculo, morbis pituitosis; suffitus ad catarrhos laudatur.

STY-

STYRAX SOLIDA *Offic. Botanicor.* Classis Natur. Pauci-stam. *Germ.* Styrax. *Gallis* Storax. *Anglis* Storax.

Lacryma resinosa in calamis, seu cannulæ fistulis olim advecta, calamita officinis dicta est; purior hodie, & sincerior hoc nomine intelligitur, eaque est admodum rara; in massas rubras, fere fuscas, odoris jucundi, balsamici, saporis resinosi, dulcis, non adeo acris, compacta vulgaris visitur.

In saliva non solvitur, sed ductilis fit, prunis injecta liquatur, flamma admota ardet, & claro incendio lucet, odoris fragrantissimi: Inde resinam duplici modo, vel per expressionem, quando prius cum vini pauxillo maceratur ad humectationem, vel per extractionem cum spiritu vini rectificatissimo, parabat HOFFMANN *de Balsamis.*

Resina pura Benzoino analoga, dum quandoque etiam coctione in aqua flores largitur, & eosdem uberius sine addito destillata largitur.

VIRES balsamicas laudant, ad suppuratos renum, vesicæ morbos: tum tussi, destillationibus, raucedini, gravedini, & interceptæ voci, asthmati, mederi affirmant. Interne raro, & non nisi forma pilulari datur. Externe suffimigiis nervinis, balsamis, emplastris, unguentis recipitur. Sunt, qui a gr. XV. ad XXX. pro dosi præscribant.

PRÆPARATA, COMPOSITA. *Oleum* stillatitium. *Pilulae* de styrace opio nimis gravidæ, ut vis styracis nulla sit. Dosis gr. III. IV.

TACAMAHACA *Offic.* POPULUS *Botanicorum.* Claſſis Natur. Incomplet. *Gallis* Gomme Tacamahaque. *Anglis* Gum Tacamahaca.

POPULUS *foliis oblongis, acutis*, hanc odoris fragrantiſſimi reſinam, diſcutientem frigida, dolentia lenientem, in vomitu, paſſione hyſterica, in ſuffitu, & emplaſtro laudatam, concedit, hanc ſpiritus vini in integrum ſolvit, dum aqua ſolum odorem & ſaporem extrahit.

BITUMINA.

BITUMEN *Offic. Mineralog.* Claſſis Nat. Minerarum, Ordo Inflammabilium. *Germ.* Erd-Harz. *Anglis* Bitumen. *Gallis* Bitume.

BITUMINA mineralia ſunt corpora facile inflammabilia, & pro parte tota combuſtibilia, cum denſo fumo, & odore gravi. Hæc duplicia ſunt, vel *liquida*, ut Naphtha Petroleum, vel *ſolida*, ut Aſphaltum, Gagates, Succinum &c. Ambo quamquam concretis ſulphureis, imo ipſi minerali ſulphuri in plurimis conveniant, ab his tamen in gravioribus aliis recedunt, ut docet in *Hydrolog. Cl.* CARTHEUSER.

I. Odorem ſpecificum habent, ab odore ſulphuris diverſum.

II. Cum ſalibus alcalinis fixis hepar ſulphuris non producunt.

III. Nec cum Mercurio vivo in æthiopem mineralem ac Cinnabarim abeunt.

IV. Me-

IV. Metalla ſub deflagratione intacta relinquunt; quæ tamen omnia ſulphuri minerali competunt.

De Bituminum principiis multum & diu quæſitum eſt, corpora vegetabilia reſinoſa eſſe acido minerali ſpecificata, hodie plurimi celeberrimi viri putant, quam ſententiam minime *Cl.* LEHMANN probet, & dubitandi non infimum in eo fundamentum eſt.

I. Quod ex acido vitrioli, ſociato cuilibet materiæ inflammabili, ut oleo terebinthinæ, aliis oleis, imo ipſis Reſinis, verum ſulphur produci viderint, BOYLEUS, GEOFFROY, & VOGEL ex oleo. Nunc vero ſulphur a Bitumine diverſum eſt.

II. Quod oleum Bituminum oleum minerale ſit, diſtinctum a reſinarum oleo; dici adhuc alia poſſent.

Cæterum Bitumina ſpiritu vini non ſolvuntur per omnium experimenta, & ſi ſolvantur aliqua, ut de illa bituminoſa materie *Nidel bad* Helvetiæ experimenta habet SCHEUCHZERUS *Hydrograph. helv.* in aliis, quæ inſunt, ratio quærenda eſt; nec in oleo ſolvuntur ut de bitumine judaico exſtat. Acidum Nitri bitumen ſolvere, quod ſalis acidum intactum relinqueret, MALOUIN *Acad. des Sciences* 1746. perhibuit.

Aquæ marinæ amaritiem a bitumine dependere, WALLERIUS *Hydrolog.* p. 71. reliquit, poſt comitem MARSILIUM tamen *Hiſt. de l'Acad. des Scienc.* 1710. qui evidenti experimento artificialem aquam marinam fecit, dum viginti tribus unc. & duabus drachmis aquæ ciſterninæ ſex drachm. ſalis communis adderet, & ſpiritus Lithanthracum quadraginta octo grana; qui pariter vidit deſtillatione chemica aquæ marinæ amarorem non tolli, dum ſolari auferretur & inde aquæ marinæ, majoris in fundo ma-

ris, quam in superficie ejusdem, amaritiei rationem redderet. Nuper tamen nec sulphur, nec bitumen, nec unctuosam aliquam materiem, in aquæ marinæ experimento adinveniri, contra omnes edixit LUCAS *in essay on Waters*, sed an aqua marina amara non esset in Anglia? an solo soluto communi in aqua sale statim vera aqua marina producitur? sal tamen marinum ex aqua marina excoctum, amarum est.

PETROLEUM *Off.* BITUMEN *Mineral.* Class. Nat. Minerarum. Ordo Sulphurear. aut Inflammab. *Germ.* Berg-öhl. *Gallis* Petrole. *Anglis* Rock-oil.

BITUMEN *liquidum album, & rufum:* prius Naphta, *fluidissimum, album, facile inflammabile:* posterius Petroleum, *crassius fluidum obscure brunnum;* utrumque Italia habet, unum, vel alterum etiam in aliis regnis, scaturientibus fontibus supernatat: in Gallis ex fonte Gabiano habetur purissimum, brunnum, tum ex fonte Rattwick Dalekarliæ, ex fonte Ozzanensi, Parmensi.

Raro sincerum in officinis habetur: Batavis arte fieri, NEUMANNUS voluit, & jam in Italia oleo terebinthinæ adulterari, *Hist. de l'Acad. des Sciences* 1715. Criterium sinceri est indissolubilitas in spiritu vini; est enim oleum minerale; factitium, in hoc, ut omne vegetabile, solvitur. Cæterum principia bituminum eadem.

Quod Proprietates spectat, tenendum est, Petroleum violarum tincturam viridi colore inficere, experimento MALOUIN *Acad. des Sciences* 1746. spiritu vini non solvi, nec eo, etiam longioris digestionis beneficio, quidpiam educi, *Hist. de l'Acad. des Sc.* 1715. Neque aut phleg-

phlegma aut ſpiritum deſtillatione vel in balneo marinæ vel arena obtineri, ſed fere totum tranſire, hinc in medicina, naturali, non deſtillato utendum eſſe, BOULDUC *ibidem.* Ad hæc flammam candelæ attrahere, accendi, in aqua inflammari. Naphtham omnibus liquidis ſupernatare etiam ſpiritui vini rectificato, cui $\frac{1}{7}$ levior ſit, BOULDUC *ibidem;* oleo eſſentiali thymi, lavendulæ, terebinthinæ perfecte commiſceri, & agitatum multis aëreis bullulis intumeſcere, citiſſime vero prius volumen recuperare, immenſum ſe ſuper aquam extendere, ut gutta una orgeam aquæ tegat & filamenta ejus priſmatica videantur, BOULDUC *ibidem* reliquit; adhæc nec frigore cogi, nec concentratis acidis inflammari, & mercurium in acido nitri ſolutum colore in violaceum declinante præcipitare, GEOFFROY Junior *Acad. des Sciences* 1726.

USUS MEDICUS ad promovendam expectorationem utilis, ad colicam pictonum ſpecificus, LINNÆUS: tum etiam ad dolores oſteocopos, tæniam valet, IDEM, ad vermes gutt. triginta aſſumptæ in juſculo, vel alio vehiculo, ad vomitum ſiſtendum, febres curandas, idem pondus die paroxysmi: juvat etiam temporibus, naribus inunctum, lethargicos, apoplecticos, colicos abdomini, maxillis dentium doloribus laborantes. *Scheda dell' olio di ſaſſo in parma* 1746. Eſt adhuc petroleum napelli antidotum; ſi enim ſanguini a ſucco napelli coagulato petroleum affundatur, reſolvitur. *Ephem.* N.C. BLAW. Ad exuſta gelu membra ſummopere laudatur, WALLERIUS *Mineralogiae* p. 253. & ſola certa eſt contra tæniam adeo Cairi frequentem Cairenſibus medicina, HASSELQUIST *Reiſe nach Palaeſtina.*

Rubrum ſeu brunnum externe tantum adhibetur, & valet inunctum Rheumatiſmo vexatis partibus.

SUCCINUM *Offic. Mineralog.* Claſſis Natur. Minerarum, Ordo Sulphurearum. *Germ.* Bernſtein. *Gallis* Carabé. *Anglis* Amber.

SUCCINUM *pellucidum* W. & tale album & citrinum officinarum, e mari baltico collectum, marinum, vel hauſtile, e terra excuſſum, foſſile audit. Eſt vero ſuccinum ſubſtantia bituminoſa, pellucida, arida, fragilis, electrica, ſaporis acris, odoris ſpecifici fragrantis accenſa: liquida primo, dein magis conſiſtit, unde ſuccino varia incluſa. Corpus non ſatis notum, vegetabile reſinoſum productum, acido minerali ſpecificatum, FOTHERGILL *Tranſact. Philoſ.* No. 472. aſſeruit. Hanc ſententiam a clariſſimis chemicis aſſumptam dudum MACQUER habet, quam tamen LEHMANN non probat.

PRINCIPIA habere bituminum omnes reliquere; acidum ejus vitriolicum HOFFMANN, acidum ſalis marini BOURDELIN *Acad. des Scienc.* 1742. multo experimento probavit, cum non modo Argentum in aqua forti ſolutum præcipitet, ſed ipſe quoque ſuccini ſpiritus, aquæ forti commixtus, aquam regiam conſtituat, ut acidum ſalis ſolet.

Acidum ſalis volatilis ſuccini vegetabile eſſe, POTT *Acad. de Berlin.* 1753. Sed nec acido aceti, nec acido nitri, nec acido ſalis ſuccinum patet, ex aſſe vero oleo vitrioli diſſolvitur, ſolutione etiam omnibus aliis acidis præcipitata, *Cl.* STOCHARD: nec etiam cum alcali producit tartarum ſolubilem, tartarum tartariſatum, IDEM. Solvi ſpiritu vini, reliquit *Cl.* GEOFFROY, con-

contraria ſunt experimenta *Cl.* STOCHARD *Diſſertatione de ſuccino;* in eo veritas eſt, ſuccinum etiam ſupra porphyritem in alcohol redactum parum, & difficulter ſpiritu vini reſerari, docet tinctura officinarum. Abunde vero in tinctura cauſtica ex cauſtico calcis, & ſale tartari facta. MEYERS l. c.

Solvi vero omnibus balſamis vegetabilium, oleis maxime preſſis, nil ſolvi in oleis ſtillatitiis, nec ipſo ſuccini oleo, STOCHARD. In analyſi ægerrime ſuum deſtillatione largitur oleum, tumque adhuc empyreumaticum: in eo arcanum eſſe hi volunt, ut ſuccinum cum ſale tartari probe calcinato teratur, & affuſo ſpiritu vini rectificatiſſimo deſtilletur, tumque obtinere ajunt ſpiritum fragrantem in nervorum debilitatibus magni faciendum, HOFFMANN. Alii vero ſolum amplum vas, & moderatum & ſenſim augendum caloris gradum requirunt, ut omnia ejus principia rite evolvantur. Ex torrefacto ſuccino, calcinato alumine, mixtis parari pyrophorus poteſt, flammæ cæruleæ, STOCHARD.

VIS MEDICA ad externa, tum in ſuffimigiis ad corrigendum aerem, tum in rheumaticis ad roborandas partes laxas, multis tantum utilis habetur, quod in ſubſtantia aſſumtum in corpore noſtro non ſolvatur; hinc etiam inutile FOTHERGILL habet. Alii virtute roborante, nervina, in frigidis cerebri morbis, catarrhis, fluore albo, hyſterica paſſione, multum laudant, doſi gran. decem ad triginta in ovo ſorbili, conſerva; priores pro ſe chemiam, poſteriores naturam habent; ſed etiam priores chemico examine decepti videntur, ſiquidem etiam in pulvere medicamentoſum eſſe, BOURDELIN *Acad. de Sciences* 1742. & ſuccinum in alcohol redactum, aquæ calidæ infuſum, non ſolum

illi ſaporem aromaticum acidum conciliare, ſed etiam evaporatum liquidum cryſtallos dimittere, verum ſal ſuccini, GEOFFROY *Acad. des Sciences* 1738. ſatis ſuperque probarunt.

Quod ſi etiam hæc experimentia non ſupereſſent, ut conteſtantur a *Cl.* STOCHARD, de medicamentorum viribus ex officina humana potius, quam chemica, dicendum, docet effectus, & ſulphuris crudi noſtris humoribus non facile ſolvendi in corpore noſtro vis, quod partita & repetita crebro doſi morbos cutaneos, verminoſos, metallicos, minerales efficaciter ſanat, BOERHAAVE *Chem.* & fæces olidiſſimas facit, L. B. van SWIETEN T. IV. *Comment.*

PRÆPARATA. *Eſſentia* ſuccini cum ſpiritu vini tartariſato præparata, multum antihyſterica, reſolvens, pituitoſis utilis: datur a guttis decem, ad triginta.

Oleum rectificatum ſuccini, magnum movens, paralyticis, epilepticis, hemiplecticis, illinitum: etiam interne datum, multis morbis utile, CURVI SEMMEO *pug. Rerum Indicarum.*

Sal ſuccini volatile acidum, ſeroſis morbis proficuum, lethargicis, apoplecticis a cauſa frigida conducens, doſi gran. quatuor ad duodecim. At vix alius in officinis ſal adeo ſophiſticatus! ſale crudo ammoniaco cum oleo brunniori ſuccini, GODFREY *Uſeful diſcoveries*, ſale marino cum cremore tartari, etiam ſale volatili, C. C. BOURDELIN *Acad. des Sciences* 1742. Detegitur vero fraus ſpiritu vini, etiam aqua tepida. Rectificandi ſuccini ſalis methodum dedit CARTHEUSER *Act. Mog.* T. I. Liquor cornu cervi ſuccinatus eſt ſal ſuccini ſpiritu cornu cervi ſolutus, quaſi neuter factus, HOFFMANN, *de Selectioribus Medicamentis*, ad eadem utilis: valet in convulſionibus.

ODO-

ODORES SUBSTANTIARUM SINGULARES.

AMBRA GRYSEA *Offic. Histor. Naturalis,* Regnum ignotum. *Germ.* Ambra. *Gallis* Ambre Grise. *Anglis* Ambre Gris.

De ejus historia plurimum controvertitur: vegetabile productum post SERAPIONEM acutissimus SCALIGER. Animale, excrementum avium, vitulorum marinorum plurimi asserunt, balænarum productum, *Cl.* ATKINS *philosoph. Transactions* No. 387. productum apum, ita *Clariss.* LEMERY, FORMEY. Minerale, bitumen omnes orientales, chemicorum cohors, & materiæ medicæ scriptores, sustinent, & quod non solvatur in spiritu vini rectificatissimo, confirmant *Transact. philosoph.* No. 433. Capturæ modus certior; post prægressam enim fortem pelagi agitationem, in mari Indico ad partem Africæ, & vicinas insulas a Mozambicis usque ad mare rubrum, modo prorsus singulari, odoratu piscatur; forma massæ, variæ magnitudinis, centum, ducentarum librarum ponderis jam capta est.

Magna est hujus substantiæ differentia; optima grysea, cinerea foris, intus miculis albis splendida, liquefacta calore acus ignitæ pinguis, odorata, candicanti laminæ imposita paucos cineres relinquens, quod nationum ultra Gangem sitarum criterium; aquæ ebullienti vase clauso rapsata immissa æquabiliter liquata, & sese in superficie extendens, quod Chinensium.

Postre-

Postremæ notæ extus albida, debilis odoris. Omnium abjectissima nigrior est, vel ex balænæ corpore desumpta, vel pice, cera, resina, storace, & aliis adulterata.

Quoad usum scire juvat, in superiori India, Persia, Arabia, in conditis, ut nos saccharo, uti, Chinenses, Japonenses, aromatibus miscere, ut horum odor acuatur: ipsa enim per se non adeo odorata est, moscho, zibetho acuanda. Analysi chemica drachma una, dedit scrupulos duos cum semisse olei, aquæ grana quinque, salis grana duo, pulv. circiter granum unum, NEUMANN *Transact. philosoph.* No. 439. in suis experimentis salem alii non obtinuere, *ibidem* p. 437. obtinetur tamen acidus.

USUS MEDICUS. Ad vitam producendam multum conferre, orientales, & VERULAMIUS credunt. Vires nervinas, spiritus languentes excitantes, non spernendas possidet, experimento BOSWEL, cui a granis decem nihil mutatum, a triginta vero pulsus fortior, plenior, celerior, placidus non molestus per omnes nervos artuum tremor, robur, lætitia, firmius ad omnes mentis actiones cerebrum, acutior auditus, perspicacior visus, etiam veneris stimulus, per horam durarunt. Vires in paralysi promittit, sed drachmæ semis ad minimum pondere; nonne & moscho, zibetho acuari vis potest? Cur non tentaretur in tetano cum spe successus? Ambra plenarie in corpore solvi a multis negatur, id vero parum interest, modo cognita dosis corpus mutet, ut mutat. Ambra ex balænis nigra, effœta est: estne alio argumento opus? Ad longævitatem facere, exemplis LINNÆUS probat, odore nobiles in Barbaria longævos reddi, & pharma-

macopœum Calecutiæ annos 160. vixisse ex solo ambræ odoratu, perhibet.

PRÆPARATA. *Essentia* ambræ *liquida* efficax, difficilis paratu: officinæ quidem conficiunt. Optimæ, quæ in Hollandia, & Portugallia parantur, habentur. Docet in *Philosoph. Transact.* No. 433. & *sequentibus*, methodum omnibus ignotam NEUMANNUS conficiendæ tincturæ cum spiritu vini rectificatissimo, ad ebullitionem fervido, in quo, quæ cæterum etiam in eodem, vel simplici, vel tartarisato, non penitus solvebatur ambra, tota fere solveretur; peculiari etiam se menstruo præparasse, FR. HOFFMANN, quæ vires prostratas potenter erigeret, & dolores demulceret, & placidum somnum induceret, *Dissert. de Balsamis* habet, & nuper ad experiendum natus industrius Pharmacopœus MEYERS chemicos docuit Tinctura spiritus vini caustica efficaciter ambram, succinum, balsamum peruvianum solvi, sicque spiritus balsamicos efficaces præparari posse. *Essentia* ambræ *sicca*, moscho acuata, non ignobilis.

CAMPHORA *Offic. Botanicorum* LAURUS. Classis Pau-cistam. *Germ.* Kampfer. *Gallis* Camphre. *Anglis* Camphor.

LAURUS *foliis lanceolato-ovatis*, *trinerviis*, *nervis supra basim unitis* L. Illa potissimum arbor est, quæ nobis camphoram, vel camphuram officinarum largitur, licet aliæ adhuc plures sint, ex quibus elici posset: ut ex cinnamomo, zedoaria, mentha, schœnantho, abrotano, millefolio, bellide, cardamomo, junipero, regionum calidarum; imo etiam ex plantis balsamicis nostrarum, ut rore marino, salvia, hysso-

po,

po, lavendula, hormino, agerato, majorana, thymo &c. Japonensis, aut Sinensis *Off.* camphora est; Borneensis enim, & Sumatrana in loco natali pretiosissima, nobis invisa, admodum rara.

Quid sit camphora? non facile dictu: succus vegetabilis, inflammabilis, in aere calido volatilis, gummi non est, quia non solvitur perfecte in aqua. Non esse tamen solutionem camphoræ in aqua impossibilem, licet perfecta non detur, *Acad.* N. C. *Novis Actis* T. I. asseritur. Licet flagret in igne, in spiritu vini solvatur, & oleis, resina tamen non est, quod liquetur spiritu nitri, & aqua regis, ab oleo vitrioli concentrato solvatur sine motu aut aucto calore, MACQUER, liquetur, & sublimetur spiritu salis, quod principia resinarum in hac demonstrari non possint, cineres nullos relinquat, tota sublimetur. Sed nec sal dici potest, quia in aqua non solvitur, & accensa flagrat.

Videtur esse corpus specificum, quo nec ullum volatilius, aut inflammabilius, licet igne vitri ægerrime accendatur, de BERGEN *Acad.* N. C. *Novis Actis* T. I. nec purius, cum ex centenario camphoræ sublimato caput mortuum esset solum unciarum duarum, GODFREY *Treassure of Dioscoveries.* Cujus proprietates sint, in aere aperto in integrum fere avolare, in aqua frigida non solvi, in calida in oleum resolvi, facile accendi, flamma lucidissima nulla fæce excepta, etiam in aqua, & nive comburi, in oleis tam pressis, quam stillatitiis, spiritibus fermentatis solvi, non vero in spiritibus urinosis, nec cum siccis alcalinis salibus, nec acidis debilioribus, contra vero in fortioribus licet diversis, cum puro vitrioli oleo, & concentrata aqua forti, phœnomenis. Acido nitri liquata camphora

oleum

oleum camphoræ audit; hoc camphoræ oleum aquæ inſtillatum decomponitur iterum & ſupernatantem camphoram exhibet, nullo modo ab acido nitri alteratam.

PRINCIPIA camphoræ hucusque ars non detexit, terra patefacta non eſt, acidum non demonſtratum, licet his conſtare velit NEUMANN. Ex oleo flavo vini, & ſpiritu acido vinoſo, camphoræ ſpeciem produxit *Cl.* HELLOT. Sitne camphora æther ſolidus, forma concreta, *Cl.* MACQUER interrogat?

Quæ in officinis habetur camphora, non lacryma eſt, ſed arte educta ex hac arbore, ſublimata ſubſtantia, ſubpinguis, candida, pellucida, in panes coacta, odoris fragrantiſſimi, & penetrabiliſſimi, ſaporis acris, amaricantis. Hæc demum arcana Batavis methodo purificatur, NEUMANN, in ea tamen arcani nihil eſt, MARGGRAF, cum tres, quatuorve partes crudæ camphoræ, uni parti extinctæ calcis mixtæ, ſublimatæ, camphoram elegantiſſimam exhibeant, IDEM.

Hanc ſubſtantiam fervidum aroma habere, non ſolum ingens vis aromatica, ſed & aromatis tenuitas, volatilitas, amarities, & aſſumptæ camphoræ in corpore humano effectus, ipſe camphoram ſpirans ſudor, loquuntur; exanthemata ſæpe produxit, quod Viennæ nimium vidimus, & Tubingæ, *D.* MAUCHARD.

VIRES calefacientes admodum, ſtimulantes, penetrantes, in miasmate ſubtili ſuſcepto, adhuc in corpore vago, miræ, dum granorum duorum, trium doſi in ſubſtantia, vel cum pauxillo ſpiritus vinoſi trita, ſacchari quantitate perfecte mixta, affuſo aceto cale-

calefacto datur camphora, MEAD: ubi vero jam malum insedit, & inflammatio partem adurit, præposteræ. In arcendis inflammationibus tamen FR. HOFFMANN laudat *de Selectioribus Medicamentis, & specificis*, in iisdem *Acad.* N. C. Vol. V. & in inflammationibus erisipelaceis internis, quæ puerperas plurimum aggrediuntur, larga dosi intra breve temporis spatium gr. XXX. datam laudat camphoram D. POUTEAU *Melanges de Chirurgie* 1760. Iterum in exanthemate, scabie, aut alia quacunque materie ab aliis partibus retropulsa, efficaces habentur, etiam spasmis, convulsionibus, morbis nervorum, teste *Davide* KINNEIR *Bibl. Britan.* T. I. Anno 1733. utiles camphoræ vires: adhæc in gangræna partium internarum laudatæ, dosi, gran. quinque, decem, ut & in mania drachmæ semis pondere, bis de die, mane, & vesperi, maximo cum successu, *Philosoph. Transact.* No. 400. etiam scrup. duorum pondere in nosocomio regio Edimburgensi: eadem in Hispanico Viennensi gummi tragacantha subacta datur maniacis, non æquali in omnibus successu, observante expertissimo hujus nosocomii medico AUENBRUKER, de quo observationes exspectamus, idem Berolini animadvertente *Cl.* MUTZEL, qui melancholico unciam semis de die idque per 15 dies absque ulla aut pulsus aut morbi mutatione subministravit.

Forma pulveris sine aliis terreis non facilis: mixturæ, vitello ovi aut amygdalis subigenda camphora, addito syrupo; utcunque apta, pilularum aptissima: inconcinne in emulsionibus datur, etiam saccharo difficulter unita manens. Accensa sæpius in aquam projecta vim multam aquæ, quæ potu puerperis admodum utilis, aristolochica, communicat. Camphoram feliciter

ter mercurio dulci uniri, & aliis remediis mercuriali-bus addi, mercurialium acrimoniam infringere, eam minima vaſa penetrare, ſalivationem etiam impedire, QUINCY, quod tum aliis, tum *Cl.* TILLOLOY obfirmatum, *Recueil periodique &c.* T. VII. at hæc dudum jam novit BATEUS, negat tamen *Cl.* ASTRUC *Lettres*, Camphoram ſalivationem impedire. Expendi caſus merentur, forte raris tantum avibus obſervavit ASTRUC. Turbithum minerale, medicamentum violentiſſimum, camphora pacatum fit, & diaphoreticum.

In chirurgia ad diſſolvendos tum frigidos, tum a ſanguine extravaſato ſanguineos ſine inflammatione tumores, ad impediendam putredinem ulcerum, cariem oſſium, uſus maximus, in ſuffitibus, ſacculis, fomentis, pulvere &c. Adhæc contra ambuſta præſens medicina camphora ſpiritu lumbricorum ſoluta, *Biblioth. Britan.* T. VI. 1735. Formicas a camphora perturbari, commoveri, varia ex accenſa camphora inſecta mori, etiam tineas necari, experimenta ſunt *Bononienſ. ſcient. & Artium Inſtituti,* & camphoram egregie anthelminticam eſſe *Cl.* BALDINGER *de militum morbis* 1763. Variolarum miasma inſitioni deſtinatum deſtruxiſſe camphoram, *The Gentleman's Magazine, for September, December* 1752. 1753. An ex hoc caſu fortuito aliquid exſpectandum?

PRÆPARATA, COMPOSITA. *Spiritus vini Camphoratus* externo uſu chirurgis admodum frequens, non tamen ſemper ulceribus utilis, humores cogens, ſolida criſpans, aquæ haud miſcibilis; unde paravere, cum ſale tartari deſtillando, ſpiritum camphoræ ditiſſimum, aquæ miſcibilem, inique NEU-

MANNO censuratum. *Oleum* stillatitium validum, *oleum per solutionem* factum, quod est camphora in oleo amygdalino soluta, ad inunctiones, & externum usum utile. Eodem modo cum essentia myrrhæ, tinctura aloes, camphora solvi potest, & concinnari ad proserpentem gangrænam, ossium cariem, remedium efficacissimum.

CASTOREUM *Off. Zoologorum* CASTOR.
Classis Mammalium. Ordo Glirium. *Germ.* Biebergeil. *Gallis* Castoreum. *Anglis* Castor.

FIBER, vel CASTOR *cauda ovata, plana,* nuncupatur animal, quod castoreum officinarum suppeditat. Est vero hæc substantia humor pinguis oleaginosus, in folliculis propriis, juxta anum hujus animalis sitis, secretus, ut mel flavus, & ut sevum unctuosus, instar terebinthinæ combustibilis, in camino inspissatus, siccatus. Quem usum in animali habeat hic liquor, zoographi disceptant.

Castoreum pro regione diversum est: æstumatur Dantiscanum, Prussicum, Polonicum, dein Russicum, & Americanum, infimum Canadense est. Sæpe etiam corrumpitur ammoniaco, opopanace, sagapeno, arenis, melle; odore, & solutione fraus detegitur. Opii correctorium esse multi asserunt, nemo probat.

VIRES calefacientes, inordinatos spirituum motus in hystericis & hypochondriacis compescentes, maxime si a causa frigida exorti, omnibus laudatæ: antispasmodicas, nervinas, alii deprædicant. Forma licet varia esse possit, pilularum commodissima cum gummatibus, ita, ut omni trihorio quatuor, sex grana, exhibita suo viroso odore omnes humores intesti-

norum

norum impragnent conſtanter. Externe inter odoramenta hyſterica, & crudum, & accenſum locum habet, tum etiam admiſcetur emplaſtris, unguentis nervinis, & aliis. Solvitur pariter in clysmatibus colicæ hyſtericæ opponendis, quibus quandoque etiam præparata loco ſimplicis addantur.

PRÆPARATA. *Eſſentia* Caſtorei ſale tartari parata, in iisdem caſibus utilis, a guttis decem ad viginti, triginta, exhibenda bis, ter de die. *Extractum* Caſtorei laudabilis virtutis. *Oleum* Caſtorei per infuſionem, dein coctionem, paratum, oleum eſt maxime compoſitum, inter ejus præparata haud recenſendum, membris paralyticis, convulſis, inunctione ſubveniens.

MOSCHUS *Offic. Zoologorum.* Claſſis Natur. Mammalium. Ordo Pecorum. *Germ.* Bieſam. *Gallis* Muſc. *Anglis* Musk.

MOSCHUS liquor pinguis eſt, unctuoſus, ſubacris, odoris miri, caput tentantis, veſicula, ſub umbilico animalis moſchiferi latente, ſecretus, ſiccatus.

An verus ſemper moſchus, qui ad nos adfertur? multa dubitatio; immenſa copia per totum terrarum orbem diſpenſata, in China æquali argenti pondere empta, tum, ne genuina extra regionem divendatur ſanies, publica lex, omnem dubitationem diluunt: aromatariorum etiam, fibras carneas in moſcho manifeſte demonſtrantium, experimenta, magis adhuc confirmant, ut clarum ſit moſchum noſtrum officinarum ex ſanguine, & carne hujus animalis contritis, cum exigua hujus ſaniei portione remixtis, factitium eſſe.

Cæterum mirabile ſatis, quod ex miſcela diverſorum ſimilis fragrantia: ex Galbano, Sagapeno, Bitumine

judaico, Opopanace mixtis obſervavit LEMERY, *Acta Pariſ.* 1706. ex miſcela olei ſuccini rectificati & ſpiritus acidi nitri concentrati, *Cl.* MARGGRAF *ſcript. Chemic.* Berol. 1761. In nonnullorum corruptione idem odor; in examine bilis jam ſemiputridæ, *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN; ſic etiam vidit hominem, cujus axilla ſiniſtra in calore æſtivo moſchum oleret, dextra hoc odore libera. Aliud eſt exemplum presbyteri anima fœtida laborantis, & dum morbus immineret, moſchum ſpirantis. Sunt etiam piſces, qui moſchum ſpirant, ita truttarum ſpecies ſæpe, obſervantur & plantæ, ita Carduus Mollior I. CLUS.

Triplicis ſpeciei moſchum facere Chinenſes ſolent. Nobis optimus eſt *Tunquinius*, ordine bonitatis ſuccedit *Bengalenſis*, tum eſt *Moſcoviticus*. Odoratiſſima ſubſtantia indelebili odore, ſolo igne deſtruendo, omnia inficit. Acida plurimum, ſpirituoſa minus odorem moſchi exaltant. LINNÆUS.

USUS MEDICUS, olim, ubi ſtimulandum erat, exigua doſi rarus: Medicamento, uti Chinenſes docuere, a granis decem ad quadraginta octo. In Hydrophobia ad grana ſedecim, cum cinnabaris nativæ, & factitiæ ana granis viginti, datur pro doſi: in Convulſionibus a tribus ad decem grana, L. B. van SWIETEN propria praxi proficua: etiam *Inſtitut. Bononienſ.* T. III. GALEATI, ubi tamen & caſus excitat, ſalute non exceptos ab eadem. Adhæc profuit minori, aut majori doſi, pro vi morbi, & corporis conſtitutione: profuit Maniacis poſt aquarum ſubmerſionem: majori doſi etiam retrocedentia exanthemata repellit, & nervos liberat, per totum corpus penetrabiliſſimum medicamentum. Conveniatne Hyſtericis? magna quæſtio: validum eſt, corpus turbans, & caput tentans; merentur

tamen

tamen confirmari obſervationes D. GARCIN, qui ſeptentrionalibus olim frequentem moſchum, hodie exulem habet, ſed etiam plures hodie Hyſtericas ibi, quam olim numerat.

Nec ignobile penitus id argumentum eſt, quod hodie in locis meridionalibus, uti etiam Indiis, ubi maximus hujus uſus, Hyſtericarum minor numerus, quin mulieres Batavæ natali ſolo admodum hyſtericæ, ubi Bataviam veniunt, negotiorum cauſa, tota vita his paſſionibus, licet omnes plateæ moſchi odore infectæ ſint, immunes degentes, adhuc magis urgent. Quodſi & peregrinationi aliquid datur, medicamento non omnia derogari poſſunt. Externus in pulveribus, ſaponibus, unguentis, emplaſtris, odoris gratia, moſchi uſus multus. Dum variolæ Upſaliæ funeſtiſſimæ, omnes in vicinio abriperent pueros, moſchum liberorum ſuorum collis *Cl.* LINNÆUS appendit, quo id impetravit, ut peſtifero hoc malo intacti permanſerint. *Amoenit. Acad.* Vol. V, *exanth. viva.*

ZIBETHUM *Offic. Zoologorum* VIVERRA, Claſſis Mammalium, ordo ferarum. *Germ.* Ziebeth. *Gallis* Civette. *Anglis* Civet.

VIVERRA *cauda annulata, dorſo cinereo nigroque, undatim ſtriato,* L. definitur animal, quod ex folliculo magno, inter anum, & genitalia ſito, in utroque animali, tam mare quam fœmina, largitur ſubſtantiam, unguinoſam, ambroſiacam.

Quod nec nimis molle eſt, nec nimis conſiſtens, album, ſuavis, at fortis odoris, probatur: flaveſcens jam ætatem habet, annoſum fuſcum eſt,

USUS MEDICUS nobis rarus, ſeptentrionalibus frequens, ob vires diaphoreticas, nervinas, ſoporiferas, & exanthemata pellentes, ut etiam laudetur in Variolis, Morbillis, Scabie, Colica, LINNÆO.

His etiam jungi rerum ſubtilium, arte chemica præparatarum, odores poſſunt. Ut:

SALIUM VOLATILIUM, OLEOSORUM,
SPIRITUUM: SALIS AMMONIACI
C. C.
ALIORUM.

BALSAMA LIQUIDA.

Quæ ſuaviſſima fragrantia ſeſe recommendarent, putredinis, & corruptionis vim tam externo, quam interno uſu prohiberent, veteribus BALSAMA dicta ſunt; corpora oleoſa, odorifera, linimenti, vel unguenti conſiſtentia, quæ vel natura, vel arte, ex vegetabilium partibus ſtillant, vel proliciuntur, hodie vocantur. Hæc in nativa, & arte facta dividuntur, priora adhuc in liquida, & ſicca. Liquida naturalia, ſunt balſamus Toletanus, Peruvianus, Copaivæ, Palmæ, Terebinthina &c. Sicca, Benzoe, Styrax, Calamita, Ladanum, Myrrha, Maſtiche, &c.

PRINCIPIA CONSTITUTIVA aqua, ſpiritus acidus, ſubpinguis, ſalinus, oleum multiplex, BOERHAAVE. *Chem.* T. II.

USUS

USUS. Antiſepticus, vulnerarius. Vide BOERHAAVE.

AMBARUM LIQUIDUM. Duplex, inciſionis, & coctionis: vix in uſu eſt, tamen fiſtulis cum ſucceſſu infundi perhibetur.

BALSAMUS de COPAIVA itidem duplex, albicans, odoris gratiſſimi potior; aureus, conſiſtens magis, deterior; uterque Peruviano calidior, & quidem non ſolum urinam violaceo odore, ut alii ſolent, inficit, ſed etiam ſapore amaro imbuit, ut ob vim abundantioris ſtimuli in gonorrhœa majori doſi periculoſus ſit. Cæterum vis aliis par, ſed quia leviori pretio habetur, frequentiori in uſu & quia ſtimulantior, multo circumſpectiori eſſe debet: datur a guttis aliquot ad decem, quindecim; cum tinctura tartari, antimonii, in eſſentiam redigitur, in nervorum affectibus frigidis, in glandularum infarctibus, in fluore albo præſertim, ſi cum vino Hiſpanico ſumatur, præſtantiſſimam. HOFFMANN *de Balſamis.* Reſinam radicis Angelicæ hocce balſamum referre, & huic ſubſtitui poſſe, SCHMIDELIUS contendit.

BALSAMUS PERUVIANUS duplex, albus, ſeu inciſionis pretioſiſſimus: niger, ſeu lotionis vel coctionis, vilior, nobis familiaris, multum aliis acrior.

Eſt nervorum, tendinum, perioſtei læſionibus, puncturis, contuſionibus, exulcerationibus, parum calefactus, inſtillatus admodum utilis, etiam unguentis, linimentis, emplaſtris mixtus, ad alios morbos chirurgicos adhibetur. Internum uſum in colica pictonum,

aliis incassum adhibitis, drachmæ semis pondere pro dosi efficacem SYDENHAM, ad paralysim HOFFMANNUS, experti; ad ulcera interna pulmonum, vesicæ, renum, saccharo, syrupo, vitello ovorum subactum, olibano, sarcocolla mixtum, laudabilem ALII, dum infuso vulnerario, ut vis aromatica, quæ febrim hecticam magis semper exacerbat, temperetur, excipitur; in asthmate etiam LINNÆUS laudat, & in spiritu rosarum rectificatissimo nobilissimarum virium essentiam constituere, FR. HOFFMANNUS *de Balsamis;* hujus balsami portionem æquali pondere salis tartari probe mixtam, & tritam, addito spiritu rosarum rectificatissimo, & facta dein in arena destillatione, tam fragrantem, & delicatulum largiri spiritum, quo non alia medicina, maxime si ad solutionem ambræ, vel moschi adhibeatur, præstantior sit, interno usu mire fovendo, & recreando fractas vires & genus nervosum. IDEM *ibidem.*

Dosis gutt. quatuor, sex, bis, ter de die: in syrupo exhibetur, vel commode cum aquis vitæ stomachicis, nervinis miscetur. Oleum ejus aquæ supernatat, prompte spiritum vini in se recipit, HOFFMANN *de Balsamis;* huic balsamo populi albæ vis substitui potest, SCHMIDELIUS.

BALSAMUM TOLETANUM in America ex arbusculæ vulnere stillans, colorem aureum, odorem limoniorum habet, siccum, & fragile ad nos adfertur, calore mollescens. Ad tumores œdematosos, scrophulas, parotides, valere CLUSIUS. Raro apud nos, frequentissime apud Anglos in phthisi, & internarum partium ulceribus, datur. Hoc balsamum in spiritu vini tartarisato rectificatissimo solutum, gratissi-

tiſſimam non minus quam efficaciſſimam, ad plures internos, & externos uſus, eſſentiam ſuppeditat. FR. HOFFMANN *de Balſamis*.

OPOBALSAMUM triplex: inciſionis rariſſimum, primæ coctionis etiam admodum rarum, ultimæ, Europæis officinis familiare: non ſubmergitur in aqua, ſed in ejus ſuperficie inſtar telæ aranearum diffunditur, & hæc caſtitatis nota eſt.

Vires aliis conſimiles habet; ſpecifice diureticas, LINNÆUS, item in aſthmate, nephritide, podagra, ſtranguria, efficaciſſimas, NICOLAI, *de Balſamo de Mecha*. Cum parte una hujus balſami, duabus olei amygdalini, aquæ q. ſ. fit unguentum ad perniones, loca frigore exuſta, utile. Rami hujus arboris Xylobalſamum: baccæ carpobalſamum dicuntur: vix præſcribuntur. Abietis, pinique reſinam huic balſamo ſubſtitui poſſe, SCHMIDELIUS.

OLEUM PALMÆ ex contuſis fructuum nucleis paratur, in loco patrio eduliis, coloris & odoris gratia, mixtum. Butyri balſamici apud nos conſiſtentia, ad rachitidem, paralyticas partes, multum recommendatur unctum. Cæterum etiam injectionibus anatomicis aptiſſimum habet QUELMALZ, ea proportione, ut ceræ, pro majoribus vaſis explendis, olei hujus tertiam partem, pro minoribus, quartam adderet.

STYRAX LIQUIDA. *Offic. Botanicorum* Liquidambarum. Claſſis ignoratur. *Germ.* Weicher Styrax. *Gallis* Storax liquide. *Anglis* liquid Storax.

BALSAMUS liquidus eſt, terebinthinaceæ conſiſtentiæ, ſemipellucidus, coloris plumbei, cinereo

fuſci, odoris validi ſtyracis, ſaporis multi aromatici. Quid proprie ſit? diſceptatur. Arte factam, ex ſpecie viſci aucuparii, habet PETIVER, in *Transact. Philoſoph.* In ſaliva non ſolvitur, digitis, ut terebinthina, tenaciter adhæret &c. Eſtne diſtincta a liquidambaro officinarum? etiam diſceptatur, ut nonnulli ſub diverſis capitibus recenſeant ambo, alii ſub uno cogant.

USUS internus rarus, externus frequentior, TOURNEFORTIO in *Actis Pariſinis* laudatus in gangræna, quod & unguentum de ſtyrace in noſocomiis Pariſienſibus confirmat. Cæterum inter odoramenta adhuc recipitur.

TEREBINTHINA. *Offic. Botanicis* diverſa nomina habet. *Germ.* Terpentin. *Gallis* Terebinthine. *Anglis* Turpentine.

TEREBINTHINA ex diverſis effluens arboribus diverſa, officinis triplex eſt. Cyprina antiquiſſima, ſuppeditatur ex Piſtachia *foliis impari pinnatis*, *foliolis ovato-lanceolatis.* Hæc vulneraria, diuretica, gonorrhϾ, & ulceribus utilis. Vera admodum rara, DUHAMEL.

VENETA ex Larice *folio deciduo*, HAL. circa Brigantionem, & in Alpibus Italicis paratur, vulneraria diuretica, etiam antiſeptica, habetur. Ex hac ſpiritus, oleum. Terebinthina Veneta cum polio montano ad conſiſtentiam maſſæ pilularis cocta, per ſeptemdecim menſes adhibita, drachmæ unius ſingulo mane doſi, lenire podagram, GODOFR. HAHN in *Hiſtoria*

ſtoria podagrae, curavit etiam in aliis hunc morbum, *ibidem.*

COMMUNIS. Ex Pinu *foliis geminis*, *primordialibus ſolitariis* L. deſtillat, magis viſcoſa, minus pellucida, albicans, odoris ingrati, ſaporis nauſeoſi, hinc in ſubſtantia medicis non adhibetur. Ex hac ſpiritus, oleum deſtillatur; terebinthina etiam coquitur, diuretica, mundificans. Per anum in inteſtinorum exulcerationibus, diarrhœa phthiſim ſequente, colliquativa, vitello ovorum ſoluta drachma una addita uncia ſemis theriacæ Andromachi lactis recentis unc. quatuor, injicitur feliciter, van SWIETEN; in ulcera ſcopo digeſtivo mundificante, quæ etiam digerit, datur. Laudat etiam in ſcorbuto LINNÆUS. Suffitus ano exceptus hæmorrhoides cæcas, dolentes lenit, *Ephem.* N. C.

ARGENTORATENSIS paucis recepta officinis ex Abiete, *foliorum apice bifido*, HAL. ſtillat. Hanc Venetæ præfert QUINCY. Terebinthinæ balſamis Americanis non cedunt, & urinam etiam, quandoque ſalivam, violaceo colore inficiunt; quin urinæ difficultatem, & teneſmum a nimia venere, ſuperavit hoc balſamo in *Ephem.* N. C. MAUCHART.

PRÆPARATA.

OLEUM ÆTHEREUM, male ſpiritus terebinthinæ, membranis, nervis, tendinibus, laceratis, punctis, ſectis, calide infuſum incomparabile anodinum, antiſpaſticum, BOERHAAVE. Arteriis, venis, in magnam hæmorhagiam læſis, multum calidum, ſpleniis appreſſum, promtiſſimum ſtypticum, IDEM. Tumores frigidos, lentos, mucoſos, calidum affrictum diſcu-

discutit, partes etiam a frigore defendit, IDEM. *Oleum* terebinthinæ *spissius* etiam anodinum, sed magis emolliens, interne sumtum in melle, vel alio syrupo, ischiadicis, & rheumatismo laborantibus, auxilio est, minori dosi; alias enim diabetem, stranguriam, urinam cruentam, febrem inducit, ut oleum essentiale, STEDMANN *Society of Edimbourgh* T. II.

TEREBINTHINA cocta forma pilulari interne dari potest, hæc, non cocta imbecillior, non tamen effœta.

COLOPHONIA ossibus denudatis, periosteo, tendinibus læsis, cum effectu inspergitur, etiam fluxui seroso articulari, pulvis inspersus medetur, prodest etiam in ani procidentia in suffitu.

RESINA ABIETINA diverso in diversis regionibus artificio obtinetur, vulgo ex vulneratis tædis, exstillans resinosus humor in consistentiam siccam in aqua coctus, sub nomine hujus resinæ in officinis habetur; atque hæc ratio est, cur flammæ candelæ admota etiam non continuo ardeat, sed difficulter, & cum aquosarum partium dejectione, & explosione inflammetur.

USUS MEDICUS LINNÆO in scorbuto & arthritide laudatur, & nuper aquam medicamentosam, aquæ picis æmulam ex ea præparavit *Cl.* LANGHANS; dum Resinam abietinam albam in mortario ferreo in pulvere tenuissimo redactam sensim curaret emulgeri aqua, donec eadem lacteum contraxisset colorem, tumque in lagenas infunderetur in usus servanda. Vitrum omni bihorio in dosim dedit in tussi etiam perti-

pertinaciſſima phthiſica: in caſu vero, ubi ſputa eſſent tenaciora, libram hujus aquæ ſuperfundebat manipulo ſcordii, quam ſic aliquot diebus, vel in ſole, vel in loco calidiori digereret, digeſtam propinaret. Aqua hæc non adeo nauſeoſa eſt, ut aqua Picis, terebinthinaceum ſaporem, non tamen ingratum habet. Obſervavi, ſiccare nimium, & ſputa ſupprimere, etſi ſolum unciam unam ſumerem, ad tres ænophori quadrantes.

PIX LIQUIDA quæ & CEDRIA liquida dicitur, ex Pini, Abietisve radicibus, & pinguioribus aliis harum arborum partibus, per ignem eliquata reſinoſa materies, maxime ex Suecia, Norvegia, & Thuringia nobis adfertur. De Suecica retulit *Illuſtr.* ACAD. N. C. *Cl.* Vir WALLERIUS, in *Vol. IX.* duplicem eſſe, viliorem unam, nobiliorem aliam, viliorem per deſtillationem largiri.

I. Aquam inſtar aceti acidam, quæ ſimul amara ſit.

II. Oleum album ſapore igneum, & quod in receſſu adſtrictionem aluminoſam habeat, & cum ſpiritu flammifico nitri placide uniatur, expulſis fumis rubris, & relicto in fundo coagulo; cum oleo Vitrioli majorem efficiat fumum, & calorem, & majus coagulum; cum ſpiritu ſalis ammoniaci prompte ſe commiſceat, ſupernatante cuticula; cum oleo tartari per deliquium efferveſcat, ac rubeat.

III. Oleum rubicundum, quod recens tenue ſucceſſu temporis ſpiſſeſcat, in igne prompte & fortiter deflagret, aquæ deſtillatæ innatet, concuſſione vero in globulos rotundos minores ſecedat, qui in aqua tarde fundum petant, in alcoho-

cohole brevi, nulla tamen tinctura alcoholi communicata, oleo etiam in posteriori hoc liquido resinoso facto.

IV. Caput mortuum durum fragile lithantraci æmulum ignescens quidem carbonibus injectum, sed nec fumans nec flagrans. Constituit hocce fere $\frac{1}{10}$ partem Picis vilioris.

Nobilioris vero nec Suecis venalis, nec exportatæ picis, aliis etiam artificiis elicitæ analysi obtinetur

I. Oleum tenue pellucidum flavo-fuscum odoris grati, supernatans; huic grumosum coagulatum, albescens aliud immiscetur. Ex hoc OLEUM TEMPLINUM destillatur, oleo terebinthinæ de resina abietina destillato, longe præstantius; a destillatione resina, odore & sapore Balsamo de Meccha conveniens, residua est.

II. Aqua acida, quæ duplex fere sit: hæc nigro viridis, alia fusca; acidæ ambæ, oleosæ ambæ, & commiscibiles.

III. Ipsa Pix vulgari præstantior, clara, pura, tenuis, consistentiæ vernicis ex oleo lini parati.

IV. Sub hac pice quiescente deponitur oleum fuscum acidum, odore fere carens, & vix ignem concipiens.

Aqua cedriata more Barkleyano ex vilioris cedriæ & aquæ puræ anaticis portionibus rite confecta in experimentis sequenti modo se gessit: coagulabatur & præcipitationem producebat cum liquore vini probatorio, syrupum violarum viridi colore tingebat, solutionem Lacmus rubescente, admoto sale tartari soluto,

to, nec movebatur nec mutabatur; evaporatæ unciæ duæ dedere extracti aquosi drachmam, saporis instar aceti acidi, & amygdalarum amararum, amari, quod tamen oleum tartari per deliquium non moveret, sed solum colore flavo rubente tingeret. IDEM *Vol. eodem.*

Tum etiam in Volumine X. eidem *Acad.* N. C. per multa experimenta, examen & differentias picis norvegicæ & thuringicæ proposuit *Cl.* Vir BREVRER; norvegicam minus simplicem & sinceram, actuosiorem tamen ob oleum ætherum, & magis medicamentosam ob salem acidum, oleoso-resinosam vero magis thuringicam nec adeo efficacem adinvenit, ut & posterioris infusum debilioris odoris, saporis paululum tantum acidi esset.

USUS PICIS internus Suecis domesticus, ut in Variolis antiquissimus: externus in erysipelate vulneribus, ulceribus etiam receptus. Aqua Picis in America omnium primo in usus medicatos deducta est, dein celebritatem in plurimis casibus in Anglia habuit Auctore, BERCKELEY Episcopo Hiberno. Confectionis modus sequens est: Picis liquidæ pars una cum aquæ puræ partibus duabus cochleari ferreo quatuor sexve minutis agitatur, & commiscetur, commixta per quadraginta octo & ultra horas in quiete reponuntur, donec omnis pix in fundo consederit, quo facto aqua despumatur, decantatur, lagenis clausis servanda. Dosis pro ratione morbi libræ I. II. nyctimeri spatio etiam libra una omni hora. Sed nimium laudavit BERCKELEY. In asthmate, ab hydrope pectoris dependente, funestum eventum notat *Cl.* WALLERIUS *Acad.* N. C. *Vol. IX.*

Cæterum balsamica est in morbis cutaneis, lepra egregia, & in lue venerea adhibent Cairi, HASSELQUIST,

exter-

externe in ulceribus & fistulis utilem deprehendit LEBEAU *Recueil periodique &c.* T. VII.

ESSENTIA picis liquidæ HOMPSWOOD adeo celebrata, nihil aliud est, quam simplex extractio picis liquidæ Norvegicæ, cum spiritu vini tartarisato parata, BREVRERI testimonio *Acad.* N. C. *Vol. X.*

PIX SICCA artis potius, quam naturæ productum inter dropacismos Chirurgis olim tantum usurpatum.

BALSAMA ARTIFICIALIA.

Infinita tam simplicia, quam composita: simplicia acido nutrita conflantur, composita variis ad se commixtis exurgunt.

BALSAMUS ARCÆI sevo cervino, terebinthina, gummi elemi, & axungia porcina confectus, mundificans, digestivus.

FINIS TOMI I.



HENR. IOH. NEPOM. CRANTZ
S. C. A. MAIESTAT. CONSILIAR.
INSTITUT. MED. ET MATER. MEDIC. VINDOB.
PROFES. PUB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CURIOS.
ET. SOCIET. BOTAN. FLOR. SODAL.

MATERIÆ MEDICÆ ET CHIRURGICÆ

IUXTA
SYSTEMA NATURÆ DIGESTÆ

EDITIO SECUNDA
CORRECTA ET AUCTA.

TOMUS SECUNDUS.



IMPENSIS IOANNIS PAULI KRAUS,
BIBLIOPOLÆ VIENNENSIS,
MDCCLXXIX.



CLASSIS QUARTA.

EMOLLIENTIUM.



MOLLIENTIA habentur, quæ ſtrictas nimis ſolidas partes laxant, molliunt rigidas, exſuccas humectant, fotu, balneo, potu, injectione, vapore.

Locum habent, ubi macies, ariditas, contractio, in toto corpore, vel in quadam parte adſunt, BOERHAAVE.

Tota fere gens columniferarum emolliens eſt, LINNÆUS. Emollientia omnia inſpiſſata, gummata arte facta ſunt, MACQUER, cum gummata naturalia ſint ſucci mucilaginoſi inſolatione inſpiſſati, GREW *of the generation of liquors in the vegetation, of Trunks* §. *V.*

ALTHÆA *Off. Botanicorum.* Classis Naturalis Columniferarum. *Germ.* Ebisch. *Gallis* Guimauve. *Anglis* Marsh Mallow.

ALTHÆA *foliis simplicibus tomentosis*, officinis radicem, plantam, semina largitur. Tota demulcens, mucilaginosa, insipida est.

USUS MEDICUS multus in ardentium siccitate, quod relaxet, emolliat, in intestinorum erosione, dysenteria, stranguria, nephritico dolore, pleuritide sicca, raucedine, tussi aspera, acri, quod acrimoniam demulceat, inviscet, vias obliniat, liquida inspisset. Datur etiam, ubi rumpenda vomica est. Externe, ubi lenienda inflammata, maturandi abscessus, dolores sedandi, excoriatæ partes demulcendæ, stillicidium acre corrigendum, ut in ophthalmia serosa, acri, & morbis articularibus, plurimum familiaris. Ad libram aquæ pro usu interno radicis unc. semis, vel foliorum manipulus, sufficiunt, externa præscripto saturatior esse potest.

PRÆPARATA. *Mucilago* althææ ex radicibus coctis, per setaceum pressis paratur. *Syrupus* de althæa *simplex* habetur, ut & *compositus*, tum *unguentum*.

ALCEA *Off.* MALVA *Botanicorum.* Classis Naturalis Columniferarum. *Germ.* Fell-Ris. *Gallis* Mauve Sauvage. *Anglis* Vervain-Mallow.

MALVA *caule erecto*, *foliis multipartitis*, suam nostris officinis emollientem herbam, non magni usus, largitur.

ADEPS.

ADEPS.

AXUNGIÆ omnes.

BOMBAX *Offic. Botanicorum* GOSSYPIUM. Claſſis Natur. Columniferarum. *Germ.* Baumwolle. *Gallis* Cotton. *Anglis* Cotton.

GOSSYPIUM *foliis quinquelobis*, exoletum, ſemina, & lanam officinis ſubminiſtrat.

BRANCA URSINA *Off.* ACANTHUS *Botan.* Claſſis Naturalis Ringentium. *Germ.* Bernklau. *Gallis* Brancheurſine. *Anglis* Bear's breech.

ACANTHUS *foliis ſinuatis, inermibus:* Rariori in noſtris officinis plantæ, male ſphondylium ſubſtituitur, ſuis in viribus haud exacte probatum, licet inter quingue emollientes plantas multis numeretur.

CANNABIS *Off. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Incompletar. *Germ.* Hanff. *Gallis* Chanvre. *Anglis* Hemp.

CANNABIS *foliis digitatis*, fére narcotica, inebrians viſa, GALENO, KÆMPFFERO, &aliis, RAIO ſuſpecta eſt.

Semina mollia emulſa, lubricant, pinguefaciunt, in gonorrhœa utilia ſunt. Viri religioſi experimentum cerat, ad coxæ dolores oleum cannabis expreſſum, calide appoſitum, VELSCH. Seminum doſis in ſubſtantia ſcrupulus, drachma ſemis, in emulſionibus drachmæ duæ, uncia ſemis. Fila cum cineribus cocta, abdomini, & pubi appoſita, fortiſſime emmenagoga, RODERICUS a CASTRO.

CERA *Offic.* Claſſis artefactorum. *Germ.* Wax. *Gallis* Cire. *Anglis* Bees Wax.

Vegetabilis ex florum ſtaminibus forte, & nectariis ab apibus collecta, & elaborata ſubſtantia *Ceram* officinis noſtris ſuppeditat; non enim omnis ab apibus elaboratur, in Luſiana enim, ut & Florida, Carolina, Americæ ſeptemtrionalis provinciis, ex fructu arboris cera excoquitur, & in China e vermibus niveo candore præſtantiſſima. Quæ nobis uſitata eſt, expreſſo prius omni ex favis melle, igne liquatur, adjecta aqua lavatur, tum demum in panes funditur glutinoſa *flava* venalis Cera; hæc dein repetita ad ignem fuſione, purificata, lota, aere, ſole, etiam aliis artificiis dealbata Cera *alba* eſt.

PROPRIETATES, quod ſpectat ſpecificas, habet non paucas; nam præter ſaporem lentum, oleoſum, odorem debilem non ingratum poſſidet, & conſiſtens gravitatem ſpecificam majorem, quam dum ad ignem fluit *Acad. des Sciences 1726.*; adhæc pura nec aqua nec ſpiritu vini ſolvitur, frigore denſatur, fragilis fit, & in loco fracturæ metallo, quam reſinoſæ, aut gummoſæ vegetabilis ſubſtantiæ ſimilior eſt. Calore molleſcit, igne funditur, tota inflammabilis volatilitatem fere camphoræ habet. Ultimo admixta rubeſcit cinnabari, cum viridi æris wirideſcit, nigreſcit cum fuligine, & cum tenuiſſimo Gummi arabici pulvere exacte mixta, ſaponacea fit, aquæ patens; absque intermedio deſtillata in ſpiritum acidum & butyrum reſolvitur, vtrumque odoris penetrantis & ingrati: ipſum butyrum ceræ rectificatum ſæpius in oleorum fluiditatem evehitur amiſſo omni fere in rectificatione acido. Cum arena, aut alio quocunque ter-

terreo corpore destillata, aquam dat primo acidulam ingratissimo nidore fœtentem, & hanc dat una cum spiritu fœtido, tum mutato recipiente, & aucto igne butyrum, quod nec summo quidem frigore in ceram amplius cogatur, BOERHAAVE, & præcedenti methodo præparato butyro semper deterius sit, LEMERY *Chymie*, & iterata destillatione in oleum convertatur, citissime vero cum calce, IDEM *ibid.*

PRINCIPIA. I. Oleum. II. Acidum. III. Aqua. sedecim ceræ unciæ suppeditant uncias tres cum dimidia olei, duodecim cum dimidia aquæ acidulæ LEMERY *Chymie*, & in alio experimento, dederunt ceræ unciæ octo olei unciam unam & drachmas sex. *Hist. de l' Acad. des Sciences 1708.* Acidum ad succini acidum accedere visum LEMERY *Chymie.*

USUS ceræ citrinæ, quæ albæ præfertur ad Unguenta, Emplastra, Balsama, Cerata, in officinis multus; generalis emolliens. *Butyrum* ceræ emolliens anodynum, neuroticum, asperis hæmorrhoidum doloribus utile. *Oleum* repetitis destillationibus limpidum in curandis labiorum tam oris quam vulvæ, papillarum mammarum fissuris, digitorum manuumque ragadibus incomparabile. Simplex cera in alveolum evulsi dentis vel aperturam in paracentesi factam intrusa harum partium hæmorrhagiam compescuit *Acad. de Chirurgie* T. III.

PRÆPARATA, COMPOSITA non omnes officinæ habent. Pulvis testaceus ceratus in dysenteriis laudatur.

CYDONIORUM Semen, mucilago. vide I. p. 42. 43.

FOE-

FOENU GRÆCUM *Off.* TRIGONELLA *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Papilion. *Germ.* Bockshorn. *Gallis* Senegre, ou fenugrec. *Anglis* Fenugreech.

TRIGONELLA *leguminibus ſeſſilibus*, ſemina dat officinis, unde farina, oleum.

Mucilaginoſa, emollientia ſemina, in clysmate decoquuntur ad teneſmum: etiam ex his mucilago extrahitur, aſperis palpebris utilis. Farina cataplasmatibus emollientibus, anodynis, ut & oleum, adduntur.

FICUS. vide I. p. 44.

GUMMATA.

LINUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Flachs. *Gallis* Lin. *Anglis* Flax. *Italis* Lino.

LINI *ſativi*, *annui*, ſemina officinalia ſunt, emollientia, admodum glutinoſa, in acrimonia, ſtranguria, nephritide, calculo, dyſenteria, & omnibus excoriationibus, doloribus, laudata. Interno uſu raro uſurpantur, licet drachmæ unius, duarum pondere, emulgeri poſſent, etiam decoqui ad tuſſim, raucedinem, pleuritidem, empyema; clysmatibus frequentius incoquuntur, pugillorum duorum, trium, menſura, in teneſmo, & inteſtini recti inflammatione. Farina admodum emollit, maturat, cataplasmatibus incocta, vel addita. Oleum multis affectibus perutile, non cito rancеſcens, etiam in febribus convenit: datur in ileo, colica nephritica, calculo, magna doſi, ad uncias quatuor, ſex, decem.

Externe etiam ſcopo emolliente adhibetur, & fila lini non præparata, in lacte cocta, calida, circa herniam circumpoſita, huic mederi, RELATIONES *ab amicorum ſocietate factae Hamburg. 1753. germanice ſcriptae*, fidem faciunt: & linum in aqua, ut fieri ſolet, maceratum, huic odorem, & ſaporem, piſcibus lethalem, hominibus gravem, conciliare, *Cl.* RITTER *Acad.* N. C. *Vol. X.* obſervavit.

MALVA dicta eſt I. p. 24. 25.

MERCURIALIS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Incompletar. *Germ.* Bingelkraut. *Italis* Mercorella. *Gallis* Mercuriale. *Anglis* English Mercury.

MERCURIALIS *caule brachiato*, *foliis glabris*, non ſatis certo emolliens, aquoſa, ſubſalſa, eccoprotica eſt, clyſmatibus adhibita. Interne hodie raro datur ſola; doſis manipulus ſemis, unus, cum aliis ſolventibus in obſtructionibus, tum aliorum viſcerum, maxime uteri. Subvenenata LINNÆO cenſetur, & juniorem ovibus lethalem, adultiori theriacam antidotum eſſe, *Acad.* N.C. *Vol. X.* Mercurialis perennis, repens, cynocrambe dicta I. R. H. venenatos effectus exeruit in pueris & adultis. SLOAN *philoſoph. Trans. act.* No. 203.

MEDULLÆ omnes animalium.

MUCILAGO omnis, utpote quæ ex emollienti ſubjecto potiſſimum, vel fuſione, vel coctione elicitur, vimque emollientem habet, recte huic claſſi inſcribitur. Eſt vero in hoc argumento id memo-

 ratu

ratu non indignum, diverſas emollientium ſtirpes, earundem, & aliarum ſtirpium diverſas partes, variam mucilaginis quantitatem largiri, tum pro viſcidæ in aqua ſolubilis, quæ eis ineſt, materiæ vi, tum pro encheireſis adhibitæ violentia, & diuturnitate, & de hac quidem re quid quodque emolliens ſiccæ ſuppeditet facta evaporatione mucilaginis exſtant noviſſima *Clariſſ.* SPIELMANNI *in Inſtit. Chem. Argent.* 1763. experimenta.

Rad. ALTHEÆ } ſui ponderis dimidium.
SYMPHYTI }
MALVÆ quartam partem.
SALEP. ſubquintuplum concedunt.
Unc. I. ſem. CYDON. dedit drachmas tres.
LINI ſcrupulos quatuor.

OLEA, omnia, mollia, qualia vel preſſione, vel coctione ex ſubjectis blandis, ſubdulcibus eliciuntur. Habent vero etiam hæ encheireſes, ſuas non ſpernendas animadverſiones, dum preſſio, & puriorem, & uberiorem olei quantitatem, quam coctio ſuppeditet, ut in ipſa preſſione, ratione præviæ præparationis multis multa, licet inutilis cura adhibeatur; malo enim conſilio in calidæ maceratione amygdalas excorticare, excorticatas molendina frangere, & prælo ſubjicere nonnulli ſatagunt, dum hoc labore obtentum amygdalarum oleum longe citius ranceſcit. Quæ alia ipſum prælo ſubjiciendum ſubjectum ſpectant, ſcilicet ejus ætatem, humidam aut ſiccam naturam, Pharmacopæis notiſſima ſunt, ut dici non debeant; quo vero quodque ſuum oleum fœnore ploret, id

id quidem non adeo tritum eſt: & vidit *Cl.* SPIELMANNUS l. c.

AMYGD. }
Nuc. AVELL. } dimidium ſui ponderis.

Lib. I. {
Nuc. PINEAR. }
Sem. IV. FRIG. MAI. } uncias V olei largiri.
Sem. PAPAV. ALB. uncias IV.
Sem. CANNAB. uncias III.
Sem. LINI }
Nuc. BEHEN } uncias duas cum dimidia.

OVI VITELLUS olei denarios duos dedit.

Oleum ovorum dolorem arthriticum, inunctum lenivit, *Act. Phyſico Med.* N. C. Vol. I. & ab eadem methodo hydropico ſalus hic Viennæ. Oleum, quo acetaria condiuntur, recens inunctum, tres hydropicos ſanavit. OLIVIER *Trans. philoſoph.* T. XLIX.

PARIETARIA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Mauerkraut. *Gallis* Parietaire. *Anglis* Pellitory. *Italis* Parietaria.

PARIETARIÆ *foliis lanceolato-ovatis*, eſt ſapor aqueus, vis ſolvens, non mucilaginoſa, nec certo emolliens, ad urinam pellendam laudata, quam ſuccus ad tres uncias cito movet, CAMMERARIUS, quod & ante illum alii etiam obſervaverant: ſed & hic ſuccus a lapillis vindicat, VARIGNAN; & planta cum butyro cocta, externe applicata, & urinam & lapillos movet. *Commentat. varii argumenti germanice editae*

Fran-

Francofourti 1759. & decoctum cutis vitiis, & podagræ mederi dicitur. Dosis pro decocto manipulus unus, duo: succus depuratus ab uncia una ad tres, quatuor, administratur.

PSYLLII Semina, vide *Venena.*

VERBASCUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Pauci-stam. *Germ.* Wullkraut. *Italis* Verbasco. *Gallis* Bouillon blanc. *Anglis* Moth mullein.

VERBASCUM *foliis tomentosis, decurrentibus;* præter vim emollientem, mucilaginosam, adhuc anodynam habet: decoctum foliorum ad dysenteriam, hæmoptoen ab acri, clysmata ad tenesmum valent. Coquitur etiam in lacte ad fovendas hæmorrhoides, & alias partes dolentes, excoriatas, rigidas, majori, in hac vel illa indicatione, pondere, protractiore etiam coctione.

An flores ad phthisim vere valent? interne, scabie laborantibus certo prodesse, HAMNERIN. Dosis foliorum manipulus semis, unus: florum pugilli duo, ad libram aquæ. Occidere pisces, & temulentos reddere, ut manu capi possint, LINNÆUS; ut ex hoc experimento ratione interni usus cautiores medicos esse velit. IDEM *Dissertatione de viribus plantarum.*



CLAS-

CLASSIS QUINTA.

ADSTRINGENTIUM.

FRUCTUS.

Immaturi omnes, acerbi, vel etiam ex ſua indole auſteriuſculi, auſteri fructus, ad hanc claſſem revocantur. Cum enim illa, quæ fibrillis nimis flaccidis, requiſitam conciliant elaſticitatem, majorem ſeſe contrahendi potentiam, roboratis & fortibus vero rigiditatem inducunt nimiam, ADSTRINGENTIA dicantur, patet hos hujus claſſis eſſe.

USUS MEDICUS roborans, compingens: ſylveſtrium fructuum decoctorum gargariſma, relaxatæ uvulæ medetur, ut & tumentibus a muco faucibus, maxime melle dilutum: immoderatam etiam compeſcunt alvum, & ſolida omnia relaxata firmant.

ACACIÆ Germanicæ fructus *Offic.* Pruni Sylveſtris *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Calycifloſrarum. *Germ.* Heckſchlehen. *Gallis* Prunelles. *Anglis* Sloe.

PRUNUS *ſpinoſa foliis lanceolatis.* Fructus ovatus, ex cæruleo nigricans, acidiſſimus, ſubauſterus, nonnullis melle conditur, in officinis exſiccatur. Decocto radicis curatam vidit febrem quartanam, cortici Peruviano non obedientem, NEBEL *Act.* N. C. *Vol. X.* Florum acaciæ pleniorem, & ſaturatiorem infuſio-

ſionem in ſero lactis, alvum leniter ducere, & in ſubjectis tenuioribus magnæ laudis eſſe, HOFFMANN, *de praeſt. Med. Domeſt.* Cortex radicis ſpiritui vini infuſus, calculoſis mirabiliter medetur, ſi bis de die pro una doſi cochlear unum ſumatur, IDEM *ibid.*

USUS MEDICUS fructuum, ſeu recentium, ſeu exſiccatorum, etiam vino infuſorum, in laxitate primarum viarum, dyſenteriis linioſis, præſtans. Folia amara, ſtyptica, ad unciam dimidiam cocta, gargarisma, in vacillatione dentium, in angina aquoſa, addito melle efficax, concedunt. Flos laxans alibi dicetur.

PRÆPARATA. *Succus* acaciæ noſtratis *inſpiſſatus*, drachmæ dimidiæ, vel unius pondere, ſumitur interne: externe chirurgis multum ad plurima utilis. *Aquae* acaciæ ex floribus, alvum laxat, ita & *Syrupus.*

ARBUTI *Offic. Botanicor.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Arbuſen. *Gallis* Arboux. *Anglis* Strawberry.

ARBUTUS *caule erecto*, *foliis glabris*, *ſerratis*, *baccis polyſpermis.* Frago fere ſimilis fructus, craſſior, ſphæricus, carnoſus, ante maturitatem flavus, dein rubens, in quinque loculamenta, fœta ſeminibus oblongis, dividitur. Nec in cibum in menſis, nec in medicamentum in officinis, hodie recipitur, primus mortalium cibus. Auſteram tamen virtutem habet, & ad eadem, ad quæ priora, valere poſſet.

USUS MEDICUS vix ullus.

BER-

BERBERIS *Off. Botanicorum.* Claſſis Pauciſtam. *Germ.* Wein-ſchädling. *Gallis* Epine vinette. *Anglis* Barberry.

BERBERIS *ſpinis triplicibus;* baccæ, rubentes, longe ovales, ſaporem acidiſſimum habent, adſtrictione exceptum. Menſis baccæ, fruticis cortex tinctoriis operibus, adhibentur.

USUS MEDICUS in omnibus morbis, ubi putredo, & diſſolutio humorum metuitur, vel jam adeſt, eximius; quum enim tunc acida conveniant, quæ illud compingens, & inſpiſſans ſimul habeant, & hoc in baccis adſit, ratio præſcriptionis evidens. PROSPER ALPINUS febre maligna cum diarrhœa bilioſa periculoſiſſime decumbens, decocto, SIMON PAULI ab acri febre, & enormi diarrhœa, ſyrupo aqua diluto, convaluere; eodem exemplo in diarrhœis, dyſenteriis, cholera, putridis, in quibus quaſi homo emungitur, & in putrilaginem ſoluti humores, inteſtinorum vi deſtructa haud coerciti, quaſi continuo perpluunt, exemptis ſeminibus in pulpam redacti, vel in potum cocti fructus, feliciter exhibentur, non adeo facile limitanda doſi. Cortex, radix, amara ſunt; folia intenſe acida, omnia roborantia. Cortex medianus, viridis, ad aquas hydropicorum educendas CLUSIO pro arcano datur, etiam *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN probatur. Ligno propior cortex, flavus, amarus, deterſivus, aperiens, eximii Anglis uſus habetur, in ictero.

PRÆPARATA. *Succus*, *ſyrupus* berberum, laudati. *Rotulae* in caloribus gratæ, & utiles.

COR-

CORNI *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Fructiflorar. *Germ.* Cornell-Kirſchen. *Gallis* Cornouilles. *Anglis* Cornells.

CORNI *umbellis involucro multo longioribus*, oblongi, olivæformes, ſed graciliores, parum carnoſi fructus, primum virides, dein rubri, oſſicula recondunt ſimilia, qualia fere in olivis, duriſſima. Saporem acerbum, amarum, immaturi, non ingratum, acido-dulcem, cum quadam ſemper adſtrictione, maturi poſſident, olim etiam in ciborum honore habiti.

USUS MEDICUS in alvi profluviis, & inteſtinorum laxitate, forma electuarii, & decocti, ad unciam unam, duas, utilis.

CYDONIA *Offic.* vide P. I. p. 42. 43.

Hoc malum, excepto ſemine mucilaginoſo, emolliente, totum roborat, & adſtringit, convenientiſſimum plurimis, quia ſapidum adhuc, & gratum. *Succus*, *ſyrupus*, *miva*, proſtant pro interno uſu, in uſum externum *oleum* habetur.

CYNOSBATI fructus *Offic. Botanicorum.* Roſæ Sylveſtris. Claſſis Naturalis Calyciflorarum. *Germ.* Hetſchepetſch. *Gallis* Gratecu. *Anglis* Heps.

ROSA *foliis*, & *fructu rotundo*, *laevibus*, *calycis foliolis diviſis*. Fructus ex rotundo conicus, glaber, intenſius rubens, corallinus, ſaporis non ingrati, lapillis durioribus, multa lanugine veſtitis, farctus, exemptis lapillis ad menſas vario modo præparari ſolet, edulis.

USUS MEDICUS in diarrhoeis, dyſenteriis utilis: decocto diarrhoea mitigatur, *Acad.* N. C. Vol. VII. An adeo prodeſt calculoſis? conſerva ex floribus, ut etiam fructu, in conſumtione, & morbis pectoris, tum defluxionibus catarrhalibus, Anglis frequens, ALLEYNE. In fungo, inſecti nido, eſtne vis medicata poſt tot laudes?

GLANDES QUERCINÆ *Offic. Botanicor.* Claſſis Naturalis Incompletar. *Germ.* Eicheln. *Gallis* Gland du chene. *Anglis* Acorns.

QUERCUS *foliis annuis, oblongis, ſuperne latioribus, ſinubus acutioribus, angulis obtuſis.* Omnia in hac arbore adſtringentia ſunt, cæteris tamen partibus ipſa glans minus, quæ & in ciborum honore veteribus haberetur.

USUS MEDICUS, ubi adſtringendum, præſtans. *Folia* ad balnea adſtringentia, ut & *cortex*, vocantur. *Lignum* a quibusdam magni habetur, ut etiam Guaiacum Germanorum dicatur, ad peſtem accenſum valens. *Cinerum lixivium* ad hydropem, pedes œdematoſos, commendatur. *ſuccus* ex quercu terebrata fluens mictui cruento auxiliatur, *Philoſoph. Transact.* *Cupula*, involucrum fructus, ipſe fructus, pulverata, inteſtinorum laxitatam tollunt. Eſt etiam adſtringens *fungus*, & qui ligno adnaſcitur *muſcus;* ſed gemmæ & folia recentia pecori noxia ſunt.

MESPILI *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Calyciflorarum. *Germ.* Neſpeln. *Gallis* Neffle. *Anglis* Medlars. *Italis* Neſpolo.

MESPILI *foliis lanceolatis*, integerrimis, ſubtus tomentoſis, calycibus prominentibus, globoſi, calyce

coronati, carnosi fructus, immaturi ex albo flavi, duri, acerbi: maturi mollescunt, & rubiginosi fiunt, tum magis grati, vinosi; officula habent quinque oblonga dura.

USUS MEDICUS, in sistendis alvi immodicis fluxibus, celebris, exemplo FORESTI, qui plurimos hoc medicamento curavit.

MORA *Off.* immatura, *vide* P. I. p. 49.

Roob mororum immaturorum est in officinis.

MYRTILLI *Off.* *vide* P. I. p. 49.

Syrupus myrtillorum.

MYROBALANI *Offic. Botanicorum.* Classis ignoratur. *Germ.* Myrobalanen. *Gallis* Myrobalans. *Anglis* Myrobalans.

Ex Indiis ad nos allati fructus conditi, in quinque species officinis dividebantur, in Belliricas, Chebulas, Emblicas, Citrinas, Indas; botanicis nonnullis in totidem genera, an maiori certitudine? veteres officinæ singulis illarum speciebus vim singularem, & specificum ducendi corporis humorem adscripsere, recentiores omnibus eandem virtutem tribuere, an rectius? in sapore, & reliquis attributis horum fructuum manifestam differentiam invenias.

USUS MEDICUS in decocto aquoso, vinoso, quam in pulvere, convenientior, ubi ex intestinali tubo acria irritantia expellere, & vasa firmare consilium, drachmarum duarum, trium, quatuor, unciæ unius, exemptis prius officulis, pondere, laudatur. Exoptatum, in procidentia ani infantibus familiari, concedere

dere Belliricas, infuſas, vel decoctas remedium, & ea doſi, ut purgare non poſſint, datum, aſſerit *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN.

COMPOSITUM. *Roob* myrobalanorum, non ſpernendum, ad unciam unam ſumptum.

MYRTI BACCÆ *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Calyciflorarum. *Germ.* Myrten-Beerlein. *Gallis* Bayes de Myrte. *Anglis* Myrte Berries.

MYRTUS *floribus ſolitariis, calyce fructus diphyllo.* Baccæ exiguæ, in initio virides, ætate nigreſcentes, oblongæ, rugoſæ, in tria loculamenta ſeminibus auricularibus fœta dividuntur.

USUS MEDICUS omnium myrti partium non ſpernendus. Foliorum, & baccarum duplex vis, & adſtringens, & aromatica balſamica, multum promittit; ſed cur neglecta? in omnibus morbis, ubi utraque virtute opus, ut primarum viarum ſimplici laxitate, fluore albo, morbis virgineis, eximius uſus, ſeu in ſubſtantia ad drachmam dimidiam, ſeu in infuſo, vinis medicatis, ad unciam unam, exhibeantur. Ad manantia capitis ulcera, ſi ſiccare expedit, ad articulos a nimia laxitate ligamentorum diſtractos, decoctum myrti chirurgis familiare, & utile.

POMA immatura, vel matura auſteriuſcula, P. I. p. 53.

PUNICA, ſeu GRANATA *Off. Botan.* PUNICA. Claſſis Natur. Calyciflorarum. *Germ.* Granat-äpfel. *Gallis* Grenade. *Anglis* Pome-Granates. *Italis* Pomi Granati.

PUNICA fructum habent globoſum, umbilicatum, ſub cortice aſpero, duro, coriaceo, rugoſo, co-

loris ex luteo punicei, medullam ſucculentam, innumeris granulis anguloſis, rubris, farctam; iam veteribus exacte notus fructus, ratione ſaporis etiam diſtinctus fuit, in *dulcem*, *acidum*, & *acido-dulcem*, ſeu *vinoſum*. Punicorum flos *balauſtia*, cortex *malicorium* officinis vocatur.

USUS MEDICUS, pulpæ ſolius, vel ſaccharo remixtæ, acidulæ, ſubauſteræ, in morbis bilioſis, putridis, diarrhœis, dyſenteriis, valens; etiam ipſius ſucci admodum felix; ita in diarrhœis, & dyſenteriis a bile motis, præmiſſo leni purgante, ſuccum acido-dulcium affatim ſumendum exhibuit *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN, & curavit quam plurimos.

In febribus putridis, decocto avenæ fervido eluta pulpa, potum dat ſaluberrimum, omni putredini adverſum, egregie cardiacum. Mali punici ſuccum in cardialgia etiam adhibuit HIPPOCRATES: mulier cardialgia torquebatur, nec prius malum eſt ſedatum, quam polenta, ſucco punici mali aſperſa, ſemel de die uteretur. De *corticibus*, & *floribus* ſuo loco.

PRÆPARATA *ſuccus*, & *ſyrupus* Granatorum.

PYRA immatura vel matura auſteriuſcula, acerba P. I. p. 54.

SORBI BACCÆ *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Calycifloraram. *Germ.* Arlasbeer. *Gallis* Corme. *Anglis* Sorbs. *Italis* Sorbo.

SORBUS *folio ſeptangulo, fructu ovato-biloculari.* Baccæ turbinatæ, umbilicatæ, parvæ, pyriformes, immaturæ, ut meſpili acerbæ, etiam ut hi in ſtramine molleſcunt. Huius ſorbi, Torminalis, baccæ preſſæ potum dant ſapidum, ſiccatæ parum ſalubres ſunt.

USUS

USUS MEDICUS, ut meſpilorum idem: poſſunt in pultem contundi, & addito ſaccharo in conditum præparari: poſſunt decoqui, haud ſcrupuloſa doſi, cum nobis in alimentum cedant ſanis.

SORBI DOMESTICÆ BACCÆ *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Calycitlorarum. *Germ.* Sperben. *Auſtr.* Aſcheritz, Speirling.

SORBUS *foliis pinnatis fructu pyriformi quinquelocularі.* Baccæ maturæ edules, acidæ, immaturæ adſtringentes.

UVA *Offic.* immatura, vide P. I. p. 60. *Syrupus* de agreſta.

HERBÆ, ET RADICES.

ACORUS PALUSTRIS *Offic. Botanicorum* IRIS. Claſſis Naturalis Palmarum. *Germ.* Gelbe Schwertel. *Gallis* Flamb baſtarde. *Anglis* Gladdon.

Iris *corollis imberbibus*, *petalis internis ſtigmate brevioribus*, *foliis enſiformibus*, non imbecilliter adſtringit, in ſcorbuto laxo utilis. In infuſo vinoſo ad unciam ſemis, unam, datur.

ALCHIMILLA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Löwenfus. *Gallis* Pied de Lion. *Anglis* Laidies Mantle.

Plures huius plantæ pariter ſpecies ſunt, ſtypticæ omnes. Officinis eſt, alchimilla *foliis lobatis*, familiaris, & de ea, herba, & radix uſitatæ ſunt.

VIRES MEDICÆ insigniter adstringentes, vulnerariæ, in laxitate intestinorum, & exulceratione utiles; ad ulcera pulmonum, ramices, etiam laudatæ.

BISTORTA *Offic. Botanic.* POLYGONUM. Classis Pauci-stam. *Germ.* Naterwurtz. *Gallis* Bistorte. *Anglis* Bistort.

POLYGONI *foliis imis appendiculatis, semine triquetro*, radix, officinis frequens, acido austera, adstringens.

USUS MEDICUS in parte laxa firmanda multus; valet radix ad vacillantes dentes, etiam dentium dolores, ad reprimendas defluxiones, si consilium: dosis in decocto unc. unius. In pulvere gran. decem, viginti, triginta, bis, ter de die.

CAPILLUS VENERIS *Offic. Botanicorum* ADIANTHUM. Classis Naturalis Cryptantherarum. Ordo filicum. *Germ.* Venus-Haar. *Gallis* Capillaire. *Anglis* Maiden Haire. *Italis* Capel Venere.

ADIANTHUM *foliis coriandri* C. B. vim roborantem habet: syrupus Monspelii, & Parisiis factus, ad tussim, & morbos pectoris pituitosos multum effertur; vix multum efficax.

CETERACH *Offic. Botanicorum* ASPLENIUM. Classis Naturalis Cryptantherarum. Ordo filicum. *Germ.* Kleinmiltzkraut. *Anglis* Spleenwort.

ASPLENIUM *frondibus pinnatifidis, laciniis alternis, adnatis;* huic vis eadem roborans, & deobstruens tribuitur. Nuper etiam diuretica eius vis dete-

cta

cta est, nec alia medicina ad depellendum ex renibus sabulum aptior, dum matutino tempore forma Thee cum floribus papaveris rhœados aut alia quacunque planta in casum præsentem coindicata sumitur.

RUTA MURARIA *Offic. Botan.* ASPLENIUM. Classis Natur. Cryptantherarum. Ordo filicum. *Germ.* Mauerkraut.

ASPLENIUM *frondibus alterne decompositis, foliolis cuneiformibus, crenulatis:* etiam roborans in rachitide utile; in hydromelle infusum, pectorale.

SCOLOPENDRIA *Offic.* ASPLENIUM *Botanicorum.* Classis Naturalis Cryptantherarum. Ordo filicum. *Germ.* Hirschzung. *Anglis* Spleenwort.

ASPLENIUM *frondibus ensiformibus integris, basi cordato-inflexis, petiolis hirsutis:* præcedentibus magis adstringens, rachiticis datur.

EQUISETUM *Offic. Botanicorum.* Classis Natur. Cryptantherarum. *Germ.* Rossschwantz. *Gallis* Queue de cheval. *Anglis* Horse-tail.

In officinis maius, & minus promiscue usurpatur, *arvense* frequentius adhibetur, cognoscitur, *scapo fructificante nudo, caule sterili, ramis compositis.*

USUS MEDICUS huius herbæ admodum adstringentis, in sanguinis profluviis, sputo, mictu cruento, in quo HELWICH nunquam fefellit, *Ephem.* N. C. tum in alvi profluviis, anginis aquosis, specificus habetur. Specificus itidem diureticus L. Ulceribus internis, pulmonis, renum, visicæ, urethræ, admodum proficua multiplici experientia planta, in pulvere, sic-

 cata,

cata, a ſcrupulo ad drachmam ſemis, in decocto ad unciam ſemis, recens in ſucco ad uncias duas, cochleatim ſumendo, datur. Externe etiam contuſa recens ſanguinem in vulneribus illico cohibet.

His iam omnes plantæ coriariæ dictæ, addi poſſunt, quæ quoniam vita deſtitutas animalium pelles cogunt, coarctant, condenſant, vivas partes longe magis indurare debent, ut ſunt, *Rhus*, *Abies*, *Cotinus*, *Betula*, *ſalix* &c. ex quibus remedia heroica.

GNAPHALIUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Compoſitarum floribus nudis. *Germ.* Ruhrkraut. *Gallis* Immortelle. *Anglis* Dowueweet.

GNAPHALIUM *caule ſimpliciſſimo, corymbo ſimplici, terminatrici, ſarmentis procumbentibus:* exſiccans, adſtringens eſt.

In dyſenteria valere nomen Germanicum indicat; contuſum contra panaritia eſſe, & in decocto potum doloribus reſiſtere, GMELIN *Floræ Sibiricæ* T. II. An in arthritide, tuſſi convulſiva, valeat? LINNÆUS interrogat. In pulmonum ulceribus efficax plurimorum experimenta comprobarunt.

HEDERA ARBOREA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis fructiflor. *Germ.* Epheu. *Gallis* Lierre. *Anglis* the Ivy-Tree. *Italis* Hedera.

HEDERA *foliis ovatis, lobatis;* folia, baccas, reſinam, officinis exhibet: folia vulnerarium, roborantem, antiſepticum uſum habent, in ulceribus, ozœna, fonticulis, vel eluendis, vel tegendis, etiam ad tumores mammarum reſolvendos, HAMNERIN *de viribus planta-*

plantarum indigenarum. In pulvere data laudantur ſpecifica in atrophia infantum. *Act.* N. C. Vol. V. *Baccas* contra peſtem valere, & ſudorem movere BOYLEUS. *Reſina* ſubadſtringens, leniter aromatica, in viſcerum debilitate interne utilis, raro adhibita.

LAPATHUM *Offic. Botanicorum.* Rumex C. Claſſis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Mengolt. *Gallis* Parelle. *Anglis* Dock.

Inter varias lapathorum ſpecies LAPATHUM *acutum*, ſeu *oxylapathum* C. B. officinæ frequentius, raro, folio acuto rubente EIUSDEM, maxime *aquaticum*, folio cubitali, cordato-lanceolato, recipiunt: ex priori radicem, herbam, ſemen, media radicem, ſuccum, ſemina, poſteriori herbam, radicem, adhibemus. Radices amaræ, auſteræ magis ſunt, folia levem etiam aciditatem habent.

USUS MEDICUS primæ, & ſecundæ plantæ hucusque non ſatis diſtinctus, prioris tamen frequentior, adſtringens, ſiccans: decoctum ad ſcabiem habetur ſpecificum, etiam in ſcorbuto utile; ad podagræ prophylaxim laudatur MUNTINGIO. Externe humida ulcera compeſcit lotio, aut fomentum, unguentum, ex his parata.

Tertia, ſeu herba Britannica ad unciam unam, duas in inſculis, apozematibus, contra oris vitia, cocoethem, ſcelotyrben, ſpecifica, ad eruptiones chronicas in cute, aliasque puſtulas, dolores rheumaticos, arthriticos, iſchiadicos, ſummopere a ſuis recommendatur autoribus, longo ſemper tempore ſumta. Semen ex lapatho folio acuto rubente C. B. miraculi loco ſopit alvi fluxum dolentem: ſcrup. unius, vel drachmæ ſemis doſi contu-

 ſum,

ſum, & in vino ſumtum, facit id etiam colatus liquor. *Cl.* VOKAMERUS *Ephem. Dec.* 2. *Anno primo.*

LYSIMACHIA *Offic. Botanicorum* Salicaria. Lythrum L. Claſſis Calyciflor. *Germ.* Weiderich. *Gallis* Lyſimachie. *Anglis* Looſe-ſtriſe.

LYSIMACHIÆ, olim officinis familiares, a materiæ medicæ ſcriptoribus fere omnibus, adhuc recenſitæ, varias patiuntur differentias, licet congeneres fere virtutes habeant omnes. Ipſe Pater DIOSCORIDES lyſimachiam *luteam*, & *purpuream*, eiusdem efficaciæ eſſe enunciavit, licet ad diverſa genera plantæ raptæ, hodie etiam diverſis nominibus inſignitæ ſint; *lutea* enim nomen lyſimachiæ retinuit, & eſt prima MATHIOLI in DIOSCORIDEM; altera ſalicaria autore TOURNEF. HALL. bene dicta eſt, lythrum etiam L. & hæc ſecunda MATHIOLI eſt. Itaque planta, de qua hic loci agitur, definitur Salicaria *floribus ſpicatis, foliis coniugatis.*

USUS MEDICUS voluit omnes adſcribere vires purpureæ, licet de rufa & aurea ita DIOSCORIDES: foliorum ſuccus adſtringente ſua vi ſanguinis reiectionem ſupprimit, dyſentericis potui datur, aut infunditur, menſium abundantiam ſiſtit in peſſo, ſanguinis profluvio ſubvenit, ſi nares ea obturentur, vulnerum cruorem cohibet. GALENUS vero: lyſimachia ſuperantem habet qualitatem adſtrictoriam, per quam & vulnera glutinat, erumpentem e naribus ſanguinem emplaſtri modo illita compeſcit, quin & reliquas ſanguinis eruptiones ſiſtere poteſt, cum ipſa, tum ſuccus eius multo magis. Pota dyſenterias, ſanguinis reiectiones, ac muliebre profluvium ſanat. Ex his fontibus dein omnes alii dixere, rari, qui quidquam addidere; lienteriæ,

teriæ, gonorrhœæ mederi, ZORN, ad inflammationes oculorum laudari, HALLERUS.

Purpurea novo tentamini adhibita alvum ſiſtere, & a laxitate ortas dyſenterias, diarrhœas curare, ut olim viſa; præ aliis nil detectum; cæterum iam hoc encomio ornata HAMNERIN, *de viribus plantarum Upſaliae* 1737. ad qualemcunque hæmorrhagiam, diarrhœam, dyſenteriam ſiſtendam, profluviumque muliebre ſupprimendum, mirabiliter conferre ſuccum, vel decoctum herbæ interne hauſtum; præſtare in dyſenteria clyſteres ex herba paratos injicere. Ad vulnera & contuſiones oculorum etiam aquam ſtillatitiam enixe a PARKINSONO laudari video, an certa ſatis fama?

PENTAPHYLLUM *Off. Botanicor.* FRAGARIA. Claſſis Natur. Calyciflorarum. *Germ.* Fünf-finger-Kraut. *Gallis* Quinte feuille. *Anglis* Cinck-foil.

FRAGARIA *foliis digitatis, pedunculis unifloris, caule repente;* multas differentias patitur, nec forte adeo ſcrupuloſe ratione virtutis adſtringentis diſquirendas; quod uſuale eſt pentaphyllum, eſt maius repens C. B. Tota in uſum venit herba, etiam ſola præſcribitur: radix herba valentior.

USUS MEDICUS in ſolidorum laxitate, humorum diſſolutione, utilis, ad dolores dentium, ulcera oris putrida, decoctum radicis laudat DIOSCORIDES: in nimio menſium, vel lochiorum fluxu, in diarrhœis, dyſenteriis, ALII. Datur in ſubſtantia drachmæ dimidiæ, etiam unius; unciæ ſemis, integræ pondere in de-

decocto. Recentis plantæ ſuccus quatuor, ſex unciarum menſura, in iuſculo datus, fluxum album feliciter ſuſtulit, apud TOURNEFORTIUM. Quid valeat in intermittente, hodie ſcimus, ſed quid in epilepſia poſſit, poſt AVICENNÆ, I. CAMERARII, obſervationes, ignoramus.

PLANTAGO *Off. Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtamin. *Germ.* Wegerich. *Gallis* Plantain. *Anglis* Plantain.

PLANTAGO *foliis ovatis*, ut etiam eius differentiæ, promiſcue in officinis uſurpantur. Tota præſcribitur planta, vel ſola radix, aut ſemen.

USUS MEDICUS eam inter adſtringentia leniora conſecravit; decoctum plantæ in hæmorrhagiis laudatur: vino adſtringenti chalybeato herba infuſa, in fluore albo, dum ex ſola relaxatione catarrhoſus eſt uterus, extollitur; ad ſanguinis ſputum contuſa, cum radice conſolidæ maioris, BOYLEO deprædicatur; & duæ mulieres phthiſicæ omni mane ſumpſere per octiduum ſucci plantaginis recenter preſſi cochlear unum, dein per menſem duo cochlearia, elixir autem proprietatis ſemel, vel bis de die, & convaluere, *Ephem.* N. C. Vol. IV. Externe macerata, ut molleſcant folia, ulceribus antiquis, ſordidis applicantur. Veſparum morſibus contuſa planta ut & ſuccus medentur. Datur contuſa in conſervam recens planta, in infuſo, decocto, non facile limitanda doſi. Semina innocua, virtute ſtyptica vix gaudent.

PRÆPARATA. *Aqua* plantaginis inutilis, *extractum* vires habet; doſis a ſcrupulo uno ad drachmam ſe-

ſemis, unam. *Succus* ex virente planta exprimendus, laudabilis.

PIMPINELLA SANGUISORBA *Off. Botanicorum.* Claſſis Naturalis fructiflorarum. *Germ.* Blutverzehrende Bibernell. *Gallis* Pimprenelle. *Anglis* Burnet.

SANGUISORBA *foliis ſubrotundis.* Tota planta medicis adhibetur; radix enim, quæ in officinis habetur, eſt ſaxifragæ, aromatica, ſtimulans, haud in hac claſſe recenſenda, ſecus ut alii putarunt. Cæterum in lactucis, & acetariis ſatis nota planta eſt.

USUS MEDICUS leniter adſtringens, vulnerarius, ad ſanguinis profluvia, vulnera, fluxum hæmorrhoidalem, laudatus.

PORTULACA, vide P. I. p. 26.

RUBIA TINCTORUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis fructiflorarum. *Germ.* Färber-Röthe. *Gallis* Garance. *Anglis* Madder. *Italis* Robbia.

RUBIÆ *aſperae, radice rubra*, radix, tinctoria, adſtringens, roborans, diuretica, in officinis accipitur. Aſſumpta oſſa inficit; gallinarum infici primus vidit BELCHIER *Phloſoph. Transact.* Nro. 443. Tum BAZANUS *Inſtit. Bonon.* T. II. etiam oſſa duriſſima tingi, iuniorum tamen citius, rubrum oſſium colorem dein interum evaneſcere, DUHAMEL *Acad. des Sciences* 1739. etiam dentes tingit, LOESEKE: oſſis fracti callus tamen non erat ruber, BOEHMER, nec un-

unquam caro, nervus, tendo, ligamentum, aut alia pars, quæ offea non fit, inficiebatur, DEHTLEFF *differt.* Sed neque rubia folum offa inficit, GUETTARD *Acad. des Sciences* 1746. fed etiam *Gallia* tam flore albo, quam flavo, ut & *Afperula*, IDEM. Kermes rubrum tamen non tingit eadem, IDEM, nec alia in re tinctoria ufitata, ut Indicum, Alcanna, Curcuma, Fernambucum, Tantalum rubrum, Lignum Brafilianum, BOEHMER l. c. nec offa inficit Ifatis, nec tingit Carthamus, NONNIUS *Act. Acad. Mogunt.* T. I. nec ea aut Opuntiæ fructus, aut plantæ Indigophoræ penetrat fuccus, licet in vaccis lac cæruleo, in nutrice rubro, & urinam in infantibus itidem rubro colore inficiat, GARDEN *Philofoph. Transact.* Vol. V.

USUS MEDICUS. Firmandis rachiticorum offibus primus adhibuit LEVRETUS, plurimis curis felix. In pulvere dari poteft fcrupuli unius, bis, ter de die, dofi: unciæ unius in infufo, vel decocto. Radix inter quinque aperientes minores dudum recepta eft, & nuper iterum in quæftione medica contra rachitidem laudata, COSNIER, & cum abforbentibus omnem curam abfolvit.

SANICULA *Offic. Botanicorum.* Claffis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Sanickel. *Gallis* Sanicle. *Anglis* Sanicle.

SANICULA fubinfipida, habet faporem exficcantem, & adftringentem: ad vulnerea, ulcera mali moris cacoethes, iam dudum laudata, in lavamento: in decocto contra hæmoptoen, dofis unc. una.

TORMEN-

TORMENTILLA *Offic. Botanicorum* FRAGARIA. Classis Naturalis Calycisflorarum. *Germ.* Roth-heilwurtzel. *Gallis* Tormentille. *Anglis* Tormentill. *Italis* Tormentilla.

FRAGARIA *foliis quinatis*, *calice octofido*, *flore tetrapetalo*, radix, potissimum in officinis recepta, nodosa; vis ei acerba, adstringens specifica.

USUS MEDICUS specificus in dolore dentium cum aceto coctæ, addito opio, PARACELSUS: in diarrhœis, dysenteriis, metu abortus a laxitate, decoctum gratum, & proficuum. Etiam externe ad ulcera mucosa humida utile, SALA expertus. Dosis in decocto ad libram aquæ, uncia semis, una: in pulvere a granis decem ad viginti, triginta, bis, ter de die.

UVA URSI *Offic. Botanicor.* ARBUTUS. Classis Pauci-stam.

ARBUTUS *cauliculis procumbentibus*, *foliis integerrimis*, an veteribus cognita, & adhibita, multum dubium? paucæ pharmacopœæ, & hæ inter vaccinia habent; gallicæ, suecicæ sub nomine uvæ ursi utuntur.

USUS MEDICUS adstringentem, ut iam sapor indicabat, probavit. Foliorum pulverem, quantum novi, primus L. laudavit præstantem in calculo: multi levantur sopito dolore, alii adiecto diacodiato tantum: in viarum urinariarum suppurationibus utilis comperta, adstringens, vulneraria est. Sed estne certa quædam in vias easdem adstringentium vis? contra cal-

calculosas renum, vesicæ, concretiones, iam dudum alia adstringentia laudantur: præsens esse, drachmæ radicis pentaphylli pondus, vino epotum, ad calculum remedium, ZAMAR expertus, ita etiam recommendatur Agrimonia, adstringens & terrea: de adstringentium usu in calculo integram dissertationem olim HEUSCHERUS. Experimenta, in nosocomio practico hic Viennæ instituta, uvam ursi his in malis multum aliquando deprædicarunt, hodie tacent; & de uvæ ursi virtute nuper dubitavit in disquisitione Chemica & Medica huius plantæ GERHARD *Berol. germ.* 1764.

FLORES.

BALAUSTIA, *seu* flores Granatorum *Offic.* vide p. 19. 20.

BALAUSTIUM sylvestris punicæ florem, cytinum sativæ vocavere veteres. Hodie punicæ flore pleno maiore, flos, balaustium seu balaustia officinis audit.

USUS MEDICUS inferiora longe malicorio balaustia probat, in morbis omnibus laxis internis, & externis laudata, forma pulveris ad drachmam unam; infusi, decocti aquosi, aut vinosi, ad unciam unam: unde decocta, gargarismata, collyria, clysmata, fomenta, fiant appropriata.

MALVÆ ROSEÆ flores *Offic.* vide P. I. p. 24. 25.

ROSA-

ROSARUM RUBRARUM flores *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Calycifloṛarum. *Germ.* Rothe Roſen. *Gallis* Roſes Rouges. *Anglis* Red Roſe.

Inter roſas adſtringentes rubras, eliguntur adhuc illæ, quæ pleno flore gaudentes, *provinciales* audiunt, odoratiſſimæ, & ſtypticæ, ſiccatæ, non adeo adultæ, optimæ.

VIRES MEDICÆ adſtringentes, balauſtis minores, gratæ ſimul odoratæ. Exſiccatæ ſe pulveriſari patiuntur: forma pulveris exhibendæ: aquæ infuſæ vim adſtringentem, odoratam, cum pulchro colore conciliant, cui ſi aliquot guttæ ſpiritus acidi foſſilis addantur, ſaccharum ad maiorem gratiam commiſceatur, claretum habetur in morbis calidis, putridis, diſſolutione humorum, etiam diarrhœa ſtipatis, magnæ efficaciæ.

PRÆPARATA officinalia plurima ſunt, duplex imprimis *conſerva*, hæc *ſimplex*, altera ſpiritu vitrioli addito ad gratam aciditatem, *vitriolata;* utraque efficax, & egregie ad drachmam dimidiam, integram, per ſe exhibenda, maiori electuariis ad unciam doſi: prior phthiſicis, & hecticis dicata, HOFFMANN *de Praeſtant. Remed. domeſticorum*, & ubi roborandum; altera, ubi & putredo ſimul oppugnanda, convenit.

Ex infuſo roſarum rubrarum cum melle cocto, fit *mel roſatum* officinarum, ulcera ſordida laxa depurans, roborans, ſeu gingivarum, buccarum ea fuerint, ſeu aliarum partium; collutoriis, clyſmatibus, unguentis, additur a chirurgis.

Infuſum expreſſum, ſaccharo inſpiſſatum, dat *ſyrupum* de roſis ſiccis, iisdem caſibus utilem, interne tamen magis uſitatum, aphthis, faucium incipienti inflammationi, convenientem.

Florum facta in aceto infuſio *acetum roſatum* eſt, cuius elegans in menſis, & medicina uſus in nodulis odoramentalibus, quæ vis ad aliam iam claſſem ſpectat, ut & *aquae* ſtillatitiæ roſarum rubrarum, non adſtringens, ſed cardiaca, excitans.

CORTICES.

CAPPARIDIS Cortex *Offic. Botanicorum.* Claſſis Multi-ſtam. *Germ.* Capern. *Gallis* Caprier. *Anglis* the Bark of the caper plant.

CAPPARIS *aculeata.* Eſt radicis, quæ officinalis eſt, cortex. Radicibus quinque aperientibus minoribus adnumeratur. Gemmæ florum in menſis magis quam nobis notæ, licet & multum medicatæ.

USUS MEDICUS eandem huius corticis, ac ſequentis vim confirmavit, in malo hypochondriaco, paralyſi etiam laudatus L. eſt: gemmarum vero vis aromatica, ſolvens, longe magis certa; deſperatos ſpleneticos, ſolo uſu capparum, adiuncto potu aquæ ferrariorum, fuiſſe curatos, iam plura exempla ſunt.

PRÆPARATA. *Oleum* capparum ſatis inutile.

FRAXI-

FRAXINI Cortex *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Incomplet. *Germ.* Efese. *Gallis* Fresne. *Anglis* Asch-tree.

FRAXINUS *floribus nudis*, adstringens est, vim diureticam, & diaphoreticam etiam alii illi adscribunt; dosis drachma semis in pulvere. Semen aperitivum, stimulans, dicitur, quod spiritui Iuniperi infusum in Hydrope laudat *Illustr.* van SWIETEN. Corticis Fraxini albi cinerem, aceto in cataplasmatis consistentiam actum, rabidorum animalium morsibus inducto vulneri cum fructu adhiberi, ab agrestibus septemtrionalis Americæ populis, exstat *in Iournal Etranger. Janv.* 1761.

GRANATORUM Cortex, *seu* MALICORIUM *Off.* vide p. 19. 20.

Cum ex adstringenti hoc, & duro pomi cortice olim firmarentur coria, *Malicorium* dictus fuit, quod nomen officinis remansit.

VIRES MEDICÆ *balaustiis* longe violentiores, ob id minori dosi exhibendus cortex. Forma pulveris ad scrupulum unum, drachmam semis, in diarrhœis, dysenteriis, infusi, decocti, ad unicam semis datur. Inde & egregia in laxitate uvulæ, anginis aquosis, gargarismata.

PERUVIANUS CORTEX. CHINA CHINA *Offic. Botanicorum.* QUINQUINA. Classis Naturalis ignoratur. *Germ.* Fieber-Rinde. *Gallis* Quinquina. *Anglis* the Iesuits barck.

QUINQUINÆ e regno Peruano ad nos advectus cortex, aridus, unam, duasve lineas crassus, foris sca-

ſcaber, ferrugineus, & non nihil caneſcens, intus levis, rufeſcens, cinnamomi colore viſitur. Odor debilem, mucidum, aromaticum, ſapor amarum, ingratum, auſterum indicat.

Optimus, qui ex ramulis, denſus, gravis, a ligno repurgatus, fractu ſplendens, piſtilli ictibus volatilis reddendus, in decoctione ſpumeſcens, & ora vaſis tranſcendens habetur.

USUS MEDICUS, ad debellandas febres intermittentes, & continuas remittentes, conditionibus ab *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN *in Commentariis* præſcriptis, ſpecificus: etiam in continua cum delirio, ex intermittente nata, utilis, SUMEIRE; & in febri hydropicum aggrediente *Act. nova Phyſ. Med.* N. C. Vol. V. & in febre petechiali maligna, HUXHAM *de aere, & morbis epidemicis*, in eadem cum hæmorrhagiis, *eſſai ſur les fievres* IDEM. in varioloſa petechiali nigra cum acidis foſſilibus *ibidem*. Pulveris unciæ unius pondus, in duodecim doſes diviſum, imperatur. Formas alii mutant, & oppoſitæ indolis alia, non æque felici ſemper ſucceſſu, commiſcent; eadem quantitate in electuarium cogi poteſt, infundi etiam, decoqui, in ſyrupum inſpiſſari, imo & clysmate ſubminiſtrari infantibus delicatulis, aliis, ut res exigit, drachmarum duarum his, unciæ ſemis doſi illis, ſemel, bisve die intercalari, BUCHWALD. *Prod. Act. Havniens.* Scire enim iuvat decoctionem ferre, & longam requirere, octavum ſuper affuſa aqua decoctum adhuc amaricaſſe, FULLERUS. Colata infuſa, dacocta, imbecilliora eſſe: turbida quidem nauſeoſa magis, ſed & magis effacacia, ALLEYNE.

In

In gangræna, & ſphacelo iterum ſpecificus, drachmæ dimidiæ omni quadrihorio doſi, proſerpens malum figit, & excitata ſuppuratione mortuum a vivo ſeparat; hic etiam fomenta ex cortice utilia. Notari tamen meretur in angina gangrænoſa incaſſum datum. *Medical obſervations and inquiries by a Society of phyſicians in London.* Vol. I. Tum corticem in ſubſtantia non tantum profuiſſe, ac in tinctura parva doſi datum, HUXHAM. *Recueil periodique d'obſervations de Medecine &c.* T. VII, & in omni gangræna ſicca inutilem corticem eſſe denuo SHARP. *Recherches Critiques ſur l'Etat preſent de la Chirurgie*, & BAGIEU *Examen de pluſieurs parties de la Chirurgie.* 1757. Alias tamen etiam cancrum lenit, & dexterrima operatione ſeparat. *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN, ſed vulnus non conſolidat. IDEM. Cancer mammæ exulceratus, cortice peruviano ſanatus, Clariſſimo RITTER recenſetur *Nov. Act. Acad.* N. C. Vol. X. rarum exemplum! hodie cicuta id fit certius. Dedit etiam de uſu corticis in cancro mammæ exulcerato obſervationes *Cl.* DIETERICHS Ratisbonæ 1746.

Iterum periodicas convulſiones a vomitione compeſcit, BORNAINVILLE, dolores periodicos hemicraniarum *Vol.* I. *Act.* N. C. artuum mitigat, febres topicas tollit, ſpasmos, motus uteri, ventriculi, inteſtinorum compeſcit: in podagra etiam SYDENHAMO auxilio fuit, & ſpecificum in podagra laudat HELDIUS *Ephem.* N. C. cent. IV, nuper etiam in Anglia probatum, & multiplici experientia compertum, dum cum vino rubro aliquot diebus ſumeretur, prodeſſe. *Gentleman's Magazine for Septembre.* 1762. & ataxiæ ſpirituum cum aquis Pyrmontanis feliciter ſubvenit; & in phthiſi pulmonali iam dudum lau-

davit MORTONUS & probavit TORTI. Hæmorrhagiis nimiis etiam medetur. An vi narcotica? ita plures. Corticem coctum filtratum in pilulas coactum, opii vires in ſedando quovis immodico fluxu, impetu cordis, & febre ſuſpendenda, ſtrenue æmulari, LINDER *de Venenis.*

Adhæc in caſibus ſcrophuloſis, ad reſolvendos, ex laxitate colli, parotidis, aliarumque glandularum tumores, multum recentiſſimis obſervatis laudant FORDYCE, FOTHERGILL: tum inveteratis ophthalmiis, ulceribus cutis ab exanthematibus relictis, decoctum mederi, poſterior multis obſervationibus evincit; ſed ſufficienti doſi continuato uſu exhibendum, *Medical obſervations.* Ignorari ultimo non debet, quod ETTMULLERUS habet, cortice curatas febres, ſpiritu ſalis ammoniaci brevi renovari; & epilepticum puerum quatuordecim annorum, cortice ſanatum, vidiſſe RITTER *Acad.* N. C. Vol. X. etiam iſchuriam ex laxitate ortam curaſſe, MACKENZIE, *Medical obſervations and inquiries by a ſociety of phyſicians in London* Vol. I. utique roborat!

PRÆPARATA. *Extractum* chinæ chinæ validum; pulvere debilior tamen *eſſentia* corticis peruviani.

SIMARUBA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis deſideratur.

Arboris nondum notæ, ſatis affinis inglandi, vel piſtachiæ, cortex, odore nullo præditus, ſaporis ſubamari eſt, decoctus in aqua lacteſcens, ſpumeſcens. Ad nos primo 1713. ex Guiana, ubi in dyſenteriis famoſus, translatus, 1718. in dyſenteriis epidemicis probatus IUSSIÆO,

ea,

ea, qua in Guiana dosi, non adeo feliciter cessit; movit enim vomitus, sudores incommodos, etiam sanguinis profluvia; correctis vero dosibus, & experientia rerum magistra, salubritatis punctum attigit; adstringens cortex non est, GRASHUIS *Acad.* N. C. & in fluxibus alvi sanguinolentis tantum convenit, DEGNER. *Acad.* N. C.

VIRES MEDICÆ in dysenteria specificæ, si drachmarum duarum pondere in libris aquæ, vel cerevisiæ duabus, ad tertiæ partis remanentiam coquatur, residuum in doses quatuor, una tertia quaque hora propinandum, dividatur: vel drachmæ semis pondere in pulvere detur. In colica habituali, & dysenterica, drachmam unam, in sex doses dividendam, quarum omni bihorio una daretur, præscripsit feliciter GRASHUIS *Act. phys. Med.* N. C. Vol. VIII, & BONEKEN *eorundem Actorum* Vol. II. hoc remedio dysenterias sex & fluxum hepaticum chronicum & lienteriam sustulit.

TAMARISCI Cortex *Off. Botanicorum.* Cassis Pauci-stam. *Germ.* Tamarisken. *Gallis* Tamaris. *Anglis* Tamarisk.

TAMARISCUS *floribus decandris:* Quibusdam in officinis cortex ramorum, in aliis radicis, in usu est, non adeo periculosa, ut videtur, substitutione; fruticis enim cortex recens, grate balsamicus, adstringens, exsiccans est; præter corticem ipsa adhuc radix in usu est.

USUS MEDICUS egregium invenit remedium roborans, adstringens, etiam solvens diureticum, in decocto ab uncia dimidia, ad integram cum dimidia: in pulvere ad drachmam unam in rachitide laudatur; ligno sassafras comparandum patet ETTMULLERUS.

SUCCI.

ACACIÆ Germanicæ Succus *Off.* vide p. 13. 14.

ACACIÆ veræ ſuccus *Offic.* *Botanicorum* MIMOSÆ L. Claſſis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Ægyptiſcher Schlehen-Saft. *Gallis* Acacia. *Anglis* Acacia.

MIMOSA *aculeata, floribus ſpicatis, legumine laevi, elliptico, compreſſo:* In maſſulas coactus, veſicis incluſus ſuccus, non ipſe fructus, ex Ægypto ad nos adfertur. Extus fuſcus, aut nigricans, intus ſubfulvus, conſiſtentiæ firmioris, fortem acerbum ſaporem, ſaliva quaſi coagulata, ore ſicco, arido, exerit. Eiusdem arboris productum eſt gummi arabicum emolliențiſſimum.

USUS MEDICUS in illis caſibus, ubi adſtringenda vaſa, figenda fluida, ut diarrhœis, dyſenteriis, ſanguinis profluviis, hæmoptyſi, anginis aquoſis, utilis; forma, & doſis diverſæ ſunt: pilularis omni trihorio quatuor quinque granorum: poteſt etiam pro electuario ſolvi, mixturis dilui, ad drachmam ſemis, unam. Externe ad loca laxa firmanda multus chirurgis uſus.

CATECHU. TERRA IAPONICA *Offic.* Caunga RHEED MALAB. Claſſis Naturalis Palmarum. *Germ.* Catechu. *Gallis* Cachou. *Anglis* Catechu.

CATECHU gummoſo-reſinoſus, & inſpiſſatus ſuccus eſt, ex fructu arboris *Caungæ,* non terra ut in

Acad.

Acad. Reg. 1709. demonſtravit BOULDUC; an purus, an mixtus, & quibus conflatus? adhuc multi diſputant; purum eſſe *Cl.* IUSSIEU *Acad. des Sciences* 1720. contendit. Foris e rufo nigricans, intus e rubro fuſcus, inodorus, ſaporis primo eſt adſtringentis, tum ſubamari, ultimo dulcis. Probatur ponderoſus, ruber, ſplendens, non combuſtus.

USUS MEDICUS in gingivarum laxitate, catarrhalibus defluxionibus inhibendis, compeſcendis alvi profluviis, utilis. In ſubſtantia in ore volvitur, ſolutus deglutitur in gratiam halitus, & beneficium digeſtionis, atque id hodie Pariſiis familiare. In tabellas, ut gratior ſit, cogitur, linctibus admiſcetur, additur & electuariis: In nulla forma ſcrupuloſa doſis; in ſubſtantia a ſcrupulo ſemis, ad drachmam ſemis, unam, ſucceſſive datur. Extemporaneus habetur potus, viſui & guſtui gratus, proficuus diarrhœa, etiam febre bilioſa laborantibus, maxime ſi alias ægri ptiſanas reſpuunt, ſi drachmæ duæ catechu in unciis quindecim aquæ ſolvantur.

HYPOCISTIDIS Succus *Off. Botan.* ASARUM Claſſis Naturalis Incompletarum.

ASARI foliis ſeſſilibus, imbricatis, floribus quadrifidis, ſuccus inſpiſſatus, ex Turcia, Creta, Gallia Narbonenſi, nobis advectus, ſiccus, niger, ſplendens, aliquid odorati habet, intenſe amarus, os adſtringens, exſiccans eſt.

VIRES MEDICAS adſtringentes acaciæ ſucco maiores habet; ſi partem roborare conſilium ſit, inquit GALENUS, quæ videlicet pluſculo humore exoluta fuerit, robur, & firmitatem illi non imbecilliter addit; doſis, & exhibendi modus, ut in ſucco acaciæ, eadem.

OMPHACIUM *Offic.* vide P. I. p. 60.

Eſt acerbæ uvæ expreſſus ſuccus, in rubro ære, donec cogeretur, inſolatus olim DIOSCORIDI, hodie liquidior, colatus tantum, & in doliolis aſſervatus, menſis magis in Galliis, quam officinis notus.

VIRES MEDICÆ ad ulcera oris humida, ſcorbutica, partes relaxatas firmandas, egregiæ: In navibus contra ſcorbutum maximus uſus eſt.

SANGUIS DRACONIS *Offic.* DRACO arbor indica, COMMEL. Claſſis ignota. *Germ.* Drachen-Blut. *Gallis* Sang-dragon. *Anglis* the Dragon's-Blood.

SANGUINIS *draconis* duplex ſpecies habetur; una profundiſſime rubeſcens, dura, plurimis non reſeranda menſtruis, in ſpiritu vini rectificato pro maxima parte ſolubilis, profundo colore & durabili ſpiritum vini imbuens; hæc vilior pigmentis inſervit. Alia in arundinibus allata, ſaporis eſt exſiccantis, adſtringentis, ſalivam rubro colore inficiens, & hæc medica eſt.

VIRES MEDICAS conſtanti traditione adſtringentes, ad ſanguinis profluvia, lochia nimia, hæmoptoen, dyſenteriam, utiles laudavere. Specifice adſtringere adhuc hodie LINNÆUS affirmat, alii innocuum corpus habent; reiteranda igitur experimenta. Dari in pulvere a ſcrupulo ad drachmam dimidiam, in mixturis ad integram, duas, dilui poteſt. Multus eſt ad vulnera externus chirurgis uſus. Recentiſſime aliud gummi adſtringens, multum mucilaginoſum tamen, & gratum, ex Gambia allatum, externa facie ſanguini draconis ſimile, deſcribit FOTHERGILL *Medical obſervations and inquiries by a Society of phyſicians in London.* T. I.

FUN-

FUNGI MUSCI.

AURICULA IUDÆ *Offic. Botanicor.* TREMELLA Claſſis Naturalis Fungorum. *Germ.* Holderſchwamm. *Gallis* Oreille de Iudas. *Anglis* Iews-ear.

TREMELLA *cyathiformis labio altero inflexo, repando:* ex lignis antiquis, præſertim vero ſambucinis, hic excreſcit fungus, officinis ſervatus, licet non multum adhibitus.

VIRES MEDICAS exſiccantes, adſtringentes, in ophthalmia, incipiente inflammatione, angina, eximias de eo prædicat hodiedum LINNÆUS. Præſcribitur in decocto unciæ dimidiæ pondere.

CREPITUS LUPI *Offic.* LYCOPERDON *Botanicorum.* Claſſis Natur. Fungorum. *Gallis* veſſe de Loup. *Germ.* Foſiſt. *Anglis* Bullfiſt.

LYCOPERDON *ſubrotundum, laceratum, dehiſcens,* iam antiqui in Germania ad ſanguinis eruptiones uſus, externe diſſectis arteriis, ruptis vaſis, felici cum ſucceſſu applicatur, experimentis de novo in *Tranſ. Philoſoph.* T. XLIX. tentatis.

FUNGUS IGNIARIUS *Offic.* BOLETUS *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Fungorum. *Germ.* Zunderſchwamm. *Gallis* Agaric. *Anglis* Agaric.

BOLETUS *acaulis, pulvinatus, laevis, poris tenuiſſimis:* BROSSARDI Chirurgi Galli, ad compoſcendas in anevriſmatibus, & amputationibus hæmorrhagias,

gias, arcanum, LUDOVICO XV. emptum. Colligendus hic Boletus mensibus augusto & septembri, siccandus: caro dura filamentosa a cortice villoso separanda, mallei ictibus mollissima reddenda, sic demum vulneri superponenda; huius remedii laudem vide *in Acad. de Chirurgie* T. II. III. *Transf. Philosoph.* Tom. XLIX. p. 28. Vituperium apud *Cl.* NEALE, Nosocomii Londinensis Chirurgum, in opere *Some observations on the use of the Agarici and its insufficiency in stopping hemorrhages after capital operations. London.* 1757. Tamen etiam scire iuvat, curiosius in vase vitreo clauso asservandum fungum esse, MORAND. *Acad. de Chirurgie* T. III. & fungum vinosum eiusdem virtutis esse *Transf. Philosoph.* T. XLIX. experiente chirurgo FORD.

FUNGUS MELITENSIS *Offic. Botanicorum* CYNOMORIUM Classis Naturalis Fungorum.

CYNOMORIUM. Non omnibus adhuc receptus officinis hic fungus, est parasiticus, lentisci, myrti, halimi, radicibus enascitur, in illis maxime regionibus, ubi hæ arbores felicissime vigent, ut in Melita, Sicilia. Planta siccata rubra est, ut etiam ex recenti expressus succus. Sapor amaricans, stypticus, linguam adstringens, cum austeritate mucilaginosa. BOCCONE *Mus. di Pianti.*

VIRES MEDICÆ adstringentes roborantes eximiæ, in pulvere scrupuli unius, ad drachmam, pondere exhibitæ laudantur: in hæmorrhagiis, & aliis omnibus profluviis sanguineis sistendis, specificæ L. sunt, *Institut. Bononiens.* etiam confirmatæ; in venereis urethræ ulceribus decocto usus DEIDIER, in dysenteria syrupo vel pulvere, vix unquam fallente successu alii,

LIN-

LINNÆUS *de fungo Melitensi. Amoenitatum Acad.* Vol. IV.

LYCOPODII ſemen *Offic. Botanicorum* LYCOPODIUM Claſſis Naturalis Cryptantherarum, Ordo Muſcorum. *Germ.* Löwenfus-Saamen. *Gallis* Pied de Loup.

LYCOPODIUM *caule repente, foliis patulis, pedunculis ſpina gemina terminatis.* Ipſum leniter roborat, & adſtringit, pectoris morbis utile, etiam calculoſis, plica polonica laborantibus.

Pulvis tenuiſſimus, æquabilis, ad involvendas pilulas commodus, etiam aliquibus antihecticus habetur, ETTMUL. tum diureticus, antiepilepticus, *Ephem.* N. C. Anno III. Intertrigini, ulceribus madidis, etiam medetur inſperſus, valet etiam ad eryſipelas.

MUSCUS CANINUS *Offic. Botanicorum* LICHEN Claſſis Naturalis Cryptantherarum. Ordo Algarum. *Anglis* Ashcoloured ground liverwort.

LICHEN *foliaceus, repens, lobatus, obtuſus, planus, ſubtus venoſus, pelta marginali aſcendente:* in hydrophobia, & rabie ſpecificus, divulgante HANS-SLOAN. Anglis inde multum in uſu in pulvere antilyſſo MEAD, qui DAPIERI præſcriptionem vitiavit *Transact. Philoſoph.* Nro. 443. dum partes inæquales ſumeret, ſcilicet huius lichenis partes duas, piperis unam: doſim MEAD facit drachmam, unciam ſemis HARTLEY, ſolius lichenis pulverati doſim ſcrupulos quatuor HANS-SFOANE. *Phil. Tranſ.* Nro. 237. ſed ſæpe fefellit.

MUSCUS

MUSCUS CUMATILIS *Offic. Botanicorum.* LICHEN Claſſis Naturalis Cryptantherarum. Ordo Algarum.

LICHEN *foliaceus, repens, lobatus, obtuſus, planus, verrucis ſparſis, pelta marginali aſcendente;* draſticam vim habere, & aphthis, & vermibus mederi, plurimis locis LINNÆUS, doſim non addens.

PULMONARIA ARBOREA *Offic. Botanicorum.* LICHEN. Claſſis Naturalis Cryptantherarum. Ordo Algarum. *Germ.* Lungen-Kraut. *Anglis* ſpotted Lungwort.

LICHEN *foliis oblongis, diviſis, ſuperficie reticulato-punctata,* in fagis, & quercu habitans, thoracicus eſt; in phthiſi curanda uſum præſtaſſe LINNÆUS, dui & in ictero, & tuſſi laudat.



EX


EX MINERALIBUS.

PETRIFICATA.

OSTEOCOLLA *Offic. Mineral.* RHIZOLITHUS Classis Petrificatorum. Ordo Vegetabilium. *Germ.* Beinbruchstein. *Gallis* Osteocolle. *Anglis* Bone-Binder.

OSTEOCOLLAM esse radices arborum putrefactas, terra calcarea, sabulo, mediante aqua impraegnatas, GLEDITSCH: caules, scapos plantarum, marga & arena incrustatos, GUETTARE. *Acad. des Sciences* 1754. contendunt. Terra ipsa calcarea alba cum acidis effervescit MARGGRAF *Acad. de Berlin*, dat cum acido nitri phosphorum Balduini, IDEM, tum destillata, liquorem omnes proprietates liquoris urinosi habentem, IDEM, nec inventa sunt in osteocolla ea, quae NEUMANNUS prodidit principia, nec osteocollae oleum petroleo simile inesse deprehensum. Est verus stalactites margaceus, GUETTARD. l. c.

VIS MEDICA adstringens LINNÆO; alia aliis haud repetitis experimentis, adscripta, tamen specifica dicitur ad fluorem album.



TER-

TERRÆ.

BOLUS *Offic. Mineralogiae.* Classis Naturalis Terrarum. Ordo terrarum pinguium. *Germ.* Fett-thon. *Gallis* Bolus. *Anglis* Bole.

BOLUS, Terra sigillata, eadem historiæ naturalis scriptoribus significant, & est argilla pinguis, ore liquescens.

PROPRIETATES quod spectat, est ad attactum mollis, attenuata, pinguis, igne lapidescens, in vitrum redigenda, acido vitriolico, & substantia pingui minerali constans, terra martialis: Ita fere omnes dixere: nuper vero, quod hæ terræ nec distillatione, nec decoctione cum aqua, acidi vestigium præberent, neque cum lixivio alcalino coctæ, aut cum siccis salibus alcalinis mixtæ, & per aliquod tempus in crucibulo ignitæ, elixiviatæ, tartarum vitriolatum exhiberent, an coloratæ terræ bolares acidum vitriolicum continerent, dubitatum fuit, *Comment. varii Argumenti germ.* 1759. Addi adhuc posset, adstrictionis sensum, quem in os assumtæ facere solent, vi absorbenti potius terræ, quam adstringenti alteri acido principio deberi.

Cæterum huius multæ species sunt, ut bolus *alba*, qualis moravica, *rubra*, qualis armena, bohemica, *carnea*, ut terra lemnia &c. *cinerea*, *flava*, quæ & axungiæ lunæ, & solis dicuntur.

Vetribus æstimatissima fuit terra lemnia; hodie dubitari merito potest, an nostra terra lemnia sit terra lemnia veterum, cum lemnia sphragis impense rufescere debeat GALENI testimonio, nostra tantum carnea sit. Estne bolus

bolus armena, quæ nobis hodie maxime laudatur, terra lemnia veterum?

VIRES MEDICÆ boli armenæ vel terræ ſigillatæ rubræ, exſiccantes ſunt, plaſticæ, in diarrhœis, dyſenteriis putridis, phthiſi pulmonali, humorum diſſolutionibus, catarrhoſis defluxionibus, admodum utiles. Corpus, medicamentum hoc, non turbat, unde ſcrupuloſe doſis definiri non debet, in pulvere drachmæ ſemis, unius, pondere, unius, vel duarum in mixtura, unciæ etiam unius aquæ libra una emulſæ, addito ſyrupo cochleatim exhiberi poteſt. Non minor externus eius uſus eſt: locis excoriatis, ulceribus humidis manantibus aſpergitur, adhæc additur unguentis, emplaſtris &c.

CRETA *Off. Mineralogorum.* Claſſis Naturalit Terrarum. Ordo Terrarum Macrarum. *Germ.* Kreiden. *Gallis* Craye. *Anglis* Chalk.

CRETA cohærens ſolida W. Farinoſa, & ſicca ſubſtantia, calx foſſilis & nativa fere, cum ſale ammoniaco trita, & deſtillata, calcis vivæ proprietates habet; cum tartaro, qui vix, & in aqua ebulliente tantum ſolubilis, cocta, illi ſalium alcalinorum ſolubilitatem conciliat. Adhæc inflammabile quoddam in ſe principium habet, quod etiam boracem colore flavo tingat, & ex vitro Antimonii & Plumbi, Antimonium, & Plumbum reducat, POTT. *Lithog.* ſed & urinoſi non parum continet HIERNE *Tent.* IV.

Cæterum Creta acido vitriolico non ſolvitur, ſed ab hoc in aliis acidis ſoluta præcipitatur, valida igne calcinata in calcem redigitur, cum vitreſcibili fluxu fuſa in vitrum cogitur. Ope cretæ aquam marinam potabilem

reddere, docuit in *Comment. Societ. ſcient. Harlemens.* P. II. *Cl.* ALLEMAND, quatuor pintis aquæ marinæ, cretæ unciam unam addendo, obtinuit quatuor quintas aquæ potabilis, melioris ea, quæ calce pararetur.

USUS MEDICUS cretæ internus, quod in paſtam irreſolubilem cum tenaci ventriculi muco concreſcat, vix multus, tamen ubi acidum peccat certus, maxime vero in Dyſenteria acida, quam domat, dum alvum ſimul adſtringit, utilis vel forma pulveris vel mixturæ, vel demum decocti.

Externus vero maior eſt, in ulceribus laxis, humidis, quæ ſiccat, ſtringit abſumpto humido, puncta contactuum fibrarum ſolidarum augendo.

RUBRICA FABRILIS. vide *Venena.*

TERRA SIGILLATA alba *Off.* quæ plerumque melitenſis, turcica, licet forte moravica noſtra huic haud inferior ſit, etiam bolus alba vocatur.

USUS MEDICUS boli idem.

MINERÆ.

Subſtantiæ terreæ, lapideæ, ſale, ſulphure, ſemimetallo, vel metallo impregnatæ, MINERÆ dicuntur: unde etiam in quatuor has claſſes: primo Salia, ſecundo Sulphura, tertio Semimetalla, quarto Metalla, vere diſtribuuntur. Quibus unius quam alterius principii plus ineſt, ea ad claſſem potioris relegantur.

ALU-

ALUMEN CRUDUM *Off. Mineralogorum.* Claſſis Minerarum. Ordo Salinarum. *Germ.* Alaun-Schiefer. *Gallis* Alun. *Anglis* Alun.

ALUMEN lapide fiſſili mineraliſatum W. Confuſa admodum apud veteres aluminum hiſtoria noſtro ſatis evidens ævo eſt, quod a vitriolis repurgata. Alumen, quo utimur in communi uſu, duplex eſt, idque, vel album penitus, vel colore roſaceo conſpicuum, utrumque factitium, artificiis Actis Gallicis, & Anglicis rite deſcriptis; hoc alumen crudum, illud alumen Romanum, rochæ, rupeum, quod ex marmore rubicundo factum, vocatur.

Primum aluminis principium manifeſtum, vitriolo, ſulphuri, idem acidum vagum eſſe, quotidiana in Anglia experimenta docent, chemica confirmant, & Suecicæ mineræ demonſtrant: Ita ex uno & eodem lapide Sueciæ, alumen, vitriolum, ſulphur, minium, ex alio Angliæ, alumen, vitriolum, ſulphur, *Philoſoph. Tranſ.* Nro. 21. Quomodo vero facili experimento terra aluminis in vitriolum converti poſſit, docet *Mem. de l' Acad. des Sciences* 1744. GEOFFROY. Alterum obſcurum magis, adhuc hodie diſceptatum, cur? quod ſimplex, & unicum velint; quo fundamento? ipſi ignorant. Non eſſe pure calcareum, nec creataceum NEUMANNUS, bolo ſimile BOERHAAVE, ex fiſtulis tabacariis, ut & lapide calaminari BERRI alumen fieri GEOFFROY Iunior, ex ſchiſto marmore rubicundo L. Terram hanc nec cretaceam, nec calcaream, poſt longos labores MARGGRAF *Acad. de Berlin* 1754. pronunciavit. Sed ſpecificam alcalinam argillaceam. *Script. Chem. Germ. edita Berolini* 1761.

Ut in officinis eſt alumen informis maſſæ, cryſtallos, ſuas non exhibet, quas octoedras nonnulli dicunt, dum alii aliter inveniunt: alumen cryſtallos albas ad hunc modum figuratas LISTERO & aliis dedit; nimirum bis figura paululum compreſſa eſt, ex altera parte, quaſi vertice dicas, planum ſexangulum habet, ex altera & oppoſita parte, ſive baſi, plano ſimiliter ſexangulo inſidet; cuius autem latera claudunt tria ſexangula plana; quibus alternatim bina plana quandrangula interponuntur; ita quælibet integra aluminis cryſtallus, ex undecim planis conficitur, quinque ſexangulis, & ſenis quadrangulis.

Alias aluminis proprietates quod ſpectat, ſi peculiares quorundam locorum excipias, Romanum enim plus de ſale marino, Suecicum, Anglicum plus de vitriolo participant, *Acad. des Scienc.* adſtringentiſſimum alumen, guſtu glaciale, in aere aperto ſiccum manet, decies quater aquæ pondus, ut ſolvatur, requirit, ſolutum terram indiſſolubilem relinquit, igne liqueſcit, ſpumat ut nitrum, lac, ſanguinem, coagulat, ſed ſyrupum violarum non mutat.

USUS in vita humana multifarius: marmor, fimbrias aureas, argenteas, dealbat, colores lanarum, ſericorum firmat, Morvas piſces durat, Chartariis, ſcriniariis, anatomicis, hiſtoriæ naturalis ſtudioſis, multum in uſu, adhibetur etiam pigmentis, magiſteriis, clarificandi ſcopo in officinis; eſt etiam ex alumine pyrophorus pulvis.

USUS MEDICUS non ſpernendus, ubi a maiori humorum affluxu debilitatæ partes contrahendæ; ita in initio inflammationis oculorum, cum albumine ovi probe agitatum, addito aquæ roſarum momento laudatur,

datur, confirmato malo profcribendum: tum & ad putrefcentia ulcera, tenui ichore madida, ulcera alia mala carne luxuriantia, vi ftypteria prodeft. Sic & medetur vulneribus fanguinem fundentibus copiofius. Maximus externus ufus eft, isque in dentifriciis adhuc malus. Interne alumen draconifatum, aluminis unciis duabus, fanguinis draconis fubtiliffime pulverifati uncia una, aqua cardui benedicti folutis, cryftallifatum, fcrupuli unius pondere ad omnia fanguinis profluvia, maxime muliebria, exhibuit feliciter MYNSICHTUS.

Alumen cum fanguine draconis in cochleari ferreo fufum, in pilulas redactum, in iisdem cafibus HELVETIUM non fefellit: in pulverem redegit ultimo THOMSON, & in maximis hæmorrhagiis omni hora drachmam femis exhibuit, quin etiam in fluore albo enixe laudat. *Society of Edimburgh* T. IV. Cur hodie abftinetur? naufeas moleftas fecit, quas exigua cinnabaris portio medicamento addita compefcit, MALOUIN, anodyna ipfe HELVETIUS mifcuit. In colica pictonum, ubi motus inteftinorum periftalticus admodum debilis eft, vel etiam deficit, expertus laudat *Cl.* GRASHUIS. Serum lactis aluminofum in hæmorrhagia uteri & in diabete valet.

Alumen *uftum* difflata per ignem parte aquea acrius, ad erodendam luxuriantem carnem chirurgis utile.

VITRIOLUM *Off. Mineralogorum.* Claffis Minerarum. Ordo Salinarum. *Germ.* Vitriol. *Gallis* Vitriol. *Anglis* Vitriol.

VITRIOLUM, feu CHALCANTHUM, quafi æris efflorefcentia, atramentum futorium, quod eo

 nigro

nigro colore coria inficerentur, latinis dictum, duum præcipue generum eſt, *Ferri*, & id viride, *Cupri*, & id cæruleum, licet etiam a Cupro vitrioli ferri color ſit KUNCHEL: datur tamen & album, & id utrumque metallum, ſæpe & plumbum, zincum, & terram calcariam continet. Quod ex minera plumbi montis Rammelii habetur album, utrumque metallum, copioſam terram zinci, plumbi nihil, habet *Cl.* POTT. *Miſcell. Berolin.* T. VII. Sunt adhuc aliæ ratione colorum, huius differentiæ: Ferri *viride*, *cubicum*, Cupri *caeruleum*, *dodecaedrum* LINNÆO, album *oblongum* definitur. De alumine, vitriolo, ſulphure, vide experimentum *Transact. Philoſoph.* Nro. 103.

Primum Vitriolorum principium *acidum vagum*, ſecundum *glebam metallicam*, tertium *aquam*, omnia experimenta, ut ſint notiſſima, evincunt; diverſa tamen horum in diverſis proportio deprehenditur, maxima ſemper aquæ, & quæ ut videtur absque deſtructione ipſius vitrioli minui non poſſit; vitriolum ferri, hypocauſto calido expoſitum, calcinatur, ſuamque deſtructionem, ſubtiliſſimo acido totum replente locum, etiam experimenti ignaro, indicat. Quin quaſi ſitiens aquam, hac orbatum corpus, ſalium alcalinorum in morem attrahit, & bibit. Caput mortuum, deſtillatum oleum vitrioli, aquæ vel maxime bibula ſunt. Ex colcothare ſicciſſimo, acri expoſito, rurſus phlegma, ſpiritus obtinentur: iterum oleum vitrioli concentratiſſimum, ut in cryſtallos concreſcat priori ſali ſimiles, in aere brevi liqueſcit, LEMERY, vulgare aeri expoſitum libero, triplo plus quam ante ponderat, HOFFMANNUS. Sed & id acidum omnium cognitorum ponderoſiſſimum, licet etiam in ſinu terræ, & in aere iam fluidum reperiatur, tum omnium efficaciſſimum, licet

licet aqua non dilutum non agat: oleum glaciale vitrioli, ferrum non ſolvit. Sed cur ex calcinato, calore ſolis, vel cubiculi, vitriolo, ſpiritus longe ſubtilior? GELLERT: cur aqua in colcothar ex aere rapitur? cur hac oleum per furtum impraegnatur? Hodie ratio inventa eſt, & cauſtico debetur.

Et nunc quidem, hoc invento, merito quaeritur, an vitrioli acidum, quod & acidum *vagum*, *univerſale*, *catholicum*, *primigenium* ſit, de quo recentiorum nemo dubium iniecit, donec ad arcana naturae natus egregius Vir MEYERS quaeſtionem detecta acidi pinguis, ſeu cauſtici natura proponeret, inque contrariam ſententiam, argumentis non paucis, nec debilibus impulſus inclinaret.

I quidem copiam acidi vitriolici, aut ſulphurei non ſufficere.

II oleum tartari aeri expoſitum etiam cauſticum ex aere attrahere.

III acidum pingue de omnibus proprietatibus trium acidorum mineralium participare, aut potius ipſam acidi pinguis naturam tribus mineralibus acidis impreſſum eſſe;

Quae quidem omnia in ipſo Auctore latius deducta, legi merentur, dum ad demonſtrationem ſecundi in vitriolo principii tranſeo.

De exiſtentia vero glebae metallicae in vitriolo, res adeo plana eſt, ut experimentum dici non debeat, quin in ipſo vitrioli oleo claro tentamine HIERNE evicta ſit; dum enim ſumpſiſſet vitrioli venerei ſpiritum, huncque minio ſuperfudiſſet, addidiſſetque ultimo ſpiritum urinae, vidit vitrioli ſpiritum, caeruleum illico induere

colorem, & similis coloris sedimentnm supra minium deponi; in alio experimento ferrum supra minii superficiem nigro colore præcipitatum, dum spiritum vitrioli martis adhibuisset. Testis quoque est *Cl.* HELLOT *Acad. des Sciences 1738*, vitrioli glaciale oleum in aqua destillata solutum, septem, octove dierum spatio digestum, sedimentum floccosum dimittere, quod magno calcinatum igne a magnete demum traheretur, & quod cum cera vel inflammabili alia substantia recalcinatum, purum exhiberet ferrum MACQUER *Chymie.* An inde datur ratio, cur longe fortiori igne vitrioli oleum solum obtineatur? cur id ponderosissimum sit? cur spiritui vitrioli nunquam substitui debeat etiam aqua dilutum? hic enim, ut volatilior, sic purius continet acidum leviori vi expulsum: an inde quoque ratio patet, cur spiritui potius substituendum sit vitrioli phlegma? quod & volatile sit, & fugacissimam acidi portionem, minime metallica vitiatam habeat: an inde adeo celebratus recentis vitrioli phlegmatis in mania, Epilepsia usus CNOEFFELIO? spiritus vitrioli volatilis in morbo herculeo, PARACELSO? debet vero odore esse volatili, nares instar spiritus salis ammoniaci ferire, non fixatus esse, qualis in officinis invenitur.

PROPRIETATES quod spectat, vitriola crystallos habent siccas, polyedras, & quidem vitriolum ferri cubicam, stypticam, cupri dodecaedram, rhomboidalem depressam, saporis horrendi: igne instar aquæ funditur, calcinatur demum vitriolum. Solutio syrupum violarum subviridi colore inficit, sublimati corrosivi solutionem non turbat, gallarum infusionem in atramentum commutat. Acidi eius etiam singulares dotes sunt; fluidorum ponderosissimum, aquæ vel maxime bibulum, vicissitudi-

nibus

nibus aeris mobile ut ſpiritus vini, frigore condenſatur, calore liqueſcit, omnia alia acida ex aliis corporibus expellit, &c.

USUS MEDICUS, vitrioli *matris* artificialis, non naturalis, ne illi cuprum commixtum ſit, interne rarus, ad vermes, tum ubi auſtera roborans vis ferri requiritur, laudatus, drachmam dimidiam, unam, in libra aquæ dilutam, cavendo omnem acrimoniam alcalinam, aut alcalium, & adſtringentium aſſumptionem, imperat. Externus, ubi adſtringendum, cohibendus pruritus, in pulvere, fomentis, linimentis, frequentior.

Album ad compeſcendas vulnerum hæmorrhagias utile, vel in globulos, qui vulneri intrudantur, fingitur, vel meraca ſolutione applicatur, repellentis ſcopo etiam collyriis praca doſi iungitur; interne drachmæ ſemis pondere vomitorium eſt certum, in caſu aſſumpti veneni ſolum adminiſtrandum.

Caeruleum etiam minima doſi efficax; & ſi non ita contemperatum, ut nocere non poſſit, ventriculum rodit, eſt enim verus lapis infernalis, quo cancros venereos chirurgi etiam exurunt; ubi vero ita dilutum eſt, ut ſtimulo ſuo nocere non poſſit, in manu periti, heroicum contra epilepſias, manias &c. remedium *Illuſtr.* I. B. van SWIETEN habetur, & ſpecificum tale antiepilepticum hac præſcriptione conficitur, *in novis Actis* Acad. N. C. T. I. vitriolum cupri aqua pluvia ſolvatur, filtrato adde ſpiritum ſalis ammoniaci aquoſum, concentratum, cum ſale tartari factum, ad punctum ſaturationis: poſt tempus adde ſpiritum vini rectificatiſs. cryſtalli ſaphirinæ, mediante

charta bibula separandæ, serventur ab aere, in vitro bene clauso: dosis granorum duorum, trium, infantibus; quatuor, quinque, adultis; quandoque vomitus, quandoque sequitur secessus. Spiritus vitrioli veneris, inunctus clavis pedum, bis ter de die, superposito post duodecim horas emplastro de gummi ammoniaco cum euphorbio, eos tollit, *Ephem. Decad.* 3. anno 7. 8.

PRÆPARATA varia sunt, ex vitriolo martis omnia. Destillationis beneficio, primo, quod facile dimittitur, *Phlegma* vitrioli obtinetur, in morbis putridis, biliosis, ad gratam aciditatem, potulentis, mixturis additum. Tum *Spiritus*, in eandem indicationem laudatus, in dissolutione humorum, variolis confluentibus, dilutus utiliter datur, non solum usque ad plenam pustularum eruptionem, sed & in febre secundaria, *Cl.* TYSSOT *de variolis*, nec exigua dosi, siquidem drachmas duas larga aquæ quantitate dilutas, & syrupo edulcoratas intra trihorium, etiam uncias duas intra quadraginta horas exhiberet. Oleum vitrioli seu dephlegmatus vitrioli spiritus, causticum externum, minori dosi interne dandum, atque tum adhuc in aquosis suspectum CARTHEUSER. *Comment. varii Argumenti germ.* quod iam dudum HIERNE contra KUNCHELIUM monuerat. Post destillationem relictum caput mortuum, *Colcothar* vocant, chirurgis multum in usu, adstringens est, sunt qui etiam antisepticum habent. Ex colcothare sal elicitur subviridis, emeticus, *Gilla* THEOPHRASTI, hodie non amplius adhibita, residuum *terra* vitrioli dulcis est. Vitriolum Romanum sub cane radiis solaribus calcinatum, pulvis sympatheticus DYGBAEI habetur? Item ex terra aluminis & particulis metallicis vitrioli viridis, per sal alcali,

cui

cui principium inflammabile ope ignis iunctum fuit, præcipitatis, fit *Caeruleum Prussicum* MENON, *Memoires de Mathematique, & de Physique par divers sçavans 1750. Paris.*

COMPOSITA. Calcanthi acidum diversa alcoholi proportione, iunctum, diversisque encheiresibus dulcificatum, nomina omnino diversa habuit, & quidem

I. AQUA RABELLII, quam & alii sub nomine liquoris DEMOCHITI cognoscunt, nonnulli etiam acidum DIPPELLII vocant; nihil aliud est quam simplex partis unius olei vitrioli purissimi, & Partium trium alcoholis optimi, digestionis & circulationis interveniente beneficio, mixtura, ita LEMERY *Chymie*, MAQUER *Chymie;* licet non consentiant TOURNEFOR *in Laborat.* SNAT *Cour de Chymie*, ASTRUC *de morbis venereis:* & hi quidem duo posteriores RABELLII aquam elicitum destillatione liquorem esse volunt, hinc spiritum vitrioli dulcem, qualis est nostris in officinis prostans liquor anodynus mineralis.

Nunc vero clarum est, discriminandas virtutes medicatas esse, quas diversis his liquoribus *Cl.* viri adscripsere, nec eas uni convenire aquæ Rabellianæ posse. Mixturam simplicem non destillatam diuresim movere, vomitum & alvum sistere, etiam hæmoptoicis convenire dosi guttarum quatuor ad decem LEMERY *Chymie. Cl.* CARL in podagra, arthritide, nephritide summopere recommendat, ut & SCHULZE *in dissert.* an dentur medicamenta, quæ calculum in vesica confringant? 1734. & HUMMEL *in dissert.* de athritide

tide tam tartarea quam ſcorbutica 1734. Hi viri vero Part. IV. VI. VIII. ſpiritus vini rectificatiſſimi immiſcebant olei vitrioli Part. I. additis ſimul diverſis vegetabilibus reſolventibus, balſamicis, diureticus egregiarum virium POTT *de acido vitrioli vinoſo.*

Mixturam vero aliam ex priore ſimplice, deſtillatione obtentam, & quæ non eſt proprie aqua RABELLII priorum, ſed SNAT, ASTRUC, hic laudat ſtipticam in hæmorrhagiis, & hæmoptyſi, paregoricam, diureticam, tum in febribus ardentibus & intermittentibus egregiam; adhæc in vomitu & ructu mirabiliter operari ait, ſiſtere etiam gonorrhæas ptiſana cum ea acidulata. Eadem fere ASTRUCIUS repetiit, & laudat in hæmorrhagiis quibuscunque, febribus ardentibus, inſtillatam vehiculo ad gratam aciditatem, & ptiſanis refrigerantibus, quæ in initio gonorrhææ præſcribuntur, maxime ſi dischuria nimis diſcruciat. Sed an hæc acida eſt? an refrigerat ſpiritus vitrioli dulcis?

II. SPIRITUS VITRIOLI DULCIS, ſeu LIQUOR ANODYNUS MINERALIS multarum officinarum ex prioris mixturæ deſtillatione confectus exurgit ex duobus liquoribus prima ſeſe deſtillatione excipientibus, ſcilicet ſpiritu vini aromatico vix non puro & ſpiritu vini gratiori fragrantiori acido vitrioli iam aliquantulum alterato commixtis; ita fere omnes officinæ parant, & qui non exacte attendunt hos adhuc acida & ſulphurei odoris aqua tertio demum loco prodeunte plurimum debilitant. Inde eſt quod vitrioli dulcis ſpiritus ſeu liquor anodynus mineralis manifeſtam aciditatem aliquibus in officinis habens fragrantiam minorem, minime ſit probandus, & ſuper alcali rectificandus aut quod melius eſt poſt ali-

quot dierum cum alcali digestiones, concussiones, cohobandus: sic enim iterum purior spiritus odore eleganti aromatico & fragranti prodit POTT.

Quanquam vero prima vice summa exactitudine paratus sit, nec saporem manifeste acidum habeat, occultam tamen suam aciditatem docent, florum Cyani ab hoc rubor, Mercurii ex spiritu nitroso in flavum turpethum præcipitatio, & cum salis ammoniaci vinoso spiritu exurgens sal ammoniacum secretum, cuius tamen ne vestigium quidem obtineas cum eodem vitrioli dulci spiritu prius cum alcali digesto, abstracto cohobato POTT. Cæterum corpora resinosa & alia compactiora, quæ soli spiritui vini alias pertinacius resistunt, huic victas dare manus coguntur: & solvit Gummi Copoal, Myrrham, ambram etiam bituminosum succinum.

VIM MEDICAM si spectes, est spiritus fragrans, aromaticus, calidus, carminativus, anodynus in doloribus spasticis ventriculi intestinorum a causa frigida utilis, speciatim in nausea & vomitu: in convulsionibus, hysterica passione, epilepsia a dentitione & plurimis aliis. Infantibus ad guttas sex datur a viginti ad triginta adultis; cum Balsamo vitæ mixtus singultum momentanee aufferre solet, si inflammatio nulla subsit; sunt qui etiam cum spiritu salis ammoniaci vinosi, sunt qui cum spiritu tartari in alias indicationes miscent cum aliis medicinis. Ambra, quam probe in calida digestione solvit gravidum, in gonorrhæa habituali & contumaci dosi IV. VI. VIII. X guttarum datum prodesse ASTRUCIUS dicit, succino vero, quod etiam totum solvit divitem in fluore albo dosi guttarum viginti triginta.

III. SPI-

III. SPIRITUS NAPHTAE eſt proprie ſecundum deſtillationis productum vini nempe ſpiritus gratior fragrantiorque vitrioli acido alteratus; praecedenti quidem ſubtilior, cum aethere tamen non componendus. Spiritum acidum vitriolicum vinoſum POTTIUS vocat.

USUS prioris doſi guttarum X, XX.

IV. AETHER quem & alii Naphtam ſimpliciter vocant aut etiam Phlogiſton FROBENII, tertium eſt deſtillationis productum limpidiſſimum fragrantiſſimumque admodum inflammabile & volatile.

PROPRIETATES quod ſpectat eae omnino mirabiles ſunt; rerum omnium cognitarum leviſſimus aether ſe ad alcohol habet :: 1 : 1,002 & ad aquam :: 1 : 1, 114; fugaciſſimus manui inſtillatus frigoris ſenſum imprimit & illico in aera absque ullo humiditatis relicto veſtigio rapitur, ſpiritui vini inflammabilior electrico igne inflammatur & flammam e vicinia eripiens fere absque fuligine deflagrat; Reſinoſarum unicum & adaequatum menſtruum, verum *cos* colorem, odorem, ſaporem ex vegetabilibus extrahit, nec aquae nec ſpiritibus acidis vel foſſilibus vel vegetabilibus miſcetur, hinc etiam aquae inſtillatus & accenſus ſuper eam ardet.

USUS in morbis vaſorum minimorum ut in Epilepſia, Hyſterica paſſione, Paralyſi, Rheumatismo, Podagra, etiam hodie plurimum laudatus, doſi guttarum III ad VIII.

V. NAPHTA VITRIOLI ſeu OLEUM VITRIOLI DULCE etiam Quinta Eſſentia vegetabilis

bilis aliis dicta, Oleum æthereum eſt ex eadem mixtura deſtillatione poſt phlegma acidum ſulphureum, elicitum, quod modo aquæ ſupernatat & limpidum eſt, modo fundum petit, & diverſi coloris aut flaveſcentis, aut viridiuſculi viſitur.

PROPRIETATES. Eſt oleum hoc penetrantiſſimum, ſulphureum, fragrans, fugaciſſimum admodum inflammabile in ſpiritu vini ſolubile, aquæ non miſcibile: diutius aſſervatum diaphaneitatem amittit, rebedinem contrahit, & acidum corroſivum evadit, quod cum alcali commixtum aperte efferveſcat, ab eo vero abſtractum nec amplius rubeſcat nec acidum evadat nec mercurium, aut argentum rodat. POTT.

VIRES anodynæ ſummæ in doloribus ſpaſticis & arthriticis, eas in medendo ſibi notiſſimas fuiſſe teſtatur HOFFMANNUS, ut inde multi ſuſpicentur verum & genuinum liquorem anodynum mineralem EIUSDEM viri hoc divitem oleo fuiſſe, conſtare igitur ſpiritu vitrioli dulci, vitrioli dulci oleo liquorem anodynum mineralem. Veniunt etiam in hunc cenſum

VI. GUTTÆ Generalis de LAMOTTE antipodagricæ. Conſtituuntur ſpiritu naphtæ ſolutum tenente aurum. Doſis ſpiritus naphæ.

VII. LIQUOR MANCHINI. Sub hoc nomine habetur ſpiritus naphtæ ſolus vel ſupra remanens caput mortuum prioris deſtillationis digeſtus, abſtractus, coloratus; nonnulli etiam ſimplicem liquorem anodynum cum portione capitis mortui digerunt denuo diſtillant: alii alia addunt. Doſis ex præcedentibus facilis.

Cæterum *Cl.* BAUME qui & optimam diſſertationem de æthere conſcripſit, hoc ordine deſtillationis producta recenſet: *I.* Spiritum vini non alteratum. *II.* Spiritum vini aromaticum acido vitriolico alteratum. *III.* Ætherem. *IV.* Phlegma acidulum. *V.* Primum acidum ſulphureum volatile. *VI.* Oleum dulce Nro. IV & V ſupernatans. *VII.* Oleum citrinum ponderoſius fundum petens. *VIII.* Secundum acidum ſulphureum. *IX.* Oleum vitrioli nigrum ſpiſſum ſulphureum. *X.* Sublimatum ſulphur. *XI.* In fundo cucurbitæ bitumen.

VIII. TARTARUS VITRIOLATUS vel ex ſale alcalino, & ſpiritu vitrioli, vel ex alcali puro, & vitrioli martis paratur, ſecundus Tachenianus dicitur: Sal medius eſt, ſatis vehementer movens, incidens, a granis decem, quindecim, ad tringinta pro doſi exhibendus.

IX. ARCANUM DUPLICATUM acido vitrioli, & baſi fixa alcalina nitri, operatione non ſemper exacta conficitur. Notabile eſt diſcrimen inter arcanum duplicatum, quod ex nitri deſtillatione cum vitriolo fit & illud, quod cum oleo vitrioli conficitur; docet in cryſtallis obſervanda diverſitas. Doſis præcedentis eadem, vel paulo maior.



SEMI-

SEMIMETALLA.

FLORES ZINCI *Offic. Mineralogiae.* Classis Præparator. Ordo semimetallicorum.

ZINCUM sulphure, plumbo, ferro, mineralisatum, particulis micantibus, fuscum, arsenici vix aliquid continens. POTT contra IUSTI *in Send-Schreiben Berlin, 1760.* hos flores largitur, fixos, non volatiles amplius, SCHWEDENBORG, interne nunquam, externe sæpe præscriptos, in ulceribus, lippitudine; in posteriori casu in aqua rosarum pro collyrio adstringente dat *Illustr.* L. B. van SWIETEN, in intertrigine specificos habet LINNÆUS, in excoriationibus, fissuris papillarum, laudat BARBETTE.

METALLA.

FERRUM. CHALYBS. *Offic. Mineralogiae.* Classis Minerarum Metallicarum. Ordo ferrearum præparatarum. *Germ.* Stahl. *Gallis* Acier. *Anglis* Steel.

FERRUM *durissimum & purissimum, ad silicem scintillans*, W. acies, stomoma, chalybs. An detur naturale, malleabile, Historiæ Naturalis scriptores multum disputarunt, hodie res plana est. Tamen in usus nostros omne, præter id, quod in aquis medicatis natura exhibet, præparatum est, præparatum in aciem verti potest, omnium optime docente de REAUMUR. Cur multis plantarum succis, vegetabilium cineribus, coralliis, ipsis animalium partibus, ossibus, sanguini, castoreo, & extracto subtilissimo florum melli, inest ferrum magnete conspicuum? Experimenta adsunt, ratio deest.

Tentamina vero, quibus præſentia Ferri in corporibus latitantis expiſcatur, vel magnete inſtituuntur in ſiccis pulveratis, quæ attrahit, vel gallarum, aut alio adſtringente pulvere, aut decocto, etiam alcalina fixa animali ſolutione, in fluidis, quæ colore tentat. Eſt vero in hoc negotio id non infimæ conſiderationis, quod ferrum quocunque foſſili acido in aquis ſolutum, non perinde gallarum, aut adſtringentium vi mutetur, quam dum vitrioli interveniente acido ſuſpenſum eſt: proin gallarum, aut adſtringentium adminicula, tutiſſima in omni caſu eſſe non poſſe Ferri criteria; contra vero, cum ſolutio cærulei Boruſſici alcalino fixo lixivio, etiam volatili alcalino ſpiritu facta determinati acidi foſſilis præſentiam nec poſtulet, nec exſpectet, eam unicum verum, & certum Ferri criterium eſſe in propatulo videri.

Quanquam vero adſtringentium vis ferratis aquis atramenti nigredinem communiter conciliare ſoleat, ut illis alcalica fixa animalia cæruleum colorem inducunt, eſt tamen etiam, ubi gallarum pulvis, aut cæruleum, aut purpureum iisdem colorem in experimento inducit; atque primum fieri obſervatur, dum his vitriolum martis purum ineſt, alterum, dum hæ aquæ, aut natro, aut ſale alcalino minerali, aut alio alcalino imprægnatæ ſunt.

PRINCIPIA Ferri quod concernit, id ex principio communi inflammabili, & terra vitreſcibili metallica exurgit.

Primum quidem putridus, ſulphureus, inflammabilis, limaturæ martis, ab oleo vitrioli ſolutæ halitus, ex ſedimento nigricante in eadem operatione, eductum verum cum mercurio in cinnabarim ſublimandum ſulphur, calcinatio ferri in crocum, croci in ferrum reductio, addito omni phlogiſto, excepto ſulphure, & Arſenico, quæ metalla omnia præter Au-

rum

rum forma metallica exuunt, demonſtrant. De altero principio non dubitatur, & utrumque docet Ferri geneſis, ex abſtractione olei unguinoſi a terra vitreſcibili exſurgens, etiam magnete exploranda.

Cæterum ex parte terrea omnia Phyſices cum magnete phœnomena vix non dependent, a ſulphure illi, qui a ferro in experimentis chemicis, & in corpore humano ſequuntur effectus. HOMBERGIUS ſecretum invenit primus, quo ſulphuream a terrea ſepararet partem in *iisdem*, & e ferro cum aliis, cæruleum Berolinenſe ALII: eſt enim hoc nihil aliud, quam ferrum valde ſubtiliſatum, quod ope alcali fixi, cum phlogiſtica animalium parte coniuncti, in pulverem, plus minus cæruleum, præcipitatur, prout portio terræ aluminoſæ adhibitæ ſeſe habet.

PROPRIETATES ferri ſunt, magnete attrahi, quanquam aliorum plurimorum corporum metallicorum non exiguam in ſe contineat vim, magnetis virtute infici, & ferrum attrahere, minime inter metalla malleabile, maxime elaſticum eſſe, igne, tritu, candeſcere, difficulter fundi, ſcintillas projicere, adhæc igne conſumi, ſpeculo cauſtico ſemivitrificari, & ſubjectis carbonibus in ſcintillas totum diffundi, & evaneſcere: in aere, aqua, rodi in croeum, diſſolvi ab acidis, cum vehementi efferveſcentia in ſpiritu ſalis, & vitrioli. Solutionum colores diverſos eſſe pro diverſis menſtruis, flavam ex acido ſalis, viridem ex acido vitrioli, fuſcam ex aqua forti &c. hoc metallum bilance hydroſtatica ponderatum fere octavam ſui ponderis partem perdit.

USUS MEDICUS iam veteribus notus, & multus: vinum aut aquam, in qua candens ferrum reſtinctum ſit, potu cæliacis, dyſentericis, lienoſis, chole-

ra laborantibus, & diſſolutis ſtomacho, auxiliari, tum & reſtringere, ſiſtere fœminarum profluvia, DIOSCORIDES reliquit. IPHICLUM improlem eandem ab oraculo in remedium accepiſſe, ex hiſtoriis adhuc novimus. Recentioribus, in iisdem morbis, uſus non minor eſt, adhuc in corpore laxo pallido roborans, hæmatopœticus & emmenagogus: docent id auctus ab eius uſu cum reſpiratione pulſus, diffuſus maior per totum corpus calor, ſubſidentia laxi corporis, absque ulla prædominantis viſcoſi evacuatione, habitus, & amœnus oculis, labiis, gingivis, genis, ſubnaſcens purpureus color. An igitur, quia menſtrua nimia ſiſtit, deficientia reſtituit, reſtituta expellit, oppoſita vi adſtringendi, & aperiendi ferrum gaudet? vera phyſiologia ſemper negavit.

Eſt tamen quibus etiam obſit: non dandum phthiſicis, ſcirrho affectis, plethoricis, bilioſis, imo ipſis phlegmaticis, ni manifeſta acidi ſigna in primis viis ſint, vix in ſubſtantia, ſed in acido vegetabili ſolutum exhibendum. Sub eius uſu abſtinendum alcalinis, acidis foſſilibus: iniungendus, qui iuvat, corporis motus.

Limatura ferri ea chalybis potior omnium conſenſu, in alcohol attenuatiſſima, ſi acidum in primis viis, in ſubſtantia datur, optime in bolo, electuario, pilulis, quinque, decem, granorum doſi; ructus ſulphurei ovi quaſi putrefacti, ſoluti in acido ventriculi teſtimonium præbent; anxietas, ſpasmi obvenientes, opio ſolvuntur: fæces nigræ bonum ſignum habent. Cæterum in ſuccis vegetabilium acidulorum, fructuum horæorum, vinis acidis, acetis &c. ſolvi poteſt, unciæ dimidiæ pondere in libra una liquidi, & bis de die unciæ duæ ſumi.

Ex-

Externe adhuc magni uſus martialis in fontibus medicatis fæx, roborandi ſcopo. Neque inutile eſt nigrum ſtratorum ſabulum, ferro ditiſſimum, experimento MALAVAL *Acad. de Chirurg.* T. III.

PRÆPARATA. *Croci* martis varii: ablato ſulphure pars metallica ferri, in ſpiritibus acidis fortiſſimis non adeo diſſolubilis, ipſo ſemper deterior ferro: rejiciendi. *Tincturae* ſimplices meliores: martis cum ſucco pomorum in caſibus recenſitis laudabilis. Aliæ, ut martis *adſtringens*, *aperitiva*, *helleborata*, ſuis autoribus placent. Ultimo etiam dici debet, rubiginem ferri deſtillatam ad urinoſum ſal vergere. HIERNE, NEUMANN &c.

LAPIS HÆMATITES *Off.* Ferrum Mineraliſatum minera figurata rubra, aut tritura rubente W. Claſſis Minerarum. Ordo ferrearum. *Germ.* Blutſtein. *Gallis* Pierre hæmatide.

HÆMATITIS martialis minera eſt, coloris obſcure rubentis, etiam ferruginei, nigricantis, fibris inſtar ligni longis, tenuibus, & acuum in morem acutis conſtans, ſaporis vero terrei, adſtringentis, addito phlogiſto ferri naturam conſequens. Principia eadem ſunt, ſunt & eædem proprietates, ab acidis, ut ferrum, diſſolvitur &c.

VIRES MEDICÆ adſtringentes, ſiccantes, roborantes, ſunt in ſputo ſanguinis cruento, ulcere pulmonum, aliis hæmorrhagiis, alvi fluxibus etiam moderandis, fluore albo &c. proficuæ. Huius quam ferri maior doſis eſt, forma pulveris a ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum unum, ita proportione habita in electua-

 riis,

riis, & aliis formis datur: Externe plurima ingreditur emplastra.

PRÆPARATA. *Flores* salis ammoniaci martiales.

AQUÆ FERRATÆ.

THERMÆ MARTIALES.

SULPHUREÆ etiam in hanc classem revocandæ.

ANIMALIA.

CHERMES *Offic. Entomologorum* COCCUS Classis Naturalis Insectorum. Ordo Hemipterorum.

COCCUS quercus cocciferæ, aceto immersus, supra lintea exsiccatus, nostris divenditur officinis: Recens sanguineum colorem habet, qui expressus basis est confectionis alkermes, quæ in Gallo-provincia optime paratur, & divenditur.

VIM adstringentem docet factum cum solutione vitrioli atramentum, Comes MARSILLI, roborantem in præcavendo abortu LINNÆUS, tum præstantem in profluviis sanguinis, etiam diarrhœa, dysenteria, alii habent: in memoriæ imbecillitate, epilepsia idiopathica, aliisque convulsionibus, hæmorrhagiis, adhuc laudat CARTHEUSERUS *in Commentationibus varii argumenti Germanice scriptis 1759.* An adeo analeptica confectio, ut etiam aphrodisiaca? Sal alcali volatile examine chemico demonstravit MARSILLIUS *de Granis Kermes Act. Phys. Med. Acad.* N. C. T. III.

T. III. Sumuntur in ſubſtantia ad ſcrup. unum, duos, ſucco recenti, vel per ſe, vel cum ſyrupo cochleatim: etiam in decocto ad unciam unam, duas, datur ſuccus: tinctura ex his, mediante ſpiritu nitri dulci parata, præſtantiſſimæ virtutis eſſe dicitur, CARTHEUSER l. c.

In hanc claſſem, quæ maiorem fibris cohæſionem, & elaſticitatem conciliare poſſunt, ex animalibus oſſa, eaque adhuc acriter calcinata numerantur luculentius, quod hæc ſuperfluam, quæ fibras macerat, relaxat, humiditatem abſorbendo, eis maiorem in mutuum niſum occaſionem concedant. Externe vero applicari ſolum ea ſolent, quod reſorpto liquido concreſcentia, cohærentem admodum paſtam conſtituant. Neque ex animalibus ſolum ea parari poſſunt, ſed etiam ex terreis. Similis terra bolaris *Memoir. de l' Acad. des Sciences 1669.* deſcripta eſt, qua lymphæ ſtillicidium, vitriolo, alumine, non compeſcendum, ſiluit, & quæ, abrupto ad umbilicum fune umbilicali, lethalem hæmorrhagiam prævertere poſſet.





CLASSIS SEXTA
ATTENUANTIUM.

ATTENUANTIA dicuntur illa, quæ fluidorum nimiam tenacitatem tollunt. Locum habent, ubi ſigna docent, æquabilem humorum per vaſa motum ob nimium lentorem in toto, vel in parte, impediri. Laſſitudines ſpontaneæ, dolores inflammatorii, acuti, vel & alii obtuſiores, hæc indicant; licet ex his alia in acutis, in lentis alia, ſeligere medicus debeat, tum & pro genio materiæ attenuandæ diverſa.



I. ABSTERSIVA, RESOLVENTIA.

BARDANA *Offic.* ARCTIUM *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Compoſitarum Capitatarum. *Germ.* Kletten-Kraut. *Anglis* Burdock.

ARCTIUM DIOSCORIDIS, radices, & ſemina officinis exhibet. Radices lene aroma, amarum, reſolvens, aperiens, habent, absque ſtimulo, ut in acutis absque metu adhiberi poſſint, HALLER; in cereviſia cocta arthritidem ſuperavit FORESTUS, ad luem venerem, & mercurii in corpore deliteſcentis ægritudines, arcanæ habentur: In decocto ab uncia ſemis, ad unam, radicis doſis eſt. Seminis amariſſimi,

mi, diuretici, drachma: uncia semis in emulsis: drachma semis, una, in pulvere: in nephritide in aqua laudatur. Folia recepta non sunt, tamen in lacte cocta externe ad arthritidem valere ETTMULLER. Succus recens pressus, defæcatus, diureticus; dosis unciæ unius, bis ter de die.

CICHORIUM. *vide* P. I. p. 22. 23.

CICUTA, *vide* venena.

EBULUS *Offic. Botanicor.* SAMBUCUS Classis Naturalis fructiflorarum. *Germ.* Niederholder. *Gallis* Yeble. *Anglis* Dwarb-Elder.

SAMBUCUS *herbacea floribus umbellatis.* In usu alimentari non adeo familiares hæ baccæ, amariores, acriores, quam sambuci. Plantæ cæterum omnia habent similia, nisi quod Ebulus Sambuco valentior.

USUS MEDICUS ac Sambuci idem, sed efficacior, hydragogus, diureticus, solvens, discutiens, stimulans. Radix tota infusa ad drach. duas, unciam semis, exteriori cortice pulverato ad drach. dimidiam, nimio mensium fluxui roborando obvenit. Corticis mediani succus validissimus, hydropicis unciæ dimidiæ vel integræ mensura datur: pulvis radicis drach. semis, unius dosi, ut & semen, quod ex chamæpityos decocto podagricis, ischiadicis potum, multum prodest. Cataplasma ex foliis extravasata solvit, discutit, maxime sanguinea, serosa. An non pleuritico lateri utilius vesicatorio, rubefaciente alio? utique adhuc solvit?

vit? Flores vi diaphoretica etiam laudantur, femina purgante.

PRÆPARATA. *Roob* ebuli validum purgans unciæ dimidiæ, aut integræ pondere. *Aqua* ſtillatitia ebuli diſcutiens, etiam purgans ab aliquibus habetur. Unc. IV. doſi exhibitam ſingulis diebus, ieiuno ventriculo, in aſcite & tympanitide utilem, TABERNÆMONTANUS dixit. *Sal* etiam non nullis habetur officinis, haud ſpecificæ virtutis plantæ.

ENDIVIA *vide* P. I. p. 23.

FUMARIA *Offic. Botanicor.* Claſſis Naturalis Papilion. *Germ.* Erd-rauch. *Anglis* Fumitory. *Gallis* Fume-terre.

FUMARIÆ *pericarpiis monoſpermis*, herba, amariſſima, ſolvens, ſanguinem depurans, HOFFMANN, obſtructionibus, ictero utilis, RIVERIUS, pruritui, SIMEON PAULI, lepræ FR. HOFFMANN, ſcorbuto, arthritidi LINNÆUS. Datur in cereviſiæ pinta, manipulus unus, duo: vel in conſerva, extracto, doſi drachmæ ſemis, unius: Etiam *ſyrupus*, *eſſentia*, proſtant.

HIERACIUM.

LACTUCA *vide* P. I. p. 23.

MANNA *vide Purgantia.*

MEL *vide* antidota.

SACCHARUM.

SAPO-

SAPONARIA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Seiffen-kraut. *Anglis* Soap-wort. *Gallis* Saponaire.

SAPONARIA *foliis trinerviis, floribus umbellatis,* efficaciter abſtergit, coagula bilis, viſcerum abdominalium infarctus reſolvit, etiam ictericis, & ſcorbuticis proficua, tum purulentis utilis: An debellat luem veneream? Semen ad epilepſiam laudat HOFFMANN. In lib. IV. aquæ manipulum unum viridis plantæ, incoquit SEPTALIUS cum paſſulis, pro potu: pro lavamento vel fomento manipulum unum in libra una: ſeminum doſis gran. quindecim, viginti, triginta, quam contra Epilepſiam laudant.

SCORZONERA *vide* P. I. p. 32. 33.

SEDUM MINUS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Mauer-pfeffer. *Anglis* Wall-Pepper. *Gallis* Tete de Souris.

SEDUM *foliis ſubovatis, adnato-ſeſſilibus, alternis, racemo triplici;* acre, alcalinum, BURGHARD. Succus eius, æquali quantitati ſpiritus vini rectificati commixtus, coagulum album conſtituit, volatile, faciei coſmeticum non utile, IDEM. *Satyr. Sileſiac.* Flore albo multum contra cancrum, ubi etiam inutilis cicuta fuit, extollit ex obſervatione QUESNAY, atque id ipſum eſt ſedum *minus, teretifolium, album,* C. B. non ſedum *parvum, acre, flore luteo* I. B.

SEDUM MAIUS *seu* SEMPERVIVUM *Offic. Botan.* Classis Pauci-stam. *Germ.* Haus-wurzel. *Gallis* Ioubarbe. *Anglis* Great Hou-seleck.

SEMPERVIVUM *foliis radicalibus carnosis, caulinis imbricatis, corymbo racemoso, reflexo:* acido-austerum, etiam acre, aphthis utile, ad alvi proflu-via, maxime putrida, insigne, externe ambusta coer-cet, & refrigerat, ulcera calida temperat, laxa curat. Succum papillis mammarum inflammatis & dolentibus, ut & dolentibus & inflammatis gingivis lactis cremo-re & syrupo violarum mixtum applicat van SWIE-TEN.

SONCHUS *Off. Botanicorum.* Classis Natu-ralis Compositarum Semiflosculosarum. *Germ.* Glatt - Leber - Distel. *Anglis* Sow - thistle. *Gallis* Palais de Lievre.

SONCHUS *foliis laevibus, & teneris, calycibus glabris*, ut tota tribus, succulentus, saponaceus, ama-rus, viscerum obstructionibus, ictero utilis, etiam ci-choreo præfertur SYLVATICO. Succus in pleuriti-de salutaris, BOCCONE.

TARAXACON.

TRAGOPOGON *vide* P. I. p. 33. 34.



SAPONES.

BILIS ANIMALIUM, lucii piſcis, anguillarum, tauri &c. adeo magni uſus in glutinoſo ſpontaneo L. B. van SWIETEN.

LAPIS PORCINUS, PEDRA del PORCO *Off.* Forte bili ſuam efficaciam æque, ac originem debet, L. B. van SWIETEN. Vix magnæ laudis capax, bili animalium non præferendus.

SAPO VENETUS, *vide* antidota.

SAPO HISPANICUS *ſeu* ALICANTHINUS, qui drachmæ ſemis pondere in drachmis tribus lactis coctus, triginta diebus ante epilepſiæ inſultum hauſtus, dirum hunc morbum ſuſtulit.

SAPONES alii medici, *vide* antidota.

GUMMI AROMATICA.

GUMMI AMMONIACUM.

BDELIUM.

GALBANUM.

OPOPANAX.

SAGAPENUM *vide* P. I. p. 163. ad 174.



II. ALCA.

II. ALCALESCENTIA, ANTISCORBUTICA.

ALLIUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Liliorum. *Germ.* Knoblauch. *Gallis* Ail. *Anglis* Garlick.

ALLIUM *ſativum*, ſeu *vulgare, ſtaminibus alterne trifidis, foliis gramineis, capite bulbifero, radicibus in unum bulbum congruentibus.* HAL. *Philoſoph. Transact.* Hoc graveolens, acre, ſubcauſticum, ſalem volatilem concretum continere NEUMANN, penetrabiliſſimum eſſe, ex ulcere olens KERKRINGIUS, ex ſudore PAULIN obſervarunt; ad hæc infuſum obſtructam urinam ſolvere BLAIR, podeſſe calculoſis omnium fere experientia, etiam in prophylaxin ſumptum *Ephem. N.C.* HOYERUS, ſpecifice podagræ mederi, TILEMAN, a cauſa acida; ad vermes expertus laudat BINNINGERUS: Eſt etiam in hydrope diureticum potens, quo etiam hic morbus ſæpe percuratur, in colica carminans, in hyſterica paſſione naribus ſuppoſitum excitans: Ut ſpiritu frumenti, cui allium infuſum, ſe perfricet æger in tympanitide, autor eſt BORRICHIUS *de uſu plantarum indigenarum.*

ALLIARIA *Offic.* ERYSIMUM *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Cruciform. *Germ.* Knoblauch-kraut. *Anglis* Iack by the Hedge.

ALLIARIA *foliis cordatis*, interno raro uſu, externo ad gangrænam plurima, non omnibus recepta officinis eſt.

BEC-

BECCABUNGA *Off.* VERONICA *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Ringentium. *Germ.* Bachbungen. *Anglis* Brooklime.

VERONICA *aquatica, foliis ovatis, racemis lateralibus;* ſucco ſaponaceo aliis antiſcorbuticis mitiori, plena, multum in reſerandis viſcerum obſtructionibus utilis, etiam in morbis cutaneis, ictero, laudata, in ſcorbuto maxime deprædicatur, ſero lactis ad manipulum unum, duos, quatuor, decocta, etiam in ſucco expreſſo, defæcato, ſumpta unciarum duarum menſura, bis ter de die: Adhæc iuvat ab acido ortam podagram diu adhibita.

Proſtat *conſerva.*

BRASSICA *vide* P. I. p. 19. 20.

CEPA *Offic.* ALLIUM *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Liliorum. *Germ.* Zwiebel. *Gallis* Oignon. *Auglis* Onyon.

ALLIUM *ſtaminibus alterne trifidis, caule ad terram ventricoſo.* HALL. Aqua ſeptem octavas partes, & plurimum ſalis volatilis concreti, deſtillatum largitur, NEUMANN, ut magna vis in aqua ſtillatitia ſit. IDEM. Cepæ vires calculum confringendi a plurimis adſcriptæ, an veræ? Cocti, in cataplasma redacti bulbi, admodum maturant, etiam bubones KRAMER. *Commerc. Litter. Norimberg.*

COCHLEARIA *Offic. Botanicor.* Claſſis Natur. Cruciform. *Germ.* Leffelkraut. *Gallis* Herbe aux Cuilliers. *Anglis* Scurvy-graſs.

COCHLEARIA *folio radicali ſubrotundo;* ſcorbuticis ſacra, acrior quandoque, aliis temperanda.

Grœn-

Grœnlandis ex acetoſa, & cochlearia ſimul creſcentibus, in ſcorbuto ſalus, BARTHOLINUS. Valet etiam in ſcelotyrbe, hydrope, aſthmate, orthopnœa; ſpecifice diureticam LINNÆUS habet. Manipulus ſemis infunditur ſeri lactis libræ uni: ſuccus per chartam bibulam defæcatus, datur cochleatim, ſolus, vel ſero lactis permixtus, ab uncia ſemis ad unam pro doſi. Succus cochleariæ cum vino preſſus, præſentaneo iſchuriæ remedio fuit, *Ephem.* N. C. *Conſerva* recens utilis: Egregia *aqua* ſtillatitia, bona in cancro oris aquatico, ut & *Spiritus.*

DRABA *Off.* Lepidium *Botanicorum*, Claſſis Naturalis Cruciform.

LEPIDIUM *foliis lanceolatis, amplexicaulibus, dentatis*, in Auſtria adeo frequens, nondum officinis recepta, an non tanta copia naſcitur, ut a vinis acidis, ortis malis medeatur?

ERUCA *Offic.* Braſſica *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Cruciform. *Germ.* weiſſer garten Rauckenſenff. *Anglis* Rocket. *Gallis* Roquette.

BRASSICA *foliis lyratis, caule hirſuto, ſiliquis glabris*, acris, graveolens, acetariis ſtimuli loco additur; viſcidos humores incidit, ſolida ſtimulat, in aſthmate, lethargo, paralyſi, hydrope, apoplexia ſeroſa, laudanda in vino infuſa: ſemen maſticatum apophlegmatiſans. In infuſo vinoſo, ſeroſo, pugilli tres, Manip. Semis. Pulvis ſeminum a granis decem, ad quindecim pro doſi, etiam liberalius frigidis, datur.

ERY-

ERYSIMUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Cruciform. *Germ.* Wegſenff. *Gallis* Velar. *Anglis* Hedgemuſtard. *Italis* Eryſimo.

ERYSIMUM *ſiliquis cauli appreſſis*, guſtu acre, urens, pituitam potenter incidens, morbis pituitoſis pulmonum abs febre, plurimum utile. Pulverem ſeminum contra calculum, drachmæ unius portione, in albo vino valere, FONTANUS.

Syrupus de Eryſimo in aſthmate, & lentore acido, egregius.

NASTURTIUM HORTENSE *Offic.* LEPIDIUM *Botanicorum.* Claſſis Natur. Cruciform. *Germ.* Garten-Kreſſe. *Anglis* Garden creſſes. *Gallis* Creſſon alenois.

LEPIDIUM *foliis oblongis, multifidis, inciſis.* Acris diuretica planta, valet in iisdem caſibus: adſunt etiam præter herbam in officinis ſemina. Doſes priorum. *Aqua* ſtillatitia ad veſicæ calculos mire præſtans habetur, HARTMANN. *Praxi Chymiatr.*

NASTURTIUM AQUATICUM *Offic. Botanicorum* Siſymbrium. Claſſis Naturalis Cruciform. *Germ.* Waſſer-Kreſſe. *Anglis* Water-Creſſes. *Gallis* Creſſon.

SISYMBRIUM foliis pinnatis, anguloſis, floribus ſuper folia vix elatis, minus acre cochlearia, omni laude in ſcorbuto lento maius, EUGALENUS, viſcidos humores incidit, & per diureſim eliminat, in ſucco potum, per ſe cochleatim ſumptum, aut ſero, aut vino dilutum, unciæ ſemis, unius pondere: infunditur etiam ad manipulum unum in libra aquæ. Phthiſicos

etiam curatos esse nasturtii aquatici, & lactis ebutyrati potu, N. C. *Ephem. Decad. 2.* Anno 8. Iterum ad calculum renum, lapid. Cancrorum drachmam unam, in aquæ nasturtii e succo destillatæ unciis duabus cum semisse, probatæ virtutis remedium esse, *Ephem. Decad. 3.* Anno 7. 8. habetur. Dum cerevisiæ dolio aliquot brassicas rubras capitatas, minutim conscissas, cum duodecim manipulis nasturtii aquatici, vel cochleariæ, & libra recentis raphani rusticani, infunderent, integras familias a scorbuto curatas, hoc potu ordinario diu utentes, vidit *Illustr.* L. B. van SWIETEN *Comment.* T. III.

Conserva egregia est, *essentia*, *spiritus* laudabilis.

PORRUM *Offic. Botanic.* ALLIUM. Classis Naturalis Liliorum. *Germ.* Lauch. *Gallis* Pourreau. *Anglis* Leek. *Italis* Porro. Praso.

ALLIUM *staminibus alterne trifidis*, *foliis gramineis*, *floribus sphærice congestis*, *radice tunicata*, *cauli circumnata*, HAL. Culinaris potissimum, medicis usibus raro adhibetur, tamen decoctum porri ex potentissimis solventibus calculi, LOBB. habetur.

PIPER INDICUM *Offic.* CAPSICUM *Botanicorum.* Classis Naturalis Pauci-stam. *Germ.* Indianischer Pfeffer. *Gallis* Poivre d'inde.

CAPSICUM *annuum*, igneum, rarius datur, hydropicis solum & asthmaticis utile, etiam glutinosum spontaneum domat. Dosis scrupulosa, ad grana quatuor. Hominum respirationi noxium est, suffocat vapor omnes cimices; araneam, apes, panorpes, MARTINET. de *Respiratone insectorum.* Piper muscis lethale.

SCIL-

SCILLA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Liliorum. *Germ.* Meer-Zwibel. *Gallis* Squille. *Anglis* Sea onions.

SCILLA *radice tunicata*, acris admodum & corrosiva, recens viscidos humores potenter incidens, & solida exstimulans. Pura ad grana duo, tria, cum saccharo trita, horrendas saepe in pectoris hydrope anxietates citissime, etiam insomnes noctes, orthopnœam sustulit, TYSSOT *de Hydrope.* Caeterum praeparata in asthmate, orthopnœa, Lethargo, hydropis tum alia specie, tum illa pectoris multum in usu est dosi granorum quinque, ad decem. Infunditur pariter a drachma una, ad drachmas duas in vino, quod tamen vomendi conatus excitat, quo casu aliis corrigendum est, ut aqua Cinnamomi lactea Baccis iuniperi, aut iuniperi spiritus, corticis peruviani virtute.

Caeterum acre, & penetrans remedium saepe in toto corpore saevos dolores ciet, imo & mobiles in convulsiones agit, utrumque tamen incommodum camphoram auferre, HALLERUS apud TYSSOTUM testatur. Ventriculi vires deiicit, quos cortex erigit, & sanguinem solvit, ut in dissolutione humorum cum eo caute mercandum sit, & ubi scirrhus cum febricula, cancer periculo non caret, TYSSOT *de Hydrope.*

Acetum squilliticum, & *oxymel* squilliticum heroica medicamenta sunt, vel per se cochleatim exhibita, vel aliis ad unciam mixta; mane & vesperi bina cochlearia aceti squillitici calculosus hausit, & multos calculos excrevit, *Acta* N. C. Vol. III. Saepe tamen & hoc intolerabiles anxietates excitat, TYSSOT l. c. Terrae foliatae iunctum egregium est Hydrope remedium & a causa frigida mucosa singultientibus plus una vice auxilio fuit.

SINAPI *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Cruciform. *Germ.* Senff. *Gallis* Muſtard. *Anglis* Muſtard. *Italis* Senape.

SINAPIS *ſiliquis glabris, tetragonis*, ſemen, maxime officinis receptum, acerrimum, corroſivum, externe corpori applicatum rubefaciens, utile, interne raro datur. Datur tamen in prophylaxim apoplexiæ pituitoſæ, HOFFMANN, in curationem lethargi, paralyſis. Ante paroxismum febris intermittentis, maior doſis ſpiritu iuniperi diluta, aſſumpta, lethalis, L. B. van SWIETEN. Tamen ſcorbuticis prodeſt, CHOMEL. Externe in rubefacientibus, ſinapiſmis, princeps, mollioribus, ut unguento de Althæa, pulpa ceparum dilutum, intritum, tineam, & impetiginem ſanat, FORESTUS. An tuto, emplaſtro ſubactum, faciei, ut hæc a variolis immunis præſtetur, imponitur? ut id quidem fieri *Cl.* ROSEN reliquit.

TRIFOLIUM FIBRINUM *Offic.* MENYANTHES *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Pauci-ſtam. *Germ.* Biberklee. *Anglis* Buch-bean.

MENYANTHES *foliis ternatis*, multum ſaponacea, amara, antiſcorbutica, & anti-arthritica, per excellentiam dicta, SIMON PAULI, SCHULTZ. Arthritidi præſentanea medicina, BOKELMANN, FRANCI, rheumatiſmo, podagræ utilis, etiam in nephritide laudatur, L. in obſtructionibus, ictero ſummum remedium eſt, BOKELMANN, & aſthmati hypochondriaco præſens ſubſidium, IDEM; cochlearia, naſturtio, in ſcorbuto efficacius, IDEM. Notari meretur, antiſcorbuticarum vim in humido, & ſapido eſſe, perire ſiccatis plantis, hinc in ſucco dandas, uſum harum in hypochondriacis, melancholicis utilem. Pulvis

vis radicis acrioris purgat drachmæ pondere. Plantæ manipulus ſemis infunditur in libra una ſeri lactis recentis, etiam ſuccus in eodem datur, unciæ ſemis, unius doſi.

VICTORIALIS *Offic.* ALLIUM *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Liliorum. *Germ.* Siegwurtz.

ALLIUM *radice oblonga*, *reticulo obducta*, ad ſpaſmos abdominales gravidarum ex amuleto ſuſpenſum, laudat HALLERUS. Cæterum ad uſus magicos plurimum adhibetur.

III. INCIDENTIA SALINA.

SALIA dicuntur corpora linguæ ſaporem imprimentia, aqua ſolubilia, igne vel fluentia vel volatilia; hæc quidem omnia acida ſunt vel alcalica vel media, poſſent etiam addi terrea. Quæ ad hanc Claſſem Attenuantium ſpectant, potiſſimum media ſunt & alcalica: de prioribus hic, de poſterioribus Tomo III. potiſſimum dicam.

Sunt vero ſalia media, alias & Neutra, & Enixa dicta, ea ſalia, quæ intimiori & ſaturatiori acidi & alcali connubio exſurgunt: criteria igitur horum exactiſſima, eorundem principia ſola eſſe poſſunt, docent ſyncriſis, diacriſis, minime ſyrupus violarum, ut contendere Pharmacopæi poſſent, vide NEUMANNI *Commentat. de ſyrupi violarum commiſtione ad probanda liquida inſufficienti & fallaci, Miſcell. Berolin.* T. III. IV. inſertam, CARTHEUSERI *Hydrologiam*, aquarum

medicatarum Angliæ examen ALEX. SUTHERLAND. Sed & inde patet, terreas acido ſaturatas ſubſtantias ſalia neutra dici non poſſe. Inter ea, quæ hic recenſere convenit, ſunt ſequentia:

AMMONIACUS SAL *Offic. Mineralogiae.* Claſſis Minerarum. Ordo Salinarum: an artefactarum? *Germ.* Salmiack. *Gallis* Sel ammoniac. *Anglis* Sal ammoniac.

SAL AMMONIACUM in glebas igne ſubterraneo concretum, WALLERIUS. In Italia, & in Anglia naturale eſſe creditur, etiam in Calmuccarum regionibus, rupibus accretum inveniri, MODEL *experimenta & tentamina ſuper nativo ſale ammoniaco, German. Lipſiae* 1758. Figuræ indeterminatæ eſſe, nec duas ſibi ſimiles glebas, friabiles, aqua in integrum ſolubiles, IDEM.

Ammoniacum *artificiale*, *vulgare*, ſolum ex Ægypto ad nos adfertur, ex ſtercorum animalium, & ſtraminis fuligine ſublimata, paratum: docent LEMAIRE & GRANGER *Acad. des Sciences* 1735. ut fruſtra fuligini arcana addi ſalem marinum encheireſi, NEUMANN, CARTHEUSER, POTT., ſuſpicentur.

At unde acidum ſalis in ſale ammoniaco? facile dictu; terra Ægypti ſale communi abunde imprægnata eſt, LEHMANN, & plantæ & ſtercora animalium eodem gravida ſunt, IDEM, tum animalibus, & vegetabilibus ineſt, BOERHAAVE, in fuliginis noſtrarum regionum analyſi, magnam ſatis ſalis ammoniaci quantitatem obtinuit IDEM, ſed neque acidum ſalis iunctum fuligini, maiorem ſuppeditat ſalis ammoniaci copiam, DU HAMEL *Acad. des Sciences* 1735. Calcis vero ſiccæ pulvis, additus, maiorem volatilis ſalis copiam producit,

quam

quam non additus, IDEM. At ſalis marini acidum non facile volatile fit, CARTHEUSER; id de acido ſalis marini per ſe adhibiti manifeſtum, volatilibus animalium, & vegetabilium partibus incorporati, horum fabrica mutati, non adeo luculentum, quin contrarium evidentiſſimum in ſale noſtrorum humorum: adhæc plantæ ſale marino plurimo gaudentes combuſtæ, in cineribus ſalis marini nihil relinquunt, q. e. d. Adde etiamnum omnium acidorum ponderoſiſſimum vitrioli acidum ex levi cauſa volatile fieri, & ipſum ſalis acidum ſæpe ſua baſi liberum, in terræ viſceribus inveniri, LEHMANN l. c.

PRINCIPIA igitur huius ſalis: *primo* acidum: *ſecundo* alcali volatile urinoſum: *tertio* inflammabile. Primum, quod aliud, præter ſalis acidum, ſalem ammoniacum verum nunquam efformet, docet ſal ammoniacum ſecretum GLAUBERI, acido vitriolico, & alcali urinoſo factum: docet nitrum flammans, acido nitri & alcali urinoſo exurgens: tartarus ſolubilis ſale urinoſo, & acido vegetabili factus: contra vero ſpiritus ſalis ſali volatili animali iunctus perfecte ammoniacalis & in omni experimento, adde quod ſal ammoniacus in aere liqueſcat, ſalis acidum in hoc demonſtretur. Secundum odor urinoſus, dum cum ſale tartari vel calce teritur, & ſpiritus urinoſus in deſtillatione, manifeſtius evincunt. Tertium, quatuor partium nitri cum una ſalis ammoniaci, perfecta detonatio, ſuadere videtur. Eſt vero una circiter pars acidi ſalis communis ad duas vel tres partes alcali urinoſi, alii alias proportiones habent: in Tentaminibus GEOFFROY Iunioris in libra una ſalis ammoniaci ſalis volatilis uncias quindecim, acidi marini unam invenit *Acad. des. Sciences* 1723.

Cæterum, quod proprietates eius ſpectat, in eadem fere, ac ſal gemmæ, aquæ quantitate ſolvitur, vulgare aqua ſolutum ſpiritu vini non præcipitatur: irregularis, non facile determinandæ figuræ, cryſtallos habet, lanugini ſimiles: cum oleo tartari, aqua calcis, odorem penetrantiſſimum exhalat; mixtum cum vitrioli oleo vehementem efferveſcentiam, frigidam tamen, init; cum ſpiritu nitri, aut aqua forti, aurum non adeo ſolvit, quam volatiliſat, licet aquam fortem in Regiam commutet; igne avolat, maiori tamen, quam ad aquæ ebulitionem requiratur; vaſe clauſo per ſe ſublimatur: deguſtatum linguæ frigoris ſenſum imprimit, maxima ſua penetrabilitate omnia pervadit, nec acidus, nec alcalinus; ſali noſtrorum humorum ſimillimus. Sal ammoniacum fixum ex calce viva, & acido ſalis communis conflatur.

USUS MEDICUS, ubicunque in fluidis tarditas, in ſolidis inertia, eximius; in morbis lentis, pituitoſis, incidendi, attenuandi ſcopo; tum etiam ad diaphoreſim augendam egregius. Doſis a granis quinque ad duodecim, quindecim, vel in pulvere vel cum vehiculo, bis, ter, de die. In febribus intermittentibus pro puerulis doſis granorum quinque ad quindecim, in aquæ ſtillatitiæ ſambuci uncia una, vel potu Theiformi, dimidia ante paroxyſmum hora; adultis drachma una multum multis laudatur. *Nova Acta Acad.* N. C. Vol. I.

Externus chirurgis celebratiſſimus, & in ſuffimigiis, & fomentis ad tumores frigidos. In gargariſmatibus, collutoriis etiam, in angina aquoſa, tumore glandularum ſalivalium, linguæ paralyſi familiaris. Drachmam unam ſalis ammoniaci crudi, in duabus drachmis ſucci limoniorum ſolutam, ad dolores dentium goſſipio

hac

hac ſolutione madido, denti immiſſo, arcanam fuiſſe, GODFREY *Treaſure*, &c.

PRÆPARATA.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI intermedio corpore alcalino deſtillatione liberatus, addita ſolum aqua, *Simplex Urinoſus*, affuſo ſimul ſpiritu vini *Vinoſus* audit. Prior etiamnum duplex, vel enim cum ſale tartari ſolum paratur, vel interveniente viva calce expellitur; & in his adhuc magnum diſcrimen quoad proportiones ſalis ammoniaci, ſalis tartari, aquæ, tum quoad easdem calcis obſerves:

In genere dici poteſt, ſpiritum ſalis ammoniaci *urinoſum* cum ſale tartari ſolum paratum, longe diverſum eſſe a ſpiritu ſalis ammoniaci cum calce viva facto. Eſt enim poſterior priori non ſolum volatilior, ſed & magis cauſticus, ut ob hanc rationem *ſpiritus volatilis cauſticus*, ſeu *ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce* vocetur; præterea adhuc proprietates plures poſſidet, quas alter non habet.

I. Quod ſal volatile forma ſicca ſalina haud appareat, nec hyeme cryſtalliſetur hic ſpiritus.

II. Quod cum ſpiritu vini offam Hellmontianam haud cauſtitat, contra cum ſpiritu vini rectificatiſſimo amice ſe gerat, & huic iungatur.

III. quod bene præparatus, ſive puncto ſaturationis ſalis ammoniaci volatilis cum ſale cauſtico calcis obtentus, cum nullo acido efferveſcat.

IV. Quod ſit ſpiritus ſalinus perfecte medius, quod multi hinc inde negaverant, poſteriores vero Chemici clarius perſpexerant, & iam BOERHAAVE

 bene

bene monuerat, licet hodie iniuſte in lyceo noſtro ob id culpetur.

Cæterum inter efficaciſſima ſtimulantia ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus recenſetur, aqua dilutus tantum exhibendus a guttis quinque ad viginti; externe linimentis, & unguentis inſignem penetrandi vim conciliare ſolet.

Spiritus ſalis ammoniaci *cum calce* paratus, priori volatilior ad excitandum animo lapſos naribus ſolum admovetur, etiam extemporanee fieri poteſt immiſſa in ſpiritum ſalis ammoniaci calce. Interne raro datur, neque tamen ſine ratione, cum cauſticum ignis in ſe poſſideat; cum vero menſtruum egregium habeatur plurimarum vegetabilium ſubſtantiarum, ut v. g. corticis peruviani, a quo ſimplex urinoſus parum extrahit, poſterior vero integram efficaciam, nonnulli interne aliarum tincturarum more hunc vegetabili ſubſtantia impræ- gnatum exhibere ſolent.

Vinoſus dulcificatus interno uſu multum laudatur, ſimplici urinoſo calidior, eadem tamen fere doſi datur diluendus vehiculo.

Eſt etiam addita aniſi vi *Aniſatus*, in pituitoſis pectoris morbis, aſthmate commendatus; tum ſuccini *Succinatus*, in lethargicis & apoplecticis affectibus a cauſa frigida utilis. A capite mortuo vero, a deſtillatione ſpiritus ſalis ammoniaci, tam urinoſi cauſtici, quam vinoſi, reſiduo, *Sal digeſtivum* SYLVII paratur, acido ſalis communis, & alcali fixo, urinoſo conſtans, egregium incidens: Doſis a granis decem ad triginta. In capite mortuo vero ſpiritus cauſtici habetur ſal ammoniacum fixum acido ſalis, & terra calcis conſtans.

FLO-

FLORES SALIS AMMONIACI SIMPLICES. Qui cum ſale communi ſublimantur, inutili in officinis labore, verum ſunt ſal ammoniacum purum.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES. Cum limatura martis, vel lapide hæmatitide facti, multum laudantur in pertinaci menſium ſuppreſſione a cauſa frigida, fluore albo, viſcerum obſtructionibus. Doſis a granis tribus, ad decem, bis, ter, de die.

SAL VOLATILE SALIS AMMONIACI SICCUM, ANGLICANUM vulgo dictum, valde activum, externo tantum uſui dicatum una parte Salis ammoniaci duabus calcis valido igne ſublimatum. Siccum cum oleis aromaticis ſtillatitiis etiam oleoſum, varium a variis concinnatur: ita familiare eſt & ſolenne ſal volatile ammoniaci ſalis ſiccum, cum oleo maioranæ, vel florum aurantiorum, aut cedrino, probe imbuere, & naribus crebrius offerre, quod mire mucoſitatem colliquat, & vigorem ſenſibus affert, FR. HOFFMANN *de Selectioribus Medicamentis.*

BORAX *Offic. Mineralogiae.* Claſſis Naturalis minerarum. Ordo Salinarum: an artefactarum? *Germ.* Borax. *Gallis* Borax. *Anglis* Borax.

BORAX non depurata *Tincar* offic. ut ad nos allata, plurimis compacta eſt, & tantam terræ gryſeæ a ſpiritu ſalis ſolubilis, ab alcali præcipitandæ quantitatem habet, quanta eſt 11 ad 12. Centenarii, BRAND *Acad. Reg. Suec.* Vol. XVII. Depurata alba octangularis, ſemi-pellucida eſt, ſaporis ſalſi lixivioſi nauſeoſi, non alcalini, in aere in farinam fatiſcit, in igne funditur, fuſa ut Alumen intumeſcit & in vitrum commutatur,

maſſa

maſſa ad dimidium fere ponderis reducta, GEOFFROY *Acad. des Sciences* 1732. in aqua calida ſolubili (licet ipſa Borace aliquantulum difficilius) & denuo in veram Boracem cryſtalliſabili, LEMERY *Acad. des Sciences* 1728.

Borax ſalium alcalinorum multas dotes habens, & volatile ex ſale ammoniaco, alcali excutiens, dotes ſpecificas plurimas habet; & primo naturam Vitriolorum & Aluminum contra omnis ſalis alcalini indolem in eo ſectatur, quod in eius compoſitionem notabilis adeo aquæ quantitas recipiatur ut dimidium ſui ponderis fere aqua ſit, notabilis itidem requiratur, ut in ea ſolvatur. Cæterum in frigida difficilius, citius longe in calida ſolvitur, ita tamen ut ſemper X imo XII partes requirantur aquæ, ut ſoluta maneat; ſex unciæ aquæ ebullientis unciam ſemis Boracis ſolum ſolvere in experimento LEMERY *Acad. des Sciences* 1729; atque tum adhuc poſt aliquot dies aliqua præcipitabatur ſalis portio, IDEM *ibidem.* Nuper tamen in aqua ebulliente etiam plus Boracis quam alterius cuiusvis ſalis ſolvi vidit *Cl.* BRAND *Acad. Reg. Suec.* Vol. XVII. an eſt in Borace diverſitas?

Sunt adhuc inter ſpecificas Boracis dotes, aliæ plures haud præter videndæ, ſcilicet quod in oleo tartari per deliquium facillime ſolvatur, huic uniatur, & inſtituta evaporatione in cryſtallos denuo concreſcat iam in aere humeſcentes *Cl.* BARON *Mem. de Mathematique* Tom. I. Tum quod in acidis maxime vegetabilibus longe facilius quam aqua ſolvatur, cum etiam difficiles cæteroquin acidorum nonnullorum ſolutiones promoveat; unciæ duæ Boracis pulveratæ cum duplo comminutarum cryſtallorum tartari pulvere mixta in una fere ſexta parte illius aquæ quantitatis ſolvuntur, qua ad horum

rum duorum corporum ſeparatam ſolutionem fuiſſet neceſſaria, & per quadrantem horæ coctæ formam ſolidam non amplius induunt continuo in aere deliqueſcentes. Idem cum tartaro crudo phænomenon Borax exhibet, & tam acidis mineralibus quam vegetabilibus ſecreta, non conſpicua unione nubi, LEMERY *Acad. des Sciences* 1729. prodidit, etiam igne fixam alas addere & vitrioli & nitri & ſalis acido, non vero acido aceti, IDEM aſſeruit.

Borax officinalis, encheiriſi Venetis,& Hollandis arcana præparata, ſal eſt medium, quod nec cum acidis nec cum alcalinis conflictum ineat, violarum ſyrupum non mutet ex LEMERY & NEUMANNI teſtimonio; ſed alii aliter cenſuerunt: alcalinum pronunciatum eſt a *Cl.* GEOFFROY *Acad. des Sciences* 1732. ſiquidem præcipitet terram metallicam vitriolorum, eam aluminis & aquæ calcis, viridem etiam ſucco florum violarum colorem conciliet, præcipitet ſolutionem Mercurii in ſpiritu nitri factam colore citrino, ſolutionem ſublimati corroſivi colore aurantio. Et nuper unico, in tanta Chemiæ germanicæ luce, ſyrupi violarum *bene praeparati*, operoſo ſi ſuperis placet experimento, alcalina boracis natura, proclamata eſt, ut vix opus ſit, conſecrata *Acad. Reg. Suec.* Vol. XVII. *Cl.* BRAND experimenta adducere, ſcilicet I. Quod ſaturata Boracis in aqua ebulliente ſolutio cum acidis ſenſibiliter efferveſcat. II. Quod ex Boracis & acidi vitriolici mixtura, ſal producatur mirabile. III. Quod ex ſale ammoniaco & Borace ſpiritus deſtilletur ſalis ammoniaci. IV. Demum, quod Borax tam cum oleis preſſis, quam pinguedine ſaponem conſtituat, ut ſalia alcalina ſolent. Nunc tamen poſt omnia non liquet, an de uno eodemque ſubiecto, *Cl.* Viri diſputent, an Borax LEMERY

& NEUMANNI fuerit Borax GEOFFROY? an Borax Veneta eadem sit ac Batava? an encheireses Venetiis adhibitæ semper eædem, nullo peccato obnoxiæ? & ultimo certum est, Boracem simplicem salem non esse, nec purum, sed commixtum compositumque, nec videtur tanta esse huius a sale communi quoad compositionem diversitas, utpote quod non spernendam portionem alcali mineralis contineat, acido non adeo exacte saturatam. Nuper egregius BEAUME *Manuel* 1763. compulsis & pensitatis omnibus, Boracem salem medium particularem, qui sale sedativo perfecte quidem neutro tamen hic basim salis marini saturante conflatus, saporis salsi & salis medii sit, pronunciavit; & hæc quidem sententia non imbecilliter probatur, ex vitro Boracis in aqua cocto, soluto, & in veras denuo Boracis crystallos, absque ulla mutatione, evaporatione redacto.

Cum vero acidum Borax habeat principium, merito quæritur cuius naturæ id acidum sit, quod in eius compositionem recipitur. Acidum salis esse, omnium primus *Cl.* NEUMANNUS edixit, hunc pauci secuti sunt, ultimo tamen post varia de Borace tentamina in *Acad. des Scienc.* BOURDELINUS accessit. Esse acidum vitriolicum, plurimis POTTIUS probavit, tum vitrescentia, tum transitu spiritus salis, in destillatione salis compositi ex borace & fixo sale ammoniaco, transitu spiritus nitri in destillatione eiusdem cum nitro, mercurii ex aqua forti in pulverem nigrum præcipitatione, POTT, in brunnum MODEL; ut igitur borax, acido vitriolico, terra alcalina vitrescibili, viscido parco inflammabili commixto, tum demum aqua constare, POTTIO videatur, quod tamen *Cl.* BRAND negat, etiam multum impugnavit BARON *Mem. de Mathematique* T. I.

Quoad

Quoad basim duplex alcali, refractarium unum, alterum minerale MODEL statuit; terram vitrificabilem unam, alteram salis marini, GEOFFROY *Acad. des Sciences 1732.* Prior cum acido vitrioli facit sal sedativum, altera cum eodem sal mirabile GLAUBERI, ut inde sal commune, vel saltem eius terram boraci inhærere contendat THUE *prod. Act. Havniens.* Unde etiam borax cum carbonibus, aut alio inflammabili fusa non reddit hepar sulphuris, IDEM, quin cum sale communi, & aliis simplicibus, arte produxit boracem, *ibidem*, a POTTIO alienus. Nuper ex borace cupri, & arsenici regulum produxit CADET.

Mechanicus, & chemicus boracis usus multus, non parcior medicus, scopo resolvendi, attenuandi viscidos tenaces humores, emmenagogus, antiparalyticus, granorum decem, viginti dosi, gummatibus, aut aliis stimulantibus iunctis. Pro expellendo fœtu mortuo specificum admodum ridiculum est. Externus usus cosmeticus.

PRÆPARATA.

SAL SEDATIVUS HOMBERGII ab autore sublimatione ex Borace cum acido vitrioli factus, *Acad. des Sciences de Paris 1702.* difficulter in aqua solvitur, MACQUER, tepida facile, CARTHEUSER, etiam in spiritu vini calefacto, cui flammam viridem conciliat; ut & Borax solet.

Hic sal, licet sublimatus, non tamen volatilis est, dum siccus maximo igni resistit, funditur, vitrificatur. Nec credere fas est, acidum vitriolicum purum semper requiri, siquidem & aluminis spiritu, & sul-

phuris

phuris quoque obtineatur, LEMERY *Acad. des Sciences 1728.* imo alio, etiam acido, nitri, ſalis conficiatur, GEOFFROY *Acad. des Sciences 1732.* Quid quod etiam exurgat vegetabili, BARON l. c. imo fieri poſſit nullo interveniente in integrum acido, IDEM, neque etiam ſublimatione ſemper, ſed ſola cryſtalliſatione opus, ut igitur ſal ſedativus ex coniunctione ſola acidi vitriolici & parte urinoſa Boracis ſublimatione naſci dici non poſſit.

Tam ſublimatione, quam cryſtalliſatione etiam cum diverſiſſimis acidis paratus ſal ſedativus, idem ſemper eſt ſal medius, GEOFFROY, BARON, leviſſimus omnium & aquæ ſupernatans, acidis mineralibus non decomponendus, ex parte tamen ſolvendus, dum volatili ſalis ammoniaci ſpiritu nullatenus ſolvitur, licet in illo illico liqueſcat, & huic miſceatur, BOURDELIN *Acad. des Sciences 1755.* Quanquam vero ſedativus ſal nec ipſo calcanthi acido alteretur, is tamen acidum nitri, & ſalis expellit, BARON. At neque inde natura huius planior, aut eſt evidentior, dum etiam ſal ſedativus acido vegetabili obtentus ex ſuis habitationibus acida foſſilia expellit. Cæterum vix ſapidus, in aere non humeſcit, cæruleos vegetabilium colores non tentat, in crucibulo absque intumeſcentia vitrificatur; vitrum aqua ſolutum evaporatione denuo in cryſtallos easdem, non mutatas ducitur; & ſi ſodæ cryſtalli ſali ſedativo iungantur, denuo regeneratur Borax.

Anodynum præſtantiſſimum, nulla præſente inflammatione, laudatur etiam in febribus malignis, in acrimonia acalina volatili, quam domat, CARTHEUSER. Datur forma pulveris a granis tribus ad decem, in

in mixturis aquoſis ad ſcrupulum, concentratis ſolutus ſal, ad guttas quadraginta, quinquaginta, ſed tum febris abeſſe debet. Sal hic omnibus in officinis non habetur.

KERMES MINERALE, vide P. III.

NITRUM *Offic. Mineralogorum.* Claſſis Naturalis Minerarum. Ordo Salinarum. *Germ.* Salpeter. *Gallis* Salpetre. *Anglis* Salt Petre.

NITRUM *prismaticum hexaedrum, in igne flagrans*, non evidentius cognoſcitur quam a cryſtallorum detonatione cum inflammabili materie. Noſtrum a nitro vel natro veterum, quod erat ſal acalinum, diſtinctum, cognitum non fuit veteribus. An in aere nitri matrix? experimenta MARIOTTE, LEMERY, *Acad. des Sciences* dudum repugnant. At oleum tartari per deliquium aeri expoſitum, in ſalem medium, tartarum vitriolatum concreſcit (quod multi negaverant) PIETSCH, & loco expoſitum, in quo corporum putrefactio ſales volatiles urinoſos producit, in verum nitrum convertitur, IDEM, quid? quod ex aquæ pluviæ maiori quantitate ſpiritus vitrioli omni dote præditus eliciatur, IDEM, tum *Cl.* MARGGRAF l. c. p. 297. & ante hos viros aquam procelloſam menſe Auguſto 1735 vaſis terreis loco elato poſitis collectam, ſulphur redoluiſſe & oleum calcis in ſimile coagulum, in quod dilutior vitrioli ſpiritus hoc agere ſolet, præcipitaſſe HELLOTTUS vidit; & ſoluto tartari ſale in aqua procelloſa 1724 tartarum vitriolatum natum GROSSE *Acad. des Sciences* 1737.

Tam naturæ, quam artis productum hocce ſal, generatur, dum terram calcaream impraegnat acidum vitriolicum, tum vel vegetabilibus, vel animalibus nubit, & per putrefactionem inflammabili, & urinoſo principio ita mutatur, ut ſit iam particulare nitroſum. Et primo quidem, quod acidum nitri acidum vitriolicum ſit, hæc argumenta ſunt: maxima ſimilitudo acidi nitri & ſpiritus ſulphurei volatilis; ex ſpiritu enim nitri cum oleo terebinthinæ obtinetur balſamus ſulphuris, & ex duabus partibus nitri crudi, aqua ſoluti, una vitrioli, ſpiritus ſulphuris per campanam, *Clariſſ.* PIETSCH *Diſſert. ſur la generation du Nitre, qui a remporté le prix de l'Academie de Berlin.* Secundo, quod huic inflammabile principium inſit, docet nitri puri inflammabilitas, ſpiritus nitri exhalatio, ſalis urinoſi exhalationem contingens, in flammam erumpens, accenſio eiusdem cum oleis ſtillatitiis &c. IDEM.

Utrumque principium nitro ineſſe hæc demonſtrant: quod verum nitrum ex ſpiritus vitrioli, urinæ putrefactæ, calcis vivæ, miſcela generetur, IDEM, etiam ex permixtis lixiviis ab antimonio diaphoretico, antihectico POTERII, & ceruſſa antimonii, elotis, reſiduis adiecto ſpiritu vini, nitrum obtinuiſſe BRENDELIUM, alii addunt, haud convincente experimento. Verum inflammabile hoc principium ab acido ſeparari poſſe, ſeparato, acidum ſupereſſe ſalis communis, KUHNST. *Act.* N. C. *Obſerv.* 138. Vol. VI. notavit; veritas adhuc latet.

Acidum nitri ſal minerale non eſſe, nec eius veſtigium in terræ viſceribus deprehendi, BOURDELIN *Acad. des Sciences* 1742. & ſemper ex nitro educi arte debere LEHMANN *Conſpect. mineral.* teſtantur. Addidit quoque principiorum in depurato, & cryſtalliſato

to hoc sale observatorum proportiones *Cl.* GEOFFROY *Acad. des Sciences 1717*, & libram unam nitri, dimidium aquæ, terræ quartam partem, quartem itidem acidi continere dixit.

PRINCIPIA igitur nitri quod spectat: I. Acidum vitrioli debilitatum phlogisto salium alcalinorum. II. Terra calcarea alcalina copiosa. III. Aqua. Ex parte phlogistica uniente terream acidæ, est, quod acidi nitri debilioris, non facilis etiam a fortiori acido vitrioli, expulsio: ab aliis alia, *Cl.* PIETSCH l. c. Acidum nitri non expellit acidum salis, quod tota chemia assumpserat, SCHULZE. Dum duæ unciæ salis marini sumuntur, & spiritus nitri fumantis uncia una, facto processu spiritus nitri obtinetur, omni dote præditus, & in retorta merum sal commune habetur, IDEM, non nitrum cubicum; & in tentamine suo *Cl.* MODEL guttas aliquot puri acidi salis obtinere non potuit, licet inde productus spiritus hoc esset mixtus, quod argentum non aggrederetur, IDEM. An hic spiritus ex utroque acido constans, erat aqua regia? omnino: licet enim aurum non solvisse illico visum MODELIO, solvisse tamen aliis observatum, & HOMBERGIO *Acad. des Sciences 1706.* & BRAND *Acad. Reg. Suec.* & GMELINO *in Praefat.*

Limitanda vero SCHULZII, & aliorum virorum experimenta esse, nuperrime novis tentaminibus docuit *Cl.* MARGGRAF *Script. Chem. Germ. Berolini 1761.* & acido nitri certo expelli acidum salis, & nitrum cubicum obtineri, modo debitæ proportiones serventur, p. 147. 149. & contra, acido salis tam ex nitro cubico, quam prismatico, acidum nitri expelli. p. 160.

PROPRIETATES. Nitrum purum leviſſimum ſalium, marino liberum in aere ſiccum manet, in aqua ſolvitur, totum leni igne funditur, & per crucibulum tranſit, cum carbonibus fulgurat, parum carbonum relinquit, ſponte tamen non inflammatur: non eſt acidum, nec alcalinum, licet utrumque elici poſſit: deguſtatum frigiditatis ſenſum cum amarore linguæ imprimit. Acidi maximam quantitatem poſt vitriolum in ſino ſuo fovet, illud vaporum cæruleorum forma prodit mediante arſenico, rubrorum vero interveniente vitrioli oleo tanta quantitate, ut dimidia fere nitri adhibiti obtineatur.

Quanquam vero vaporum horum ratione intervenientis corporis alia aliquantulum ratio ſit, ii etiam alba aſcendant forma, dum fumatis nitri acidum vitriolico coniungitur acori, eſt tamen hæc vaporum rubrorum natura nitro adeo individua, ut in nullo alio acido, quam in hoc obſervetur; & certum eſt in miſcela, aut deſtillatione acidorum foſſilium, aſcendentes rubros vapores, aut admixti nitri, aut generati indolem teſtari, que res probe tenenda eſt, exempli gratia: ſublimatum absque acido nitroſo factum, nitroſi quid rubrorum vaporum forma dimittit in phænomeno: & hic acidum ſalis in acidum nitri converti debuit, ut ſublimatum rubros vapores dimitteret; equidem, ſi in eo adfuiſſet verum nitri acidum, id cum ſalis acido debuiſſet conſtituere aquam regis aurum ſolventem, quod non eſt in experimento &c. POTT. *Send-Schreiben.* Habet adhuc nitri acidum alias longe diverſas, argentum ſeu purum, ſeu cupro permixtum ſolvit.

Con-

Concentratum nitri acidum cum multis oleis ſtillatitiis, multis etiam preſſis luculenter ardet; cum ſtillatitiis quidem graviſſimis per ſe, cum preſſis vero vitrioli acuatum acido. Sunt etiam olea, cum quibus ſolum fumat, & eſt in diverſis harum ſubſtantiarum experimentis ſucceſſus, tum ratione acidi nitroſi, tum ratione admixtionis modi, tum ratione temporis, diverſus, ut teſtatur RUELLE *Acad. des Sciences.*

Et primo quidem thermometro glaciem denotante, & datis ampliſſimis vaſis, tum inflammatur terebinthinæ oleum, dum ex commixtis liquoribus exorto fungo acidum nitri ſuperfunditur ſatis concentratum, cuius pondus ad eandem aquæ menſarum hoc complexum calculo, ut ad

Aquæ - -	unc. I.
I. Acid. nitroſum - -	unc. I. drach. III. ſcrupulos duos habeat.
II. Acid. nitroſum - -	unc. I. ſemis minus XII. grana poſſideat.
III. Acid. nitroſum - -	unc. I. ſemis, & duos ſcrupulos.

Hac acidi nitri activitate diverſa, vidit inflammari oleum Terebinthinæ, Cedrinum, Iuniperinum, Lavendulæ; fuere pariter in flammam concitata olea preſſa, oleum lini preſſum a ſecundo acido nitri magis adhuc a tertio, oleum nucum, cannabinum ſolum a tertio. Nitro ſolo acido vix inflammari potuit oleum olivarum, amygdalarum, raparum, ſed hic vitrioli oleum ſuppetias ferre debuit, ut etiam obſcuriori & partito incendio hæc olea flagrarent, quanquam id

 ipſum

ipſum oleum eadem, cum phlogiſto deſtituatur, nunquam inflammet, & ſi pulverem pyrium oleum glaciale unquam accendit, id ex phlogiſto pulveris pyrii pendebat. Cæterum, ut ex lixivio nitri, addito oleo vitrioli, catharticum ſal confici poſſit, docuit *Cl.* PIETSCH *diſſert. citat.*

Vis nitri attenuans, ſolvens, in inflammationibus proficua, utique & ſanguinem fluidiorem, & rubicundiorem reddit! SCHWENKE: etiam æſtum antiphlogiſtica compeſcit, BOERHAAVE: adhæc diuretica aquoſis mixta, ut aquis medicatis in corpore reſtitantibus addatur. Doſis in libra aquæ drachma ſemis, una.

PRÆPARATA.

ARCANUM DUPLICATUM acido vitrioli & parte alcalina nitri conflatum, ſal commune plerumque recondit; docet ſpiritus per additionem arenæ elicitus, mercurium ſublimatum colore albo præcipitans, & aurum foliatum ſolvens, aquæ forti mixtus. Cæterum eiusdem, ac præcedens, uſus, nec ipſa doſis diverſa eſt.

MAGNESIA ALBA NITRI. Ex lixivio a nitri cryſtalliſatione reſiduo, evaporato, calcinato, parata, calx eſt in acidis ſoluta amara purgans; ſicca cretæ ſimilis, nullius odoris, nullius ſaporis, albiſſima, ſerum tamen corporis movens, & lympham ſolvens, certo experimento, HUNDERTMARK *de Saccharo Saturni.* Sunt, qui inutilem dicant, haud certa autoritate NEUMANNI, IDEM. Abſorbens eſt, acido laborantibus utilis, cathartica, etiam pueris, a granis

nis quinque, ad decem, in lacte datur: adultis a drachma semis ad drachmas duas, unciam semis, HUNDERTMARK, etiam a drachma semis ad unam, cum aliis scopo absorbente, est etiam diuretica, sudorifera, in humorum acrimonia, minori dosi scrupuli unius, bis, ter, de die sumta, HUNDERTMARK l. c.

NITRUM ANTIMONIATUM, acido vitriolico, & parte nitri alcalina pro maxima parte constans, est arcanum duplicatum, nitro, & regulo inquinatum. Usus priorum.

SAL PRUNELLÆ, seu nitrum tabulatum, cum exigua sulphuris quantitate paratum, minus nitro refrigerat, ad anginas inflammatorias, gargarismatibus drachmæ semis vel unius dosi additum, valet.

SAL POLYCHRESTUS. Acido sulphuris, & basi nitri constans, sal enixum, resolvendi, & abstergendi, scopo datur, a granis decem ad viginti in pulvere: A granis viginti ad drachmam in libra decocti solventis.

SPIRITUS NITRI ACIDUS, omnium mineralium maxime causticus, corrosivus, dilutus dandus. Vide *Venena*.

SPIRITUS NITRI DULCIS. Ad sui dulcificationem maiorem alcoholis vim deposcit, quia acrior. Ad minimum quinque partes addi solent: bene custodiendus vase clauso, temporis successu etiam acrior evadit, ut sæpe de novo dulcificari debeat. Criterium, perfecte dulcificatorum salium acidorum, est ho-

horum ab additis ſalibus alcalinis quies. Doſis a guttis decem ad triginta, de viribus alibi.

SAL GEMMÆ, MARINUS, FONTIUM *Offic.* MURIA *Mineralogiae.* Claſſis Naturalis Minerarum. Ordo Salinarum. *German.* Berg-Saltz, See-Saltz, Brunnen-Saltz. *Gallis* Sel gemme, Sel commun, Sel de Fontaine.

Muria foſſilis pura, SAL GEMMÆ, *muria marina*, SAL MARINUM, *muria fontana*, SAL FONTIUM, definitur. Sitne ſal marinum cum ſale gemmæ idem, ut in *Actis Regiis Pariſ.* 1702. HOMBERGIUS? magna dubitatio. Sal marinum non a montibus ſalinis provenire, ſed in mari continuo generari, iam dudum HIERNE monuerat.

SAL GEMMÆ durum, cubicum, ſemi diaphanum, aqua non facile ſolubile, ab alcali fixo, aut volatili non præcipitatur; contra marinum, & fontanum, quod aqua illico reſcrandum, alcali fixo, & volatili, ejicitur ex ſolutione alba: An, quia hæc magnam vim alcali natura rudiori, & terrea præditi in ſe continent, dum proportionata magis in ſale Gemmæ principia ſunt, etiam intimius coniuncta? res ſane plana eſt. Sal gemmæ ſolidum, modo album, cinereum, quale Polonicum, Tranſylvanicum, Hungaricum, modo rubrum, cæruleum; quale Hiſpanicum, ex fodinis, ſaxorum in morem, ferro exſcinditur. Coloratum omne metallicis partibus inquinatum eſt.

USUS eius in clysmatibus apoplecticorum, lethargicorum, ubi excitandum, ſtimulandum, revellendum,

ſa-

ſatis efficax; a drachma una ad unciam ſemis, unam præſcribitur.

SAL MARINUS per maria ubique diſtributus, maiori quantitate ſub æquatore, minori ſub polis reperiundus, triplici artificio, ex aqua marina, ſole, igne, frigore, chemicam evaporationis operationem abſolventibus, obtinetur. Prima Hiſpanis, Portugallis, Cretenſibus, Gallis, familiaris methodus; altera ſolis Gallis, tertia ſeptentrionalibus populis propria. Sal in lacubus, foſſis, ſole vel frigore chemicis, concretum, ſapidius, & ad uſum culinarium, & medicum excellentius habetur, excoctum igne deterius, amarius, quale etiam illud eſt, quod ex profundis puteis extrahitur, & tam nitroſa, quam bituminoſa, & terrea materie inquinatum difficilius depuratur.

Sal Marinum modo antea dicto præparatum, etiam aliis additis deſpumatum, in cryſtallos albicantes cubicas concreſcit, tumque depuratum officinis vocatur; ſunt vero & in eadem hac quæſtione ſequentia momenta tenenda: ſcilicet depuratum hoc ſal non adeo caſtum eſſe, ut non infectum adhuc aliis deprehendatur, ut frequenti puræ ſolutionis ſalis tartari fixi, quæ huius criterium, experimento MARGGRAFIUS docuit; & cubicam his ſalibus conſtantiorem figuram eſſe, licet tamen non perpetuam, nec eſſentialem. Sal Polonicum, quod *Iarka* dicitur, longis nitro ſimillimis cryſtallis confiari, & quod *Schibier* vocant, rhomboidalibus coire, LEHMANNUS auctor eſt, Sibiricum, quod *Zagan Ijus* appellant, cryſtallis nitro ſimillimis conſtare, GMELINUS obſervat: eſſe etiam, ubi ſubinde figuram regularem cryſtallinam ſal commune aſſumere renuat, CARTHEUSER habet.

Cæterum aqua marina diverſis Sueciæ locis diverſam quantitatem ſalis largitur, modo unam trigeſimam, modo unam decimam ſextam, modo unam decimam, SWEDENBORGII *Miſcell.* vix maiorem ad littora Hollandica, ad Hiſpanica ſpectabilem. WALLERIUS *Hydrolog.* Cæterum increſcit ſalſedo maris pro ratione decreſcentiæ longitudinis dierum, & viciſſim decreſcit pro ratione creſcentiæ longitudinis diei; ſiquidem in ſolſtitio hyemali ſalſedo maris in ſinu bothnico ea deprehendatur, ut ex 50 tonnis aquæ, una ſalis obtineatur; in æquinoctio vero ſive vernali, ſive autumnali 150 tonnæ aquæ, in ſolſtitio æſtivali 300 aquæ, ad unam ſalis excoquendam vix ſufficiant. Eſt pariter ſalſedo maris ſub fluxu maior, quam ſub refluxu, eſt etiam in alto mari maior, quam prope littora, WALLERIUS; & aquam ex ſuperficie deſumptam 35 ſui ponderis partem, e fundo vero hauſtam 29 in ſalem largiri MARSIGLI *Hiſt. de l'Acad. des Sciences 1710*, teſtatur. Nec ea ſemper imprægnata eſt aqua marina ſalis quantitate, quam ſolvere valeat, vidit enim modo laudatus Comes MARSIGLI, aquæ marinæ eam copiam, quæ ſalis drachmas ſex continere debuiſſet, adhuc alias quatuor cum dimidia ſolviſſe.

PRINCIPIA. I^um^ acidum ſalis, quod aliqui ſimplex, alii vero duplex non exigua opinionum varietate pronunciant, ſubtilius hoc, aliud fixius ſtatuentes. At certum eſt, in ſale marino depurato, & genuino unum ſolum, & ſimplex acidum deprehendi, & exemplum terræ virgultis, in ædibus gradatoriis, adhærentis non ſuppeditare acidi volatilioris argumentum, ſed ſolum acidi marini baſi terreæ laxe iuncti. II^um^ alcali minerale eſt, in depurato ſale marino ſimplex; ſunt etiam, qui duplex ſtatuunt genus alcali, unum terreum, aliud ſa-

ſalinum, quod cum acido vitrioli tartarum vitriolatum, cum acido nitri nitrum cubicum efformet, dum ſimplex terra alcalina id nunquam facit. *Cl.* PIETSCH *Diſſertation du Nitre qui a remporté le prix.* Eſt tamen in ſale ſolum unum genus alcali, idque ſalinum. Experimenta MARGGRAF decretoria vide l. c. p. 167. ſeq. & eſt ſal hoc alcali minerale diſtinctum ab omni ſale alcalino fixo, IDEM, & a terra, quæ illi in non depurato ſale marino fuerat coniuncta. Unde etiam cryſtalli cubicæ, hac eadem ablata, adeo magnæ obtineri non poſſunt, quam hac præſente, & eſt poſterior, ſeu depuratus ſal marinus perfecte neuter, qui nec igne ipſo videatur decomponi poſſe. BAUME *Manuel de Chymie.*

Cæterum ſunt, qui ſali communi aliquid terræ inflammabilis adhuc ineſſe, non absque fundamento ſuſpicantur, referente THUE *Prod. Act. Havnienſ.* quod tamen alii minime perſpiciunt. Fixum acidum an vitriolicum? an ſpecificum? multa in utramque partem argumenta ſunt POTT. MACQUER. Aliud magnæ teneritatis, & volatilitatis acidum eſt, cum iterata ſolutione ſal commune cadaver terreum in experimento exhibeat, igni expoſitum ſal commune per ſe acidum brevi dimittat, & ſic omnem ſuum ſpiritum repetito opere largitur. POTT *Obſerv. Chem.* coll. I. p. 9. MACQUER *Memoir. de l'Acad. des Sciences 1738.*

PROPRIETATES eius quod ſpectat, in aere humeſcit, nitro etiam, quod plerumque inquinatur, promptius in aqua ſolvitur, in igne diſſilit, crepitat cum fragore, & in pulverem gryſeum fatiſcit, tum ſal decrepitatis dicitur: fortiori igne funditur, absque ſui im-

imminutione diu superstes, alia fluida reddit, & illa in flore conservat. Cum borace non ut alia salia spumat, quod magnam affinitatem indicat: alia prius dicta sunt. In corpore animali perstat immutatus, in urina demum demonstrabilis, tum, & in illis reperitur, qui nunquam assumpsere, POTT, valide tamen corpus mutat, rigidiori stimulo febrim excitans, etiam acrimoniam muriaticam ponens.

USUS antisepticus, condiens, in œconomia humana, & medica multus, gangrænam figit, sugillatas, contusas, quassas partes stimulat, extravasatos humores resolvit in fomento: additur adhuc stimulandi, & discutiendi scopo pulveribus includendis sacculis, cataplasmatibus &c. Est etiam apophlegmatisans. Sale hoc impraegnata aqua, fere ad eadem valet, ad morbos glandularum persanandos eximia inventa. RUSSEL proprio libro *de aqua Marina.*

PRÆPARATA.

SAL DECREPITATUS aquæ vel maxime bibulus, cruribus hydropicorum calide applicatus utilis, sed usus eius cautus esse debet, quod facile exulceret; sacculis Cephalicis plantis confectis cum successu additur in Hydrocephalo.

SPIRITUS SALIS MARINI acido vitrioli expulsus, acidissimus, omni spiritu fossili acido subtilior, & penetrantior, putredini potenter resistit, in scorbuto aquatico oris, specificus, tripla aquæ quantitate dilutus, aut etiam purus pennicillo pustulis gangrænosis applicatus, L. B. van SWIETEN. Ad hernias olim in Galliis laudatus vino rubro sumtus,

GEOF-

GEOFFROY *Mat. Med.* effectus hodie non respondet; tum ad calculum renum dissolvendum & expellendum, in vehiculo convenienti, IDEM *ibid.* datur efficaciter in diarrhoeis, dysenteriis biliosis, putridis, dilutus in vehiculo ad gratam aciditatem.

Mixtura ex unciis duabus salis cum una olei vitrioli facta, superfusis duabus unciis olei terebinthinæ, destillata dat spiritum salis oleo terebinthinæ mixtum, qui ab aqua purus redditus laudatur ut optimum topicum, quod arthritidem fixam, paralysim, & alios morbos sæpe curasse, & tumores duros calcarea materie refertos resolvisse fertur. *The Gentlemans Magazine for Sept. Decemb. 1752. 1753.* Cæterum pulmonibus plurimum infensum hunc spiritum FR. HOFFMANN *de Medicamentis Selectioribus* habet, & ad urinæ fluxum ciendum eo non præstantius aliud medicamentum. Spiritus salis pernionibus applicatus laudatur. *Recueil periodique &c.*

SPIRITUS SALIS DULCIS non eo cum alcohole coniugio, ac alia acida fossilia vitrioli, Nitri iunctus in doloribus, spasmis, flatibus, egregie anodynus, etiam diureticus, a guttis decem ad triginta dandus; saccharo instillatus, vehiculo dilutus. Cum charta emporetica caute cuti applicatus hirsutiem tollit, crines exstirpat *Illust.* ROSEN.

SAL MIRABILE GLAUBERI; Sal enixum est, acido vitrioli iuncto basi salis communis decrepitati constans. Sal hoc minerale in acidulis martialibus reperitur STAHL *Spec. Becher.* In aquis mineralibus aliis HOFFMANN, HENCKEL, etiam naturaliter in sinu terræ est BOULDUC *Acad. des Scien-*

ces & in Tamarifco Narbonenfi MONTE *Acad. des Sciences.*

Naturale, vel factitium, femper a Tartaro vitriolato diverfum eft, primo figura cryftallorum oblongorum fexlaterum MACQUER, quadrilaterum & aliquando pentagonorum BOULDUC *Acad. des Sciences 1724.* in aere aperto facile fatifcentium IDEM, & alii omnes; fecundo faciliori in aqua folubilitate, vide fcalam folutionum falium. Tertio etiam aliis GLAUBERO recenfitis proprietatibus difcrepat.

PRINCIPIA eius patent: Sal mirabile GLAUBERI, ut alia taceam, eas omnes fubftantias metallicas præcipitat, quas oleum vitrioli folum dejicit, ut acidum vitriolicum adfit. Solutio bafis huius falis cum fpiritu nitri, dat nitrum cubicum, quod fupra carbones, ut nitrum fundatur, BOULDUC *Acad. des Sciences* a. c. Cum fpiritu falis, fal marinum verum IDEM.

Incidens hic fal eft, datur a granis XX ad XXX & ultra adultis.

SAL DIGESTIVUS SYLVII. Falfo fal commune regeneratum, ex acido falis in fale ammoniaco præfente, iuncto alcali lixiviofo tartari exurgit, diftinctus eft ab ipfo fale communi ratione bafeos, diftinctione non adeo fpernenda, ut credidere NEUMANN *praelect. Chem.* GEOFFROY *Acad. des Sciences 1720*, MACQUER *Chymie;* nam quamvis cryftalli elixiviatione & coagulatione obtentæ cubicæ, in igne ut fal marinum decrepitent, tamen etiam a fale marino difcrepant, quod fublimati corrofivi fublimationem albidam præcipitent, & violarum tincturam viridi colore inficiant, acriori fint fapore, fluxu etiam in

in igne celeriori, & aliis POTTIO *de ſale communi* dictis dotibus.

Acidum, quod huic ſali communi regenerato ineſt, ab acido nitri certo expellitur, quod tamen non expellebatur ex ſale communi, adeo facile in experimento *Cl.* MODEL, quippe acidum nitri, ardentius in amplexum alcali fixi vegetabilis, acidum ſalis in coniunctionem alcali mineralis ruit, IDEM *de Borace*, p. 18. ſed etiam in hoc experimento paucum obtinetur nitrum cubicum IEEM, miro ſane ſpectaculo! Experimenta *Cl.* MARGGRAF de ſale communi regenerato, fere eadem ſunt: ab acido nitroſo obtinuit nitrum prismaticum, ab acido vitrioli tartarum vitriolatum, non ſal mirabile, quod falſo edixerat NEUMANN; tum & clare huius viri experimenta eam *Cl.* MODEL ſententiam, ſcilicet acidum ſalis in coniunctionem alcali mineralis promptius, quam alterius cuiuscunque, rapi, luculentius confirmant: dum enim ſali communi calcareum commiſceret lapidem, & huic calcem vivam adderet, inſtituta operatione nunquam potuit ſalis acidum in hæc, quæ cæterum amat corpora, deducere.

Quoad uſum medicum ſal hic multum laudatur in primarum viarum glutinoſa ſaburra incidenda, etiam in febribus intermittentibus, ſumptum bihorio ante paroxyſmum, calefacto per theiformia corpore: doſis drachma una.

Ultimo demum nec id ignorari debet, plurima ſalia adhuc naturalia ex acri, ſulphureo, lixivio, reſiduo in ahenis poſt coctionem, & cryſtalliſationem ſalis communis, educi poſſe. Et quidem,

1. Sal

1. Sal mirabile nativum.
2. Sal ebshamenſe nativum.
3. Sal quoddam, quod refert boracem & ſal gemmæ.
4. Tartarus vitriolatus nativus.
5. Sal commune, cuius cryſtalli fulgore ipſos æmulantur adamantes.
6. Sal commune referens ſal ammoniacum.
7. Bona portio ſpiritus ſalis ſulphurei.
8. Sal ſeleniticum cum terra calcarea cruda.

THUE *Prod. Act. Havniens.*

Ad hanc Claſſem pariter ſpectant

SALES ALCALINI FIXI, *vide Venena.*

SAL TARTARI, *ibidem.*

SALES ALCALINI VOLATILES, *vide Venena.*

SALES VEGETANTIUM USTULATORUM.

ABSYNTHII.

STIPIT. FABARUM.

GENISTÆ.

SULPHUR ANTIMONII AURATUM, *vide antim.*

TARTARUS VITRIOLATUS. p. 64.

TERRA FOLIATA TARTARI ex acido oleoſo aceti, & alcali lixivioſo conſtans, alias etiam

etiam *Tartarus regeneratus*, *Arcanum tartari*, & *Sal essentiale tartari* dicta, saporis mirabilis species est, qui omnibus liquoribus miscetur promtissime, vel in ipso alcohole vini facile dissolubilis: qui omnia gummata resinosa, oleosa, viscosa, sive animalia, vegetabilia, solvit optime, imo laccam, succinum, myrrham, tenacissima certe corpora, HUXHAM *de constitut. aeris;* qui brevi in aere deliquescit in liquorem terræ foliatæ tartari.

Sal hic medius, optimus habetur, albus, foliatus, instar Talci splendens, ad attactum levis, unctuosus, saporis quidem pungentis, non tamen prædominans acidum aut alcali detegentis; qui alias dotes habet, male paratus est, brunnus, oleum aceti ustum testatur, unde pessimus CADET *dans un Memoire lu à l'Acad.* Sunt vero notabiliora, rectæ huius salis cæterum difficilis, præparationis momenta:

I. ut purum sal tartari in aqua frigida solvatur.

II. ut colatura ad punctum saturationis, acido ex vasis vitreis, aut terreis destillato, saturetur; cuprea enim cupro acetum inficere possent, & hinc malæ qualitatis progenerare salem.

III. ut colaturæ iam saturatæ acidum adhuc superaddatur.

IV. ut leni igne absque ebullitione evaporatio ad pelliculam fiat.

V. ut ulterior in balneo mariæ suscipiatur, eburnea spatula massam agitando, donec in spumam albam concesserit, quæ in furno calido magis exsiccanda veniat, CADET *ibidem.*

Cæterum non adeo volatilis eſt, ut multi credunt, imo eouſque igni reſiſtit, donec omne fere acidum evaporetur tandem, ſale ſolum alcalino fixo manente, HUXHAM.

Ultimo & id notari meretur, Arcanum tartari a Tartaro regenerato non diſtinctum plurimos contendere, imo ipſum iam id edixiſſe TACHENIUM; horum tamen diverſam naturam patefecit in proceſſu cum oleo vitrioli inſtituto *Cl.* Vir POTTIUS *diſq. unionis acidi Vitriol. & acid. tartari germ. Berolini 1761.* Equidem illico vehementem cum arcano tartari conflictum iniit oleum vitrioli, & aperto fumo in aera rapiebatur, tum inſtituta deſtillatione maxime concentratum cum albidis vaporibus acetum deſtillatum tranſiit, oleo bruno in fine ſæpe exceptum, quæ tamen in tartaro regenerato non obſervantur.

USUS MEDICUS. Multum multis deprædicatus ad lentos pituitoſos humores diſſolvendos, obſtructiones reſerandas. Doſis a granis quindecim ad triginta in hauſtu decocti ſolventis; vix ullam habet acrimoniam hoc remedium, æque tuto pleuriticis, ac hydropicis exhibendum, HUXHAM. Huc etiam revoca lapides cancrorum aceto, vino ſolutos, ſpeciem ſalis medii facientes.

TARTARUS TARTARISATUS ex acido tartari, & ſale lixivioſo factus, parum a terra foliata tartari diverſus, in aqua, & ſpiritu vini ſolubilis, ſalibus mediis aliis tenerior, hæc etiam virtute ſuperat, in ictero, viſcerum obſtructionibus, eadem doſi; huius medicamenti egregium multiplici experimento effectum, omnibus aliis incaſſum adhibitis in melancholia invenit *Cl.* Vir MUTZEL.

SAL

SAL SEGNETTI ex acido tartari, & alcali fodæ cryſtalliſatum in aqua facillime ſolvitur, etiam frigida in pulverem redactum; carbonibus ardentibus inſperſum funditur, & ebullit demiſſo tartari uſti odore; in aqua calida ſoluto, ſi paucum olei vitrioli affundatur, cremor tartari cryſtalliſati, & ſal mirabile GLAUBERI obtinentur, BOULDUC *Acad. des Sciences 1731.*

USUS & doſis præcedentium.

SAL VEGETABILE ex acido tartari, & baſi ſalis marini, alcali minerali, cryſtalliſatum, MACQUER, cryſtallis parallelepipedis planis, in Gallia multum in uſu: doſis eadem.

TARTARUS SOLUBILIS ex acido tartari, & ſale urinoſo conflatus, cum ſale ſecreto GLAUBERI multam affinitatem habet, facile in aere diffluit, in ipſo ſpiritu vini ſolubilis, etiam in igne ſemi volatilis eſt.

Aliæ adhuc ſpecies tartarorum ſolubilium aliis factæ, ex acido tartari & alcali Boracis, LE FEVRE, LEMERY *Acad. des Sciences.* Cum calce, creta, oſtracodermatis calcinatis, non calcinatis, DU HAMEL, BOULDUC, GROSSE. Omnes vero ſolubiles tartari, facti cryſtallis tartari & ſale alcalino, omnibus acidis decomponuntur, nequidem acido aceti excepto, & reſuſcitantur cryſtalli tartari, manifeſto argumento, baſi adoptivæ laxius cohærere acidum tartari, propriæ, quam nunquam in totum deſerit, arctius. Ex his intelligitur, hæc ſalia cum aliis acidis, tamarindis, aceto &c. nec in mixturis, nec in decoctis præſcribi debere, cum adeo facile decomponantur.

Hac vero facilitate ſolubiles tartari etiam aceto decomponuntur, ut docetur in *Act. Acad. Scienc. 1733.* & omnium quidem facillime

I. Tartarus ſolubilis cum cineribus factus.
II. - - - cum Creta compoſitus.
III. - - - oſtrocodermatis non calcinatis.
IV. - - - cum calce.
V. - - - oſtrocod. calcinatis.
VI. - - - ſale tartari.
VII. - - - cum ſoda.
VIII. - - - cum Borace.

Cæterum ſunt etiam ex his, qui in aere liqueſcant, ut numero V, VI, *ibidem.*

TINCTURÆ horum *Simplices & Compoſitae.*

TINCTURA TARTARI ſale tartari, & ſpiritu vini conſtans, antacida, aperiens: doſis a guttis decem, ad triginta in vehiculo.

TINCTURA MARTIS TARTARISATA.

TINCTURA ANTIMONII cum liquore nitri fixi, vide *antimon.*

MERCURIUS. Varia eius præparata, vide *Sialagoga.*

AQUÆ MEDICATÆ SALINÆ, vide *purgant.*



EX

EX ANIMALIBUS.

FORMICÆ *Off. Entomologorum.* Classis Naturalis Insectorum. Ordo Hymenopterorum. *Germ.* Ameisen. *Gallis* Fourmis. *Anglis* Pismire.

FORMICA *thorace compresso, ferrugineo, capite, & abdomine nigris,* contrita odorem penetrantem spirat, examine chemico inter omnia animalia maximam acidi vim largitur, HOMBERG. *Acad. des Scienc. 1712.* licet duplex sal habeat, acidum unum, alcalinum aliud, HIERNE.

Unciæ tres formicarum mundarum 1mo unciam dimidiam liquoris aciduli. 2do unciam dimidiam liquoris pellucidioris, magis acidi. 3tio tres drachmas liquoris clarioris, etiam magis acidi. 4to spiritum minus acidum, cui iam olei, & salis volatilis aliqua pars admixta erat. 5to sal copiosum in collo retortæ, largiuntur. Oleum ætherereum inesse NEUMANN, etiam MARGGRAF, *Acad. de Berlin 1749.* spiritu vini tartarisato solum solubile, phosphorum solvens, non acidum: etiam aliud unguinosum, pressione eliciendum, omni dote aliis oleis pressis simile. Acidum harum sali alcalino mixtum, salem medium constituit. Cæterum formicarum ova fere matura, ut etiam iuniores formicæ, acidum non largiuntur NEUMANN.

USUS MEDICUS, totius nidi cum insecto, in paralysi, artuum tremore, atrophia, in balneo utilis, interne spiritus formicarum acidus magnum stimulans iisdem morbis, & ubi in parte, vel toto motus augendus, valens, gutt. viginti, ad quadraginta dosi. Externe etiam dolentibus a rheumatismo, arthritide partibus in declinatione illinitur.

LUMBRICI.

MILLEPEDES.

Huc refer ex diversis naturæ Regnis petita olea empyreumatica, quorum nonnulla interne, & externe administrari possunt; talia sunt

OLEUM SUCCINI.
LIGNI GUAIACI.
BENSOINI.
EBORIS.
UNGULÆ ALCIS.
CORNU CERVI.
SANGUINIS.
ANIMALE DIPPELII.

Atque hoc quidem ultimum, oleum est sanguinis vel cuiuscunque animalis partis empyreumaticum, destillatione solitaria duodecies abstractum, ad spiritus propemodum subtilitatem deductum.

Multum olim laudavit Autor in epilepsia, arthritide vaga, podagra; utile in iisdem morbis etiam recentiores com-

comprobarunt; ita in tuberculis post morbos arthriticos, in exostosibus, tophis, induratis glandulis, epilepsia symptomatica, ex morbis spasticis, tam interno, quam externo usu BAUMER *Act. Acad. Mogunt.* T. I. Oculi suffusionem incipientem, eo curatam, confirmatam imminutam, IDEM *Ibid.* Anodynum esse, & placidum somnum, etiam per viginti quatuor horas, inducere cum euphoria, HOFFMANN *Observ. Physic. Chemic.* Post hos anodynum, antispasmodicum, discutiens, diaphoreticum, tam interne a XV. ad XXX. guttas datum, quam externe spinæ dorsi inunctum, *Cl.* VENEL *in Quaestione IV. pro Cathedra Medica vacante Monspeliensi*, dixit.



CLASSIS SEPTIMA

INSPISSANTIUM.

Quæ nimiam humorum fluiditatem, tenuitatem emendant, INSPISSANTIA, seu INCRASSANTIA dicuntur, quæ horum acrimoniam involvunt, OBVOLVENTIA, seu OBTUNDENTIA: quæ vero siccos nimium solidorum parietes, & asperos lubricant, LUBRICANTIA, seu OBLINIENTIA proprie dicuntur.

Usum prima habent, ubi signa docent humores adeo tenues esse, ut vasis suis coeceri nequeant, quales sunt hæmorrhagiarum, sudorum profusiorum, Diabetis casus; Alia indicantur, ubi humorum acrimonia solutionem fluidorum facit, & vasorum erosionem minatur; alia in aliis circumstantiis requiruntur.

Triplicis huius Classis auxilia pro re nata ex diversis petuntur, & I quidem

EX PLASTICIS.

ALTHEÆ *Rad. Decoctum* p. 4.

AVENÆ *Decoctum* P. I. p. 2.

CACAO *Off.* THEOBROMA *Botan.* Classis Naturalis Pauci-stam. *omnibus* Cacao.

THEOBROMA *foliis integerrimis*, fructum largitur multum oleaginosum, nunquam rancescentem,

tem, toſtum nutrientem, acrimonia laborantibus, tabidis, ſenibus, utilem. Inde butyrum, & cocholada: butyrum ebullitione ex fructu toſto elicitur, raro ranceſcit & præ reliquis oleis pinguibus, id habet, quod conſiſtentiam non amittat, etiam magis album fiat.

Recens anodynum acrimoniam involvens, morbis pectoris aſperis utile, cum ſaccharo in formam tabularum redactum. Cocholadæ compoſitio nota eſt, ipſa reficiens, nutriens, reſtaurans.

CANNABIS *Semen* p. 5.

CYDONIORUM *Semen*, *Mucilago* P. I. p. 42.

DACTYLI P. I. p. 44.

EMULSIONES *ſaturatæ*.

FICUS P. I. p. 44.

FARINOSORUM *decocta*.

AVENÆ.

CICERUM.

FABARUM.

HORDEI.

LENTIS.

OROBI.

SECALIS.

TRITICI P. I. vid. *cereal. legum.*

GELATINÆ ANIMALIUM.

CORNU CERVI.

EBORIS.

PEDUM VITULINORUM.

GELAT. VEGETABILIUM FRUCTUUM.

GLYCYRRHIZÆ *Radicis Decoctum* vide p. 124.

GUMMI ARABICUM *Offic.* MIMOSÆ *Botanicorum.* Classis Natur. Incomplet. *Germ.* Arabisch Gummi. *Anglis* Gum Arabic. *Gallis* Gomme Arabic.

GUMMI ARABICUM arboris adstringentis, mollis succus, pellucidus, ex albo flavescens, aqua totus solubilis, oleis & spiritu vini non solvendus, prorsus mucilaginosus, insipidus, tenues humores inspissat, acres involvit, abrasum oris, œsophagi, ventriculi, intestinorum, mucum restituit, ob id in omni acrimonia valet, præprimis in tussi acri, cardialgia, singultu, colica, diarrhœa, dysenteria ab erosione muci, & acri, itidem in ardore urinæ, vel in pulverem contusus, vel in vehiculo solutus, drachmæ semis, unius pondere.

Notari meretur, industrium virum BOGLE FRENCH Pharmacopœum Londinensem nuper artificia, olea, resinas, & pingues alias substantias aquæ miscendi, ope mucilaginis gummi arabici, tum sola agitatione commixtorum in phiala, tum trituratione, docuisse, horumque unionem pertinacem satis esse, adiecto syrupo. *Medical observations and inquiries &c.* T. I.

Est vero rerum harum talis modus, ut, si mucilaginis gummi arabici drachmam unam, olei olivarum, vel amygdalarum dulcium, vel lini drachmas duas sumpseris, & in mortario commixtis sensim aquæ unciam unam affuderis, emulsionem veram obtineas; item si par-

partes æquales mucilaginis & balſami copaivæ ſumpſeris, trictis ſubactis aquæ unciam unam addideris, emulſionem etiam obtineas. Camphora, & Moſchus eadem methodo facile ſubiguntur & forma liquida exhibentur. Cæterum non aliud gummi æque efficax obſervatum ac gummi arabicum, ſiquidem cum gummi tragacantha non ſucceſſerit experimentum; & notari adhuc meretur mixtionem aut acido aut medio ſale non turbari, turbari vero adiecto alcalino.

GUMMI CERASORUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Calycitlorarum. *Germ.* Kirſchenbaum-Glibber.

Ex Ceraſo *foliis ovato lanceolatis*, ſtillans rubellum, inſipidum, eiusdem, ac præcedens gummi, virtutis eſt. Notari ea meretur ab HASSELQUIST facta obſervatio, plus centum homines obſidione cinctos, per duos fere menſes absque alio cibo, ſolo hoc gummi in ore liquefacto & deglutito vitam ſuſtentaſſe. Gummatum analyſis exhibuit multum aquæ, acidi, paucum olei, aliquid alcali volatilis, & in carbone alcali fixum. MACQUER.

GUMMI TRAGACANTHÆ *Offic.* ASTRAGALI *Botanicorum.* Claſſis NaturalisLeguminoſarum. *Germ.*Tragacanth-Gummi. *Anglis* Gum Tragacanth. *Gallis* Gomm Tragacanthe.

ASTRAGALUS caudice arboreſcente, petiolis ſpineſcentibus, vermiculatum hoc gummi, flavum, quod puriſſimum, album, quod aliis commixtum exhibet, in iisdem ac priora laudatum, eadem doſi. Collyriis etiam additur ſolutum, forma mucilaginis.

HOR-

HORDEI *Decoctum*, *Cremor* P. I. p. 3.

ICHTHYOCOLA *Offic.* Classis Artefactorum ex Piscibus. *Germ.* Hausen-blasen. *Anglis* Insinglas.

Ex Acipenseris *tuberculis carentis*, pinnis, intestinis, corio, excoctum gluten est, quod refrigeratum in pelliculas deductum, & in spiras coactum prostat.

Admodum glutinans & inviscans, tenues, & acres humores est; in dysenteria, tum præsente acri, tum abraso muco, utile, solutum per os potum, per anum pauca quantitate iniectum: ex ovis huius amphibii nantis, *Garum* conficitur.

IUIUBÆ.

LIQUIRITIA *Offic.* GLYCYRRHIZA *Botanicorum.* Classis Naturalis Papilion. *Germ.* Süsholtz. *Gallis* Reglisse. *Anglis* Licorice. *Italis* Regolitia.

GLYCYRRHIZÆ *leguminibus glabris*, radix lubricans, mucilaginosa, grata, acrimoniam omnem contemperat, humores inspissat, & exasperates partes lenit, demulcet: unde in tussi acri, tenui, utilis, in stranguria, nephritide valens, etiam rheumatismo laborantibus recommendata. Mixtum pulpæ cassiæ, vel etiam terebinthinæ coctæ glycyrrhizæ pulverem, in calculo multum laudat SIMON PAULI. Decocta amarescit. In filamenta divisa, vel rasa, unciæ semis, unius dosi, infunditur sæpius, drachmarum duarum pondere aliis adiicitur: dosis pulveris, scrupulus, drachma periculosa haud est,

MAL-

MALVA P. I. p. 24. 25.

OVORUM ALBUMEN, præterquam quod gelatinoſum, adhuc nutriens eſt, conquaſſatum aqua dilutum, in acrimonia, diſſolutione humorum, interne dari poteſt: illinitum externe acrimoniam, & ardores compeſcit: inungere conquaſſato albumine manus & brachia obſtetricantes ſolent, dum venereis opitulantur, ne lue afficiantur. Albumen conquaſſatum in ſpumam, aqua graminis commixtum, mane & veſperi ad uncias quatuor aſſumptum, inſigne arcanum ad icterum, millies probatum, LANZONUS *Ephem. Decad.* 3. Anno II.

OVORUM VITELLUS. Saponaceus, pinguis magis, acrimoniam involvit, interne datus: digerit, & maturat, externe cum terebinthina, balſamis, & reſinis ſubactus, dein applicatus, hæc enim corpora omnia ſolvere ſolet.

PINI NUCES P. I. p. 51.

PISTACHIA P. I. p. 52.

SARSAPARILLA. *Offic.* SMILAX *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Steckende Winde. *Anglis* Scharpe-Smilax. *Gallis* Liſeron epineux.

SMILAX *caule aculeato, angulato, foliis inermibus, ovatis, retuſo-mucronatis;* ſaponacea, involvens, glutinoſa, morbis arthriticis, rheumaticis utilis, etiam in lue venerea deprædicatur. Experimenta diſſentiunt. Radicis doſis in decocto uncia ſemis, una, in pulvere drachma ſemis, una. Experimenta nuper repetiit FORDYCE *Medical Obſervations and Inquiries* T. I. & hanc ad dolores capitis venereos, & nocturnos laudat.

dat. Tum in ſcabie venerea, ſimilibusque ulceribus cum mercurio iuvare, valere in emaciatione venerea, & luem, quae mercurio, & aliis ſanari non potuiſſet, hac curatam, etiam a mercurio relicta mala eadem auferri, obſervavit. Eſt vero hic Clariſſ. Viro medicamenti exhibendi modus: Radicis recentis ſucculentae uncias tres infundit tribus menſuris aquae fluviatilis, coquit ad libras duas, addito ſub finem radicis glycyrrhizae momento, exhibet calide, vel frigide per duas, tresve vices intra viginti quatuor horas; caeterum nihil niſi abſtinentiam a vino imperans p. 149.

SCORZONERA P. I. p. 32.

SEBESTEN *Offic.* MYXIS *Veterum.* Claſſis Naturalis . . . *Germ.* Schwartze Bruſt-Beerlein. *Anglis* Sebeſten.

MYXIS *foliis ſubovatis, ſerrato-dentatis.* Drupa, officinis, mucilaginoſa, acrimoniam obvolvens, morbis pectoris dicata, valet in raucedine, tuſſi. Praeſcribuntur Nro ſex, duodecim, viginti, etiam maiori quantitate, vel ſoli, vel cum iuiubis forma thee, vel decocti. Laudant etiam aliqui in ſtranguria.

SILIQUAE DULCES P. I. p. 59.

SPERMA CETI *Off. Hiſt. Natur.* PHYSETER. Claſſis Naturalis Mammalium. Ordo Cete. *Gallis* Blanc de Baleine. *Anglis* Parmaſitty. *Germ.* Wallrath.

PHYSETER *Macrocephalus dorſo impenni, fiſtula in cervice,* ex cerebri vetriculis hoc medicamentum largitur, multum olim conteſtatum, omnium optime deſcriptum Illuſtri DUDLEY *Philoſoph. Trans.* Nro. 387. p. 258.

p. 258. adeps, ſeu oleum cerebrale eſt huius animalis: adiecto lixivio alcalino parari, ANDERSON. Sincerum album, dulce, recens, flavum rancidum eſt.

USUS MEDICUS demulcens, balſamicus, ſarcoticus, in morbis aſperis pectoris, inteſtinorum, viarum urinariarum, aliarum partium exulcerationibus: datur lactantibus grani unius, duorum, quatuor, octo, doſi, adultis a ſcrupulo ſemis ad quatuor, forma boli, electuarii, cum conſervis &c. forma linctus, eclegmatis, cum ſyrupis, forma mixturæ cum vitello ovi, mucilagine gummi arabici, additis ſyrupis; in ultima autem hac præſcriptione, id tenendum eſt, ſubactionem ſpermatis ceti cum mucilagine gummi arabici, & longe gratiorem ea eſſe, quæ cum vitello ovorum fiat, & minus ranciditati ſubiectam eſſe, cum & ipſe ovorum vitellusranceſcat. Cæterum poteſt adhuc ſperma ceti cum mucilagine gummi arabici ſubactum in paſtam cogi, ſicque deinde aqua ſolutum emulgeri.

Externe ſolutum in oleo amygdalarum dulcium ſperma ceti, cruſtis varioloſis exſuccis inunctum, emollit, & a cicatricibus præſervat. QUINCY.



II. COA-

II. COAGULANTIA.

ACACIÆ GERMANICÆ *Fructus* p. 13.

VERÆ *Succus* p. 40.

ALCOHOL nihil aliud eſt, quam oleum eſſentiale, ex vegetabili fermentatione generatum, attenuatiſſimum intime aquæ nuptum, & nova deſtillatione ſuperflua dephlegmatum. Eſt tamen ſæpe etiam poſt multas curas adhuc aquoſum, quod ex octo unciis alcoholis, uncias quatuor, drachmas tres phlegmatis adhuc obtinuerit GEOFFROY *Acad. des Sciences* 1718. In ſpiritu frumenti novem aquæ partes ad quinque ſpiritus, in ſpiritu vini gallici ſeptem aquæ ad novem ſpiritus habentur, SHORT. Libra una ſpiritus vini ordinarii uncias novem aquæ, & libra una ſpiritus vini *a preuve d'Huile* quinque, PEYRE *Aſſemblé publique de la Societé Royale des Sciences de Montpellier* 1749. qui etiam docet ibidem e vino, absque ignis adminiculo, ſpiritum educere. Quanquam vero variis modis rectificari ſpiritus vini poſſit, ignorari non debet, etiam antliæ pneumaticæ beneficio, eius rectificationem obtineri, & educto aere ſpirituoſum maxime vini ſpiritum in vas recipiens depluere.

Cæterum ſpiritus vini alcoholis uſus Pharmaceuticus multus: reſinoſorum, & oleoſorum corporum familiare menſtruum: non tamen ſolvit olea preſſa, ſi non deſtillata, & quo magis cohobata, eo etiam ſolvit facilius, perfectiusve, MACQUER *Acad. des Sciences* 1745. contra olea ſtillatitia, quo magis rectificantur, eo difficilius in ſpiritu vini ſolvuntur, IDEM.

Ad-

Adhæc alcohol arſenicum recipit BRAND, plurima ſalia media deiicit, cauſticum ex calce & ſalibus alcalinis ſuſcipit, quo coloretur, ſuſcipit etiam ipſam alcali vim mediante cauſtico, quo ultimo tandem deſtruatur, ut in tinctura Antimonii, & tinctura tartari officinarum id obſervatur, dum temporis ſucceſſu, & ad fundum, & ad latera vaſis, in extractiformem ſubſtantiam decompoſitum alcohol deponitur, quod facile in aqua, difficulter in ſpiritu vini ſolvatur, & extractum grmmoſum potius, quam reſinoſum habeatur. MEYERS l.c.

USUS ALCOHOLIS MEDICUS internus rarus, ſeroſos tamen humores coagulat, ſolida criſpat, etiam a putrefactione præſervat. Externus chirurgis plurimus, ad ſtillicidia lymphatica, vaſa humores perpluentia, corruganda, hæmorrhagias ſiſtendas. Rara eſt in *Actis Anglicanis* 598. Nro. obſervatio, ſpiritum vini forma enematis datum inebriare longe magis, quam per os potum.

ALUMINA: horum ſolutio, p. 51. 52. 53.

CYDONIA P. I. p. 42. 43.

Adde his omnes alios fructus immaturos.

FERRUM acido ſolutum.

HÆMATITES LAPIS p. 69.

HYPOCISTIDIS SUCCUS p. 41.

LACCA GUMMI P. I. p. 170. Tinctura cum alumine ad ulcera laxa, vacillantes dentes, utilis.

MALICORIUM p. 20.

QUERCUS, *Folia*, *Glandes*, *Cupulae*, p. 17.

SULPHURIS SPIRITUS, p. 143.

VINA AUSTERA.

VITRIOLUM MARTIS, SPIRITUS, p. 53. ſeq.

ANTACIDA.

Quæ acrimoniam acidam corrigunt, talia habentur. Acidum infantum his corrigitur, maxime vero diæta animali nutricis.

VICTUS ſit ex ovis, carnibus, piſcibus, cancris, cammaris, maxime vero cancrorum & cammarorum iuſculis, de quibus in Bononienſ. ſcientiar. & Art. Inſtitut. T. 2. P. I. *Cl.* viri BECCARIUS & MONTIUS experimentis inſtitutis reliquere, ab his ſyrupum violarum virideſcere magis,[1] quam ab aliis; hinc cruſtaceorum iura ad ſales acidos emendandos eſſe aptiſſima. Eſt præterea in hac acrimonia in uſu plantarum antiſcorbuticarum, vel ſimilium, aſparagi, braſſicæ, naporum vis.

POTUS optimus aqua.

ABSORBENTIA.

DENTALIUM TESTÆ *Off.* Obſoletæ.

CANCRORUM CHELÆ *Off. Entomologorum.* Claſſis Natur. Inſectorum, Ordo Apterorum. *Germ.* Krebs-Klauen. *Anglis* Crabs elaios.

CANCER *brachiurus*, *manum digitis atris*, ſuas officinis chelas, quas præparant, concedit, inſipidas, calcareas, abſorbentes, lapidibus cancrorum inferiores. Doſis a granis quindecim ad quadraginta.

CAN-

CANCRORUM LAPIDES *Off. Entomologorum.* Claſſis Naturalis Inſectorum. Ordo apterorum. *Germ.* Krebs-Augen. *Anglis* Crabs eyes.

CANCER *macrourus, roſtro ſupra ſerrato, baſi utrinque dente ſimplici*, lapides hos, quos vulgo oculos eſſe credebant, ventriculo accretos habet. Inter illa, quæ acidum abſorbent, pulverati principes, omnibus aliis, quibus facile carere poſſumus, palmam præripiunt; acido ſaturati ſalis enixi ſolubilis vires conſequuntur, potenter reſolventes, ut etiam indurati teſtes, & alii tumores, his vino acido ſolutis reſoluti L. B. van SWIETEN, viſi. Diureſim augent omnium obſervatione, alvum nonnullis, ſi vel acido in primis viis hærenti occurrant, vel in acido ſumantur, movent. In mixtura HOFFMANNI acido aceti ſoluti, temperantem, blande reſolventem vim exerunt, in febribus non tantum ſane, quantum drachma nitri, vel alterius ſalis medii, movent. Aceto ſaturati, vitrioli ſupperaddito oleo, in deſtillatione dant ſpiritum acidum, fugaciſſimum, nares ferientem penetrabiliſſimo odore, L. B. van SWIETEN Tom. I. Dantur præſente acido in corpore per ſe, a ſcrupulo uno ad duos, quandoque etiam acido citri ſaturati, aceto, vino ſoluti, in aliam indicationem reſolventem, in actu effervefcentiæ cum ſucco citri ſumpti vomitum compeſcunt, HEISTERUS. Supra porphyritem in impalpabilem pollinem redacti, non ſemper tuti, cum glutinoſis enim in maſſas difficulter reſolubiles abeunt, L. B. van SWIETEN T. I. Sæpiſſime rachiticis proſunt, quin etiam hunc morbum ſuperant continuo uſu, quod & oſtracodermata faciunt.

COCHLEÆ TESTÆ reiiciendæ, dari tamen in pulvere poſſunt pro præſervatione calculi renalis; hoc aliquoties in ſeptimana dato, nihil deprehenditur præſtantius, HOFFMANN. Nec hoc loco prætereundum eſt *Hieronymi* ZANICHELLII, quod *Cl.* MORGAGNI concredidit arcanum, & quod *Epiſt. Ant. Medic.* XLVII. *Artic.* 7. ita deſcribit: Cochleas ex parvulis iſtis, & albicantibus, quæ ſuper Carduo ſtellato inveniuntur, exacte una cum teſtis in mortario contundi iubebat, additaque modica portione conſervæ violarum in linteo ſuſpendebat, liquorem, compreſſionis etiam ope, deſcendentem excipiens. Huius liquoris ſatis recentis uncias tres mane, totidem meridie ante prandium, totidemque veſperi ante cœnam propinabat, cum a diſſoluto ſanguine, & irritantibus particulis fœto nimium ipſius ex utero curſum fieri cenſebat. Ea autem felicitate, confirmabat, ſibi hunc liquorem reſpondiſſe, ut ad ſanguinis etiam expectorationem, ſi ab iisdem cauſis fieret, compeſcendam transtuliſſet.

CONCHÆ. OSTRACODERMATA *Offic.* *Hiſt. Natur.* Claſſis Vermium. Ordo Teſtaceorum. *Germ.* Auſterſchalen.

OSTREA teſta ſemi orbiculata, valva altera plana, altera elatiore, ſuam officinis domum largitur, calcaream, abſorbentem, rapſatam cum ſucco citri efferveſcentem; in eandem indicationem dantur pulveriſata, etiam præparata, granorum viginti triginta doſi contra acidum. Calcinata acriora, omnis humidi magis bibula, lithontriptica habentur. A calce e vino ſumpta hydrophobia curata. *Acad. des Sciences* 1749.

CO-

CORALLIA ALBA *Offic. Hist. Natur.* MADREPORA. Classis Vermium. Ordo Lithophytorum. *Germ.* Weisse Corallen.

MADREPORA *alba*, *oculata*, *stellis distiche alternis*, lenem absorbentem, & adstringentem vim habet: calx usta magis bibula.

CORALLIA RUBRA *Offic. Histor. Natur.* MADREPORA. Classis Vermium. Ordo Lithophytorum. *Germ.* Rothe Corallen. *Anglis* Red Coral.

MACREPORA *rubra*, *stellis parvis*, *obsoletis*, *lateralibus*, quandoque in maioribus ramis corticalem substantiam dimitit; etiam calcarea, absorbens, martialis aliquid habet, GEOFFROY *Acad. des Sciences 1708.* Magisterium & syrupus abesse possunt, dum præparatione vis infringitur *Hist. de l'Acad. des Sciences 1710.* Spiritus Ceræ, spiritus melli rectificati, crudus citri succus coralliorum tincturam extrahunt, quod spiritus vini non potest. Recentium coralliorum succus lacteus alcalinus est, cum acido salis & nitri vehementer effervescens, *Hist. de l'Acad. des Sciences 1710.*

CORALLINA *Offic. Hist. Natur.* Classis Vermium. Ordo Zoophytorum. *Anglis* Coralline.

CORALLINA *trichotoma*, *articulis cylindricis*, *terminali ovato*. Salsa, absorbens, subadstringens, anthelminthica habetur. Datur a granis viginti ad drachmam, vel in aqua, vel in lacte.

CRETA.

LAPIS HÆMATITES, absorbens, magis tamen adstringens p. 69.

MATER PERLARUM lapidibus cancrorum non utilior.

MARGARITÆ repudiandæ: nulla docuit obſervatio pretioſas margaritas ad uſum abſorbentem præferri debere vilibus cancrorum lapidibus, L. B. van SWIETEN *Tom.* I.

OLEA molliſſima infantibus acido laborantibus proſunt, L. B. van SWIETEN *Tom.* I.

OSTRACITES *Hiſtor. Natur.* Claſſis Concretorum. Ordo Conchyliorum foſſilium. *Germ.* Verſteinerte Auſterſchalen.

OSTRACITES, ſabulo, lapillulis nephriticis, drachmæ ſemis, unius doſi, in vino albo cum floribus chamomillæ ſæpius profuit, HOME *Trans. Philoſoph.* Nro. 250. In nephritide ſabuloſa, cum ſemine ſaxifragæ expulit multos, exiguos, calculos, cum dolorum levamine, Dr. CAY, *ibidem.*

OSSA animalium calcinata.

Piſcium, mandibula lucii piſcis &c. reiicienda.

OS SEPIÆ *Offic. Hiſtor. Naturalis.* Claſſis Vermium. Ordo Molluſcorum. *Anglis* Skuttle-fish. *Germ.* Weiſſes Fiſchbein.

Ex ſepia *corpore ecaudato marginato, tentaculis duobus*, os & atramentum habemus. Os ſaporis terreo ſalſi, calcinatum omnis humidi, hinc & acidi bibulum, abſorbens, & adſtringens eſt, in gonorrhœa, & fluore albo laudatum.

SANGUIS DRACONIS p. 42.

SALES ALCALINI fixi, & volatiles. Vide *Venen.* Acidulorum vinorum abuſus podagram fecit, alcalino-

linorum parco, & repetito ſæpius uſu, ſanatum, L. B. van SWIETEN. *Tom.* I.

SAPO VENETUS. Vide *antidota.*

His omnibus iungendus moderatus corporis motus.

ACRIMONIÆ ALCALINÆ CONTRARIA.

Quæ vel alcali aſſumptum, vel vitæ vi generatum, invertunt, talia dicuntur. His per ſua ſigna cognitis, indicatur

Victus ex aceſcentibus, lacte, ſero lactis, fructibus horæis, farinoſis aceſcentibus, potulentis ſimilibus, cereviſia, vinis acidiuſculis, inprimis vero lacte, ſero lactis, de quo teſtatur MOLLENBROCCIUS, agreſtes Friſios, & Batavos, quotidiano ſeri lactis uſu, a ſcorbuto patrio ſeſe munire & liberare.

EX VEGETABILIBUS.

ACACIÆ Succus p. 40.

ACETOSA *Offic.* P. I. p. 17.

ACETOSELLA *Offic.* OXYS *Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Sauer-klee. *Gallis* Petit Oſeille. *Anglis* Wood-Sorrel.

OXYS *trifolia, radice articulata, ſcapo unifloro,* acidula, refrigerans, ſale eſſentiali acido prægnat, acetoſa gratior, minus auſtera, manipulo uno, duobus, in libra ſeri lactis infunditur, vel leniter decoquitur, utilis in acrimonia alcalina, febribus putridis: datur

etiam ſuccus unciæ ſemis, unius doſi. Sal eſſentiale acetoſellæ acidum, ad drachmam ſemis. Hoc ſal etiam acida foſſilia ſeparat a ſua baſi, unde nitrum antimoniatum cum ſale acetoſellæ, haud præſcribendum. *Commentat. varii Argumenti*, *Germ.*

ACETUM, vide *antidota.*

AURANTIORUM ACIDORUM *Succus* P. I. p. 36. ſq.

BERBERIS *fructus*, *Decoctum* p. 15.

CERASA ACIDA P. I. p. 38.

CITRI *Succus* P. I. p. 39.

OMPHACIUM P. I. p. 60.

PICIS AQUA P. I. p. 205. hic indicatiſſima.

TAMARINDI, vide *purgantia.*

TARTARUS *Offic. Hiſtoriæ Naturalis.* Claſſis Salium Eſſentialium. Ordo natura productorum. *Germ.* Weinſtein. *Gallis* Tartre. *Anglis* Tartar.

TARTARUS ſal acidus eſſentialis vini, parte terreſtri, & oleoſa inquinatus, duplex, vel albus, vel rubellus, e vinis acore præditis maxima copia ad latera dolii deponitur.

Acidum tartarum eſt, tum ſapor indicat tum ſolutio depurati tartari cum ſolutione lacmus rubeſcens, & cum alcali fixo efferveſcens, ut id præparatio tartari tartariſati evincit. Aliud eius terreum principium evidens eſt; & tertium, quod in igne flagret, facile pateſcit oleoſum. Sed an non eſt conſtitutivum tartari principium

pium aër? hic illi incredibili ſemper quantitate ineſt & impetuoſos illos vapores ſub deſtillatione tartari aſcendentes, rarefactus efficit, quos ab actione acidi in terram & oleum deduxit NEUMANNUS.

Qui per deſtillationem tartari per ſe obtinetur ſpiritus, manifeſte acidus non eſt, quia oleo eiusdem dulcificatus; rectificatus vero omnia acidi ſigna habet, cum calce viva tractatus etiam urinoſum largitur nova combinatione productum ut in ſale tartari exemplum: cum ſpiritu tartari fumat ſpiritus Nitri ob particulas oleoſas in ſpiritu tartari præſentes, WALLERIUS in HIERNE.

Cæterum omnis tartarus ut figuram cryſtallinam acquirat, ſolvitur; filtratur, evaporatur. Datur a ſcrupulo ſemis, ad unum, in acrimonia alcalina, bilis putredine &c.

PRÆPARATA.

CREMOR, & CRYSTALLI TARTARI, eadem operatione ex tartaro depurato fiunt; Cremor ſola coctione, ex ſupernatante pellicula ſalina colligitur, Cryſtalli colato, & refrigerato liquido concreſcunt: utrumque igitur ſal eſſentiale acidum, tartarus purificatus, figura differens. Tartarus crudus communis tres quintas ſui ponderis in cremorem & cryſtallos concedit, albus vero cryſtallinus electus duas tertias, Cl. FIZES *Acad. des Sciences 1725.*

In acrimonia alcalina ſæpius de die datur ſcrupulus ſemis, purgantibus pulveribus iungitur drachmæ ſemis, electuariis unciæ doſi; cæterum uncia ſemis, una, ſumptus etiam per ſe alvum ſollicitat: In omni hydrope utile remedium invenit, ad minimum unciæ ſemis doſi omni die, *Vinc.* MENGHINI in *Acad.Bononiens.* T.IV.

Et nuper in Leucophlegmacia pertinaci huius viri obſervationes felici ſucceſſu confirmavit TROGHER *Gazette Salut.* Nro. XVIII. 1762.

Cæterum cryſtalli in aqua difficulter ſolvuntur; ſeptem drachmæ vix in unciis duodecim aquæ ſolvebantur, LEMERY *Acad. des Sciences* 1728. ſolutæ in calida in frigida iterum concreſcunt, quare varia tentavere *Cl.* Viri, ut vel ſolutum tartarum vel cryſtallos in aqua obtinerent, fecere vero experimenta frequentium rerum fidem, addita ſoda etiam in aqua frigida ſolutum manere tartarum, ſale tartari in eadem ſuſpenſas & ſolutas teneri cryſtallos GROSSE, DUHAMEL *Acad. des Sciences* 1732: ſolvere etiam Boracem has cryſtallos LEFEVRE *ibidem*. Non vero ut præcedentes ſales alcalinos acidum eius invertere.

Sunt adhuc nonnullæ aliæ haud ignobiles, licet noſtris officinis non uſitatæ præparationes; ita ex ſimplici miſcela ſpiritus vitrioli & tartari depurati digeſtionis & concentrationis in balneo, artificio, cryſtallos acidas, cum fermentantibus vegetabilium ſuccis adverſas, tum febribus acutis utiles, conficere docuere LANGIUS, LEMORTIUS *Collect. Chem. Leydenſ.* Ex una parte tartari duabus vitrioli crudi, vel etiam anaticis utrinque portionibus, obtinetur deſtillatione ſpiritus vitrioli tartariſatus, Tincturæ coralliorum, quæ colore defraudat adhibitus, antihydropicus MOUFFETO viſus & tranſpiratione & ſudore auctis proficuus *Cl.* POTT *de unione acidi vitriolici & acidi tartari.* 1761. de aliis tartaris ſolubilibus ut tartari præparatis iam antea dictum fuit. Cæterum ad hanc Claſſem adhuc ſpectant

VINA AUSTRIACA.
MOSELLANA.
RHENANA.
ACIDA *omnia.*

EX

EX FOSSILIBUS.

BOLUS ARMENA p. 48. seq.

SULPHUR *Offic. Mineralogiae.* Classis Naturalis Minerarum. Ordo Sulphurum inflammabilum. *Germ.* Schwefel. *Gallis* Soufre. *Anglis* Sulphur.

SULPHUR *nativum*, *purum*, *flavum*, WALLERIO, sulphur vivum officinis dicitur; hoc aut purum est, aut impurum. At præter fossile illud datur etiam factitium; sulphur vulgare officinarum factitium ex pyrite ferreo, scintillante, amorpho, sublimationis, vel fusionis beneficio separatur. Inter factitii species sunt *stillatitium*, aut citrini, aut ex flavo viridescentis coloris; sulphur *vulgare* officinarum, flavum, vel ex flavo viridescens: sulphur *cabollinum* grisei coloris quasi præcedentis caput mortuum. Sunt adhuc aliæ sulphurum differentiæ, & sulphuris eliciendi modi.

PRINCIPIA sulphuris duo: acidum vitriolicum, & substantia inflammabilis. Utrumque docet sulphur inflammatum. Ardente enim, & flammante sulphure pars inflammabilis patula est, & sub campana collecti vapores acidum exhibent. Adhæc ex acido vitriolico, & phlogisto sulphur emergit; ita ex oleo vitrioli, & antimonii regulo, ex oleo vitrioli & stanno, ex oleo vitrioli & oleo terebinthinæ, ex oleo vitrioli & aliis oleis, resinis BOYLEUS, GEOFFROY &c. ex alumine, & phlogisto experimentis Anglicanis. Cæterum terra simplex, aut etiam metallica, non est sulphuris

ris principium tertium, ut contendit in *Acad. des Sciences 1703.* HOMBERGIUS, & nunc poſt illum hinc inde alter, ut inter terras ſulphur ordinare poſſet, quanquam & hoc verum ſit, nunquam adeo purum adinveniri ſulphur, ut de metallicis particulis, ſive cupreis, ſive ferreis nihil commixtum gerat, ut evidens eſt in ſpiritu ſulphuris per campanam his gravido inſtantia HIERNE *Tentamine* VII. ſulphuris depurandi optima via ſublimatoria eſt, leni inſtituta igne per vaſa aludel, WALLERIUS *ibidem.*

Cæterum duorum horum ſulphuris mineralis principiorum diſpar multum proportio eſt. Integra enim libra vix duas habet phlogiſti drachmas, dum ultra uncias quindecim, & drachmas ſex, acidi, NEUMANN, & ratio acidi vitriolici ad principium inflammabile :: 50:3. viſa BRAND. *Acad. Reg. Suec. 1756.* Tamen ſulphur facile & accenditur, & ardet, & conſumitur totum in experimento. Ex libra integra ſulphuris accenſi, vix unciam unam ſpiritus ſulphuris per campanam obtines.

PROPRIETATES ſnlphuris quod ſpectat, tenendum eſt, nec in aqua, nec in ſpiritu vini ſulphur per ſe ſolvi, licet ſpirituoſum liquidum leni odorato imprægnet principio CARTHEUSERUS; ſed petere ſalibus, non adeo quidem acidis, quam alcalinis, quibus amico tam infuſione quam incoctione iunctum vinculo, iam prioribus in liquidis facile ſolvatur: an ille effectus cauſtico, ſeu acido pingui debetur? quanquam vero hæc ita ſeſe habeant, eſt tamen ubi ſulphur concentratis lixivioſis ſalibus vix multum referatur, IDEM; eſt igitur aliquis horum ad ſe invicem, cuius nondum inventa ratio ſit, ſingularis modus, & forte adin-

adinvenit induſtrius vir MEYERS, dum demonſtraret, cauſtico calcis impraegnatam ſolutionem alcalinam citiſſime ſulphur ſolvere: cauſticum hoc, & in aquam, & in ſpiritum trahi, & aliis in hæc ingreſſum conciliare: alcali minerale non eam in ſolvendo ſulphure exerere efficaciam, quam vegetabile, priusque minori quantitate ſulphur ſemper ſolvere, an forte & inde ratio habetur, cur vitrioli acidum aliquam ſulphuris quantitatem ſolvat? etenim in experimento acidi vitriolici albi adhibiti, ipſum coloratur acidum, & ſulphur olivarum colorem induit, BAUME *Manuel de Chymie*, *Paris* 1763.

Cæterum ſulphur adhuc oleis tam preſſis, quam ſtillatitiis auſcultat, reſeraturque; preſſis quidem citius, & ſaturatius in conſiſtentiam balſami: Coques florum ſulphuris partem unam in unciis olei olivarum quatuor, quinque facile ad conſiſtentiam balſami ſulphuris: ſuccedet etiam operatio cum Petroleo, difficilius vero cum oleis ſtillatitiis, ut in balſamo ſulphuris aniſato, terebinthinato inſtantia eſt, in quibus totum ſulphur raro diſſolutum adinveniatur. Ad hæc valde inflammabile ſulphur eſt, accenſum flamma cærulea ardet, cum halitu ſulphureo ſuffocante, igne liqueſcit, & funditur, dein vero inſpiſſatur; deſtillatione non reſolvitur, licet contendat SEEHL Anglus, addito ſale tartari, & calce viva obtineri ſpiritum ſulphuris, qui potus tamen urinoſus ſit, VOGEL.

USUS MEDICUS internus inutilis, quod in noſtris humoribus ſulphur non ſolvatur, etiam in ſecundas vias non tranſeat, CARTHEUSER. Experimenta tamen efficacem enunciant. In acrimonia alcalina obvolvens, demulcens ſulphur, BOERHAAVE, in mor-

morbis cutaneis, rheumaticis, arthriticis, diaphoreticum, incidens, alii conſpicuo effectu deprehendunt. Vim addidit *in Quaeſt. octava* pro vacante cathedra medica Monſpelienſi *Cl.* ESTEVE. Sulphure aſſumpto perſpiratio fœtida eſt, ſulphur ſolutum olens, & argentum nigro colore inficiens. Agit etiam cinnabaris, IDEM *ibidem.* Præterea aſſumptum ſulphur olidiſſimas fœces facere COMMENT. Tom. IV. teſtatur *Illuſtr.* van SWIETEN, an noſtris humoribus ſulphur non ſolvitur?

Externe in ſcabie, cutis defœdatione repercutiens, noxium ſæpe: forma balnei a *Magnif.* archiatrorum olim Comite de SORBAIT multum laudatum in arthriticis omnibus malis, articulorum nodis &c. Eſt vero thermalis huius balnei hæc præſcriptio. ℞. Calcis vivæ, ſulphuris apyreti, ana libram unam, aquæ dulcis, vel Danubianæ libras triginta, præmiſſa unica ebullitione, extrahatur per noctem lixivum, altera die fiat balneum plenum cum aqua fluente, ad cuius refrigerium lixivium factum decantetur, remanente in fundo pulvere, & ſic balneum factum eſt, in quo pro regula ordinaria balneare poteſt æger. His ſpeciebus, ſcilicet huic in ollæ fundo relicto pulveri, denuo ſuperaffundatur aqua ex balneo, & calefacto reliquo, pro refrigerio reaffundatur, atque ita idem balneum quater uſurpari poteſt ante ſpecierum renovationem. Hoc balneum naturali vix cedit, quin imo ſecundum indicationes, pro hoc, vel illo infirmo augeri, vel diminui poteſt, ſecus in altero, tantæque virtutis eſt, ut expertum nunquam fefellerit, quo tot paralytici iterum ſe movere potuerunt, tot claudi ligati, & nodoſi ambulare didicere, tot arenoſi, calculoſi, & nephritici a ſuis malis liberati, tot hyſtericæ mulieres

ſa-

ſanatæ &c. GREISEL in tractatu *de cura lactis. Viennae Auſtriae 1670.* Quæ cum ita ſint, facile iudicatu eſt, an recte ad quæſtionem ſecundam: *an ex Sulphure cum calce & ſalibus alcalinis fixis elici poſſit aliquid, quod aquarum thermalium vim referat, aut ei lucem aliquam affundat?* pro regia cathedra medica in univerſitate Monſpelienſi vacante propoſitam, reſponſum, dum negando reſolveretur? tamen ſimile iam balneum etiam recommendatum legimus ad Archiatro Regis Poloniæ CHAMBON, in ulceribus, ſcabie, rheumatismo, tumoribus ſcrophuloſis &c. *Traité des Metaux & des Mineraux & des Remedes qu'on en peut tirer. Paris 1750.*

PRÆPARATA.

FLORES SULPHURIS nihil aliud ſunt, quam ſulphur commune depuratum ſublimatione, tenerius: doſis a granis ſex ad qindecim.

MAGISTERIUM SULPHURIS inutile, ni ob maiorem, quam etiam præ floribus poſſidet, ſubtilitatem, vaſa facilius permeare minima velis, & adhuc ſale inſtructum dicas. Magiſterium ſulphuris, in vitro ad ignem fuſum, in verum redit ſulphur, priori, ex quo confectum fuit, ſimillimum, ſed impurius, MEYERS, qui etiam optimam medicamenti præparandi methodum aſſignat.

SPIRITUS SULPHURIS per Camp. accenſo ſulphure in aere aperto ſub campana vitrea collectus, acrimoniæ alcalinæ, morbis putridis, diſſolutioni humorum, adverſus, additur potulentis, mixturis, ad gra-

tam

tam aciditatem; etiam in artuum tremore nonnullis laudatur, & in Tympanitide COMBALUSIER *Pneumat. path.* Externe purus applicatus urit, verrucas cum cautela applicatus destruit. Ultimo etiam recensendum illud *Cl.* GLUTTON novum febrium acutarum specificum, quod recipit oleorum, sulphuris per campanam, vitrioli rectificati, salis, anaticas portiones, quibus spiritus vini rectificatissimi triplum additur, per mensem digeruntur, ad siccitatem destillantur, tum duabus libris, rad. angelicæ, serpentariæ virginianæ, seminum cardamomi, ana drachmæ sex, adduntur, ut tinctura extrahatur, quæ ad gratam aciditatem aquæ instillatur, pro potu ordinario: sex libræ intra viginti quatuor horas sufficiunt, ut æger sudoribus a febre liberetur. *Method. of curing continued feures 1729.*

SULPHURIS BALSAMI.

ANISATUS.

IUNIPERATUS.

Cum oleo nucum.

TEREBINTHINAT.

Nihil aliud sunt, quam flores sulphuris oleis pressis, stillatitiis, soluti, redacti in consistentiam balsami: pro indole olei diversis in casibus laudantur, ita *anisatus*, carminativus, anticolicus; *iuniperatus*, etiam diureticus; *terebinthinatus* abstersivus, in ulceribus renum, vesicæ; sed calidi sunt, unde scrupulose dandi, a gut-

tis

tis tribus ad ſex pro doſi. His addi poſſunt alii ſpiritus acidi.

SPIRITUS NITRI Acidus.
Dulcis p. 103.
SALIS Acidus.
Dulcis p. 109.
VITRIOLI p. 58.
LIQUOR ANODYNUS MINERALIS.
SPIRITUS FORMICARUM Acidus.

ACRIMONIÆ MURIATICÆ CONTRARIA.

VICTUS Inſulſus. Iuſcula ex oryza cocta.
POTUS Aquoſus.
MEDICAMENTA Emollientia omnia p. 3. ſq.
Inviſcantia.
Lixivioſa.

CALX VIVA *Offic. Mineralogiae.* Claſſis Naturalis Artefactorum. Ordo Terreorum. *Germ.* Kalch. *Gallis* Chaux. *Anglis* Lime.

Licet nomen genericum Calx, multis ſubſtantiis datum chemicis, hic loci pro producto calcinationis lapidum, & terrarum calcarearum maxime ſumitur, quanquam tamen adhuc ex partibus animalium, & vegetabilium, ut oſſibus, cornu, conchyliis, plantis

ſubmarinis, lythophytis, calx paretur. Corpus eſt friabile album, aut gryſeum, leve, ſiccum, ſaporis acris, cauſtici, ex lapide calcareo, aut alio quocunque corpore mediante igne productum, in aqua efferveſcens, cum hac, & ſabulo, unione ſatis tenaci concreſcens.

Habet calx dotes alcalinorum fixorum: docet eius fixitas, ſolubilitas per acida, quanquam ea ſpecialis, & viſcedinis particeps, ſapor urens, avida aquoſi indoles, partium animalium exuſtio, actio in materies ſulphureas, oleoſas, pingues, reſinoſas, bituminoſas, mercurii ſublimati flava præcipitatio, præcipitatio ſubſtantiarum metallicarum, acidis ſuſpenſarum.

Habet dotes calx alcalium terreorum: docet fuſionis difficultas, opacitas, lacteus, quem vitris conciliat, color, calcis per ſalia alcalina tam fixa, quam volatilia præcipitatio, qualitas illa ſingularis *Cl.* POTT detecta, qua regulum antimonii calce paratum diſponit, ut amalgama ſolidum cum mercurio conſtituat: adhæc alcalina volatilia præcipitat, & ab his præcipitatur, quæ reciproca actio ordinem affinitatum alcalinorum cum acidis *Cl.* GEOFFROY deſtruit. Habet dotes proprias, quod cum aqua, aliis liquidis plus minuſve efferveſcat, vapores dimittat cauſticos, cum vino, & vini aceto ſulphureos, in aere exſtinguatur, ſales alcalinos cauſticos magis reddat, ut a plurimis ſubſtantia, inter terras abſorbentes, & alcalina fixa, media dicta ſit, & inde famoſum illud, de ſale calcis, adeo chemicis exagitatum problema natum.

Neque ultimo id ignorandum, ſimpliciſſima operatione ope calcis vivæ oleum aceti propelli, dum hæc aceto deſtillato ſaturata igni admovetur, GEOFFROY

Acad.

Acad. des Sciences 1746, & ex lixivio nitri fixi tartaro parati calce viva corrofivo magis facto, evaporatione falem obtineri transparentem, caufticum minimo calore liquefcentem, animales abfumentem & liquantem partes, & cum his faponis liquidi conftituentem fpeciem, quæ in fpiritu vini inftar faponis vulgaris folubilis fit, IDEM ibidem; adhæc calcem in aere exftinctam non eodem modo agere in falem ammoniacum, ac vivam, priore falem ammoniacum femper fublimari, pofteriore id nunquam fieri: ipfam calcem vivam rectificandis fpiritibus ardentibus nunquam adhibendam, quod igneis calcis vivæ partibus pars oleofa horum amburatur, & fic empyreuma femper fapiant, IDEM *ibidem*. Id etiam in aquis ftillatitiis obvenire, IDEM. Tum etiam calcem five vivam, five delapfam cum fulphure in hepar abire, quod nec creta nec aliæ terræ, quas alcalinis adfcribunt, faciant, SPIELMANN.

Aqua calci vivæ fuperfufa quia lactefcit, lac calcis dicitur, eadem tamen brevi clarefcit cryftallina, iterum præcipitata ad fundum calce, & fupernatante pellicula opaca falina; hæc cremor calcis dicitur, difficulter in aqua folubilis, ablata renafcens pertinaciter; in hac fal calcis quæfitus, qum compulfis omnibus experimentis naturæ mediæ, qualis in felenite eft, affirmatus MALOUIN: acidus, naturæ falis marini bafi terreæ iuncti, DU HAMEL: nitrofus NAUDOT. Repetitis vero experimentis, etiam novis inftitutis, fal nullus in calce eft, MACQUER, & indolem falinam folum acquirit aquæ iuncta calx, STAHL. Difficilis conceptus!

Nunc vero absoluto de calce viva tractatu, demonstravit industrius vir MEYERS, pelliculam hanc nec gypsum, nec selenitem esse, cum spiritu salis in integrum solvatur, quod gypsum non facit, sed terram calcaream tenuissimam aqua saturatam, ipsumque lapidem calcareum Osnabrugensem, nec in se alumen, nec sulphur, nec vitriolum, nec horum acida in se continere, nec illud nitri, aut salis, neque etiam hæc calci vivæ inesse: sed calcem vivam præcipue constare

I Terrá calcarea.

II caustico, seu acido pingui.

A secundo hoc principio potissimum, tum etiam a primo quandoque pendere ait omnes adeo mirabiles calcis proprietates, eas scilicet, quas cum alcalinis communes habet, tum etiam eas, quas proprie possidet; indeque explicat phœnomena chemica plurima, quorum pauci mentionem injecere. Quare librum hunc summopere meis recommendo discipulis, ut veram per experimenta captam multarum rerum explicationem hauriant, viri ingenium, viresque merentur, & nunc, licet id plurimis forte displiceat, aperte dicam, nec academicorum ullum, nec ullum medicorum, adeo solide, adeo geometrice aliquod pertractasse argumentum, ut quidem laboriosissimus Vir suum.

Aqua calcis in usum medicum adhibita primaria, vel secundaria est, posterior priori non imbecillior *Essays d'Edimburg* T. I. etiam decimæ, 20. 30. infusionis, eiusdem virtutis est, ac primæ, *Cl.* ALSTON *Dissert. sur la chaux vive*, & calcis in aqua solubilis pars una 1500. etiam 1800. partes aquæ impregnare

re valet, IDEM, & 30. grana calcis vivæ tanto fœnore aquam calcis largiuntur, ut hæc 92. vicibus pondus calcis superaret, licet essent solum 10. grana calcis solutæ in eadem hac aqua, IDEM.

Centum quinquaginta mensuræ aquæ calcis, circiter libram unam terræ largiuntur, hinc uncia una aquæ hacet $1\frac{1}{4}$ granum, quod tamen adhuc aqua impraegnatum sit; notatu enim dignum est, ponderis non exiguum augmentum calcem vivam in aqua suscipere, quod iterum experimentis industrii MEYERS debetur; dum enim uncias calcis sedecim, quater consecutive coqueret cum aquæ mensuris sex, tum demum siccaret remanentem a viginti quatuor mensuris aquæ, ad pulveris siccitatem calcem, invenit, eam, quæ residua esset, viginti uncias cum dimidia habere. At unde hoc ponderis augmentum, dum tamen viginti quatuor mensurarum decocta calcis vi saturata fuere? ab aqua est, IDEM, idque confirmat exsiccati pulveris calcinatio. Cæterum ipsa decocta vix non eandem calcis quantitatem suspensam tenebant: primum nempe drachmam cum granis quindecim habeat, secundum, tertium, quartum aliquot solum granis destituebantur, cuius rei comprobationem dabat præcipitatio oleo tartari per deliquium facta.

Est vero sequens aquæ calcis vivæ conficiundæ optimus modus. Calcis vivæ libra una in octo, decem aquæ pluviæ mensuris, continua agitatione, ut tota deliquescat, exstinguitur; colata vasis plenis obturandis infusa servatur ad usus; in aere aperto servata imbecillis est, hinc etiam minus plenæ lagenæ inefficaces sunt, quæ tamen cito animentur admixta nova nondum exstincta calce.

VIS MEDICA ad plurima utilis: laudatur in acido ventriculi, fluore albo, dysenteria, BURLET, ulcere interno, MORTON, acrimonia muriatica, scorbuto ab eadem causa, BOERHAAVE, lacte, syrupis, herbis mucilaginosis aliis, contemperata; etiam ad scrophulas aquam calcis vivae, aqua fontana, in qua pugillus summitatum roris marini decoctus fuit, paratam, laudat FAVNE *Recueil des pieces qui ont concurru pour le prix de l'Acad. de Chirurg.* T. III. Si maciem inducit, alvum exsiccat, parcius utendum, contemperanda magis; datur ad uncias quatuor, quinque, unam, duas libras de die, idque per menses, cum aequali portione, etiam maiori, lactis, prout aeger facilius fert; dari adhuc in potum ordinarium potest.

Laudatur etiam in calculo, tum ea, quae ex lapide calcareo confecta est, tum quae ex ostracodermatum calce praecedenti duplo efficacior est, sive per os assumpta sit, aut in vesicam iniecta, de qua re legi merentur pulcherrima tentamina BROWNE LANGRISH *Physical experiments upon Brutes in order to discover a Safe and lasy method of dissolving the stone in the Bladder by iniections*, London 1756. & WILLIAM BUTTER *a Method of Cure for the stone chieffly by iniections.* Verum repetitis experimentis, thermis Carolinis praerogativam in dissolvendo calculo, prae aqua calcis vivae tribuit SPRINGSFELD. Caeterum adhuc ad febres intermittentes valere ALSTON, MENZIES apud *eundem*, diureticam esse, etiam anthelminticam, alios reliquisse tenendum.

Externe aquam calcis ita temperatam, ne exulceret, contra vitiliginem, & lepram HIPPOCRATES, ad

ad ulcera plorantia, fiſtulas, tineam, ſirones, forma lavamenti chirurgi feliciter adhibent, adhuc nuper ulcus ſcorbuticum rebelle percuratum hac, *Medical obſervations*. Cum oleo olivarum, amygdalarum, ſubacta linimentum conſtituit, contra ulcera plorantia & ambuſta laudatum; cum ſapone veneto, & lixivio calcis vivæ factum linimentum, ad ſcrophulas clauſas calide applicatum, egregium, FAVNE *l. c.* cum mercurio ſublimato aquam phagedænicam facit, flavam, exſiccantem, quæ ſpiritu vini camphorato imprægnata vulneraria habetur LEMERY. Aqua calcis ſpiritu vitrioli dives, antiſeptica dicitur GEOFFROY; Vitriolo veneris infecta, ſaphirina, collyriis, ſaccharo ſaturni imprægnata lacteſcens, eryſipelati, ſcabiei, ulceribus malignis, ſotu utilis habetur. Laudat adhuc linimentum ex calce viva, & melle paratum, ad dolores ſcorbuticos, & arthriticos FULLERUS. Simile exſiccans, cum calce lota, quæ non amplius rodit, alii extollunt. Viva venenum eſt, quod vel ædificia recenter exſtructa docent, ut inde paralyſis, rheumatiſmi, apoplexia, mors.

Calx teſtarum ovorum princeps ingrediens eſt lithontriptici illius anglicani; ex hac cum ſapone maſſam lithontripticam gratiorem conficit HARTLEY *Gentleman's Magazine 1752. 1753.* ℞. Saponis Hiſpanici raſi libras quinque, oſtrearum calcis unam, ſuperfunde aquæ menſuras quinque, coque in vaſe ſtanneo ad ſaponis ſolutionem, effundantur in vas terreum cruſta vitrea obductum, aeri libero exponantur, agitentur, donec ſapo lenis ſit, & conſiſtat forma, ad pilulas apta; ubi conſiſtentiam non habet, inſpiſſari in vaſe ſtanneo ad ignem poteſt; ubi acrior eſt, aqua lenire debet: ſumi ad unciam unam, & ultra de die

 poteſt.

poteſt. Vix vero adeo liberaliter procedendum poſt monitum AESCULAPII *Angli* HUXHAM, dum phthiſim, ſcorbutum liberalius aſſumpta ſimilia inducunt.

SALIA ALCALINA VOLATILIA oleoſis inquinata partibus a nonnullis in hanc indicationem plurimum laudantur.

ACRIMONIÆ OLEOSÆ, BILIOSÆ PUTRIDÆ CONTRARIA.

VICTUS ex farinoſis, aceſcentibus plantis.

POTUS ex iisdem, vel ex fructibus horæis decoctis:

CASSIA FISTULA vide *Purgantia.*

MANNA vide *Purgantia.*

MEL vide *Antidota.*

SACCHARUM *Off.* Claſſis Arte productorum. Ordo Vegetabilium gramineorum. *Germ.* Zücker. *Gallis* Sucre. *Anglis* Sugar.

Ex arundine ſaccharifera preſſus, coctus, mediante lixivio ex cineribus & calce viva facto, ſæpius deſpumatus, inſpiſſatus, inſolatus ſuccus, ſaccharum dicitur, licet etiam ex aliis paratum tale vocetur: ita ex betæ albæ, rubræ, dauci, ſiſari, radicibus, ſaccharum paratum, MARGGRAF *Acad. de Berlin 1747.* Ex Apocyni ſpecie *Acad. des Sciences 1703.* ex acere Ame-

Americano, *Memoires de Mathematique & Physique presentées a l'Acad. Royale des Sciences* T. II. cuius vis bechica, demulcens, in tuſſi, raucedine, utilis, GAUTIER *ibid.* ex acere campeſtri GRUNER *Franconica collect.* Vol. IV. Adhæc ex lacte ſaccharum lactis officinis receptum, acrimoniis utile, conficitur.

Sacchari variæ ſpecies ſunt, variis etiam dotibus præditæ. Eſt vero ſaccharum ſal eſſentiale inflammabile oleo acido & terra conflatum.

SACCHARUM CRUDUM, etiam THOMÆUM nonnullis vocatum, oleoſum, pingue, in aere humeſcens, impurum, omni acrimoniæ, præterquam oleoſæ conveniens. Interne raro datur, in clysmatibus, ſolvendi, & demulcendi ſcopo præſcribitur viliſſimum, ab uncia una, ad duas.

SACCHARUM *Pyramidale*, niveum, læve, ſæpius rafinatum, in aere ſiccum manens, aqua ſtatim ſolubile, ſalis alcalini acido temperati magnam vim in ſe recondit, docet ſal ammoniacum ſaccharo hocce tritum. Id ſaponaceum magis, olea aquis miſcibilia reddit, magis abſtergit, ut in hac acrimonia oleoſa princeps; hinc in febribus acutis, ubi plethora oleoſa peſſima mala minatur, adeo utile, L. B. van SWIETEN, maxima doſi exhibitum. Etiam acre dentes exedit, oculorum pannos abſumit pulveratum, calamo inflatum; a corruptione plantas, ſuccos harum præſervat, artificio in conſervis, & ſyrupis noto: adhæc antidotum eſt veneni, quo Americani tela ſua imprægnant, & valens in ſcorbuto medicamentum habetur, BISSET *Treatiſe on the*

Scurvy 1755, & in incipiente hydrope oxi ſaccharum, quo alimenta præſertim animalis generis condiantur, egregium, TYSSOT *de hydrope.*

SACCHARUM *Candum* ad funiculos cryſtalliſatum, anguloſum, album, & flavum eſt, præcedenti demulcens magis, magis oleoſum, in potibus theiformibus ad morbos pectoris aſperos priori præferendum, BOERHAAVE.

SACCHARUM *Roſaceum* in phthiſi pulmonali ab omni tempore proficuum fuit aſſiduo uſu.



CLAS.

CLASSIS OCTAVA

EVACUANTIUM.

I. SUDORIFERA.

Quæ inſenſibilem perſpirationem, viſibilem, aquoſam, efficiunt, talia dicuntur.

Uſum hæc habent in miasmate quocunque maligno ſuſcepto, peſtifero, venenato, venereo ſubtiliori nondum fixato, in conſtitutione epidemica cognita, in morbis ſubcutaneis, ſcabie, pſora, lepra, lue Gallica, ulceroſa, tum incipiente ſudore critico; non tamen omnia promiſcue adhiberi debent, his enim caſibus, aliis alia magis præferuntur.

Contra indicantur vero I a craſſitie ſanguinis, ab inflammatione obſtructione graviori. II A nimia humorum ſolutione corporis debilitate, ut in hectica &c.

Cæterum diſpoſito corpore ſudorifera petuntur

1. Ex potu aquoſo calido.
2. Acidis. Aceto ſimplici
   deſtillato, quæ optima.
3. Ex antimonialibus, ut ſtibio diaphoretico non abluto &c.
4. Ex ſtimulantibus P. I.

5. Ex

5. Ex aromatibus, acri, & ſubtili acrimonia præditis. In hanc claſſem veniunt

ABSYNTHII *infuſio calida* P. I. p. 129. ſeq.

ABROTANI *infuſio calida* P. I. p. 128.

AGERATUM exoletum.

ALLII omnes ſpecies.

ANISUM P. I. p. 134.

ANGELICA P. I. p. 133.

CALENDULA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Compoſitarum Radiatarum. *Germ.* Ringel-Blümlein. *Gallis* Souci. *Anglis* Marygold.

CALENDULÆ *ſeminibus radii cymbiformibus, echinatis, diſci bicornibus*, flores nobis ſolum officinales, acre, amarum, aroma habent, in potum calidum elicitum, ſudoriferum: acetum calendulæ egregium, alexipharmacum. DIEMERBROEK.

CALAMINTHA P. I. p. 136.

CARDIACA, tanto nomine indigna, exoleta.

CARDUUS BENEDICTUS *Offic. Botanicorum.* CNICUS. Claſſis Naturalis Compoſitarum Capitatarum. *Germ.* Cardobenedict. *Gallis* Chardon benit. *Italis* Cardo benedetto. *Anglis* Holy thiſtle.

CNICUS *caule diffuſo, foliis dentato-ſinuatis.* Amariſſima planta, ſale communi dives, *Acad. de Ber-*

Berlin, 1747. tartaro ammoniacali GEOFFROY, officinis herbam, flores, ſemina, largitur.

In decocto calido, ſcopo ſudorifero, quem certo attingit, datur convenientiſſime manipulus ſemis, unus: In peſte recommendat PALMARIUS, addito aceto. Pulvis ad drachmam ſemis datur languenti ventriculo, quem roborat. Succus ſubemeticus, unciæ unius, duarum doſi, decocto, aqua ſtillatitia dilutus, febribus intermittentibus, viſcerum obſtructionibus, ictero utilis. Externe ad ſugillata fomentum ex hac planta, aut ex contuſa planta cataplasma, aqua marina dives, valet. Ineſtne plantæ vis antipleuritica?

PRÆPARATA.

Conſerva cardi benedicti, drach. I. aliquoties de die egregii uſus. *Extractum* valens, ſcrupuli unius mole, quod cum laudani opiati momento potiſſimum ſudoriferum ETTMULLER habet. *Syrupus* bonus. *Aqua* ſtillatitia aliis laudata; *Sal* eſſentiale, & fixum, digeſtivum, incidens.

CARDUUS MARIÆ *Offic.* ***Botanicorum.***
Claſſis Naturalis Compoſitarum Capitatarum.
Germ. Mariendiſtel. *Anglis* Milk-Thiſtle.
Gallis Chardon de notre Dame.

CARDUUS ***ſquamis calycinis margine apiceque ſpinoſis***, in amarore præcedenti remiſſior, ad eadem fere laudatur: ſalem enixum in planta ſuſpicatur TOURNEFORTIUS, ſpeciem tartari *Acad. de Berlin* 1747. Sudores, urinas movet, viſcerum infarctus ſolvit. Semen in hydrophobia ſpecificum propoſuit LINDANUS, experimento nondum obfirmatum; an in pleuritide

pro-

prodeſt? ut certum etiam hodie proponit UNZERUS *Promptu. Hamburgicum* XI. *Tom.* Externe decoctum, aqua ſtillatitia, ulceribus erodentibus utilia dicuntur.

CARLINA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Compoſitarum Capitatarum. *Germ.* Eberwurtz. *Gallis* Carline. *Anglis* Carline Thiſtle. *Italis* Carlina.

CARLINÆ *caule unifloro*, graveolens, amara radix, ſola adhibetur. Datur in pulvere a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis, in infuſo ad unciam ſemis, ſcopo ſudorifero, alexiterio. Ad magicos uſus alii valere volunt, in hyſterica paſſione, ſcabie, LINNÆUS.

CARYOPHYLLATA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Calycifloraruni. *Germ.* Benedictenwurtzel. *Gallis* Galiot. *Anglis* Avens.

CARYOPHYLLATÆ *pinnis paucioribus, rhomboideis, tubarum fine uncinato*, radix, & folia, officinalia ſunt. Radix caryophyllorum ſaporem cum adſtrictione habet: vis totius plantæ balſamica, roborans, in vinum elicita, ad ulcera ſcorbutica, aquoſa, ichore diffluentia, ad fiſtulas, gingivas ſcorbuticorum laxas, præſtans: foliorum recentium in podagra infuſum commendatur, quod ſub debito regimine ſudoriferum. Doſis non eſt limitata. Aphrodiſiacam radicem obſervavit OVELGRUN *Act. Phyſ. Med. Acad.* N. C. Vol. V.

CEN-

CENTAURIUM MINUS *Offic. Botanicorum.* GENTIANA Classis Naturalis Paucistam. *Germ.* Tausend-Gulden-Kraut. *Gallis* petite Centaurée. *Anglis* Lesser Centaury.

GENTIANA *foliis trinerviis, ovatis, floribus umbellatis, tubo strictissimo;* amarissima planta, stomachi vitia emendat, febres intermittentes pellit, sudorem movet: præscribitur ipsa herba, vel eius summitates infundendæ: plantæ unc. semis, vel summitatum pugilli duo, tres, in infuso semivinoso ob amarorem: pulveris scrupulus, dosis. Decoctum externe traumaticum familiare.

PRÆPARATA.

Conserva non multum in usu. *Extractum* efficax, *aqua* stillatitia vix laudabilis, *sal* inutile.

CHINÆ RADIX *Offic.* SMILACIS *Botanicorum.* Classis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Pockenwurtz. *Anglis* China.

SMILACIS *caule aculeato, foliis orbiculato-ovatis, inermibus, quinquenerviis;* radix, sola officinalis, decoctum dat demulcens, saponaceum tamen, in acrimoniis laudatum, adhæc sanguinem mundificat, lui venereæ, arthriticis, rheumaticis, & podagricis effectibus prodest: in decocto insipidæ uncia semis, in substantia drachma semis, una, datur. In dispositis calidæ plantæ sorbitio sudorem movet.

CONTRAYERVÆ RADIX *Offic. Botanicorum.* DRAKENA. Claſſis Naturalis . . . *Germ.* Giftwurtz. *Gallis* Contrajerva. *Anglis* Counterpoiſon.

DRAKENA *ſcapis radicatis*, alexiteria, ſudorifera, ubi exſtimulanda natura in febribus, magni uſus: laudatur etiam in peſte, miasmate in ſanguine vago, nondum fixato, ut alia ſudorifera: adhæc ſtomachica eſt, carminans. In infuſo doſis uncia ſemis, in pulvere ſcrupulus. Tinctura ſpirituoſa multum movet.

COSTUS dicetur inter *Diuretica*.

DICTAMNUS CRETICUS P. I. p. 145.

ALBUS P. I. p. 145.

ENULA CAMPANA P. I. p. 146.

EUPATORIUM, vide *Diuretica*.

HYSSOPUS P. I. p. 148.

LAURUS P. I. p. 151.

LEVISTICUM *Offic. Botanicorum.* LIGUSTICUM. Claſſis Naturalis umbelliferarum. *Germ.* Liebſtöckel. *Gallis* Leveſche. *Anglis* Lovage.

LIGUSTICI *foliis multipartitis*, *foliolis ſuperne inciſis*, herba, radix, ſemina, officinalia habentur: vis plantæ grata, alexiteria, ſudorifera; in infuſo foliorum manipulus ſemis, ſeminis vel radicis uncia ſemis; dari etiam in pulvere poſſunt radix, & ſemen,

gran:

gran. quindecim dosi ad viginti, scopo eodem, vel carminante. Succum foliorum recentium ad scopum emmenagogum suppressis menstruis specificum habuit FORESTUS, ad uncias tres exhibitum. Est etiam succus radicis summe solvens, ut gummi-resinosis non cedat, BOERHAAVE. Semen masticatum, deglutitum, vel cum foliis aqua, & vino coctum, potenter iuvat suffocatione hysterica correptas, HAMNERIN *Dissert. C.*

MARRUBIUM ALBUM. *Vide Emmenagoga.*

MELISSA P. I. p. 117.

MENTHA P. I. p. 154.

NASTURTIA & omnes antiscorbuticæ p. 81. seq.

ORIGANUM VULGARE *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Ringentium. *Germ.* Wilder Majoran. *Gallis* Origan. *Anglis* Origane.

ORIGANUM *spicis foliosis coloratis, umbellatis*, odorata, subacris, sudorifera est, etiam morbis pituitosis pectoris dicata, incidens, melle diluta.

Forma infusi vel electuarii. Infunditur manipulus semis, vel ut thea usurpatur cum melle.

ORIGANUM CRETICUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Ringentum.

ORIGANUM *spicis tetragonis*, præcedenti calidior, odoratior, etiam stimulantior est, majorum vi-

rium, minori doſi danda. Oleum ſtillatitium goſſypio exceptum, denti carioſo inditum, odontalgiæ medetur deſtructione nervi; at in hac re nihil peculiare eſt, faciunt id alia calida plurima.

PETASITIS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Compoſitarum Radiatarum. *Germ.* Peſtilentz-Wurtz. *Gallis* Herbe aux Tigneux. *Anglis* Butterbürre.

PETASITIDIS *floribus ſpicatis, floſculis omnibus androgynis* HALLERI, radix acris, aromatica, amara, exſiccata carbonibus iniecta ſcintillat, & inflammatur, HILL *de Diaphoreticis*, etiam deſtillata oleum, in ſpiritum inflammabilem largitur, IDEM. Sic etiam extractum reſinoſum totum comburitur, IDEM. Radix ſodorem pellit, alexipharmaca: unciæ ſemis pondere in anaticis partibus aceti, & vini infuſa calide cochleatim ſumpta, vix fallit; adhæc ſtimulans, potenter incidens, in aſthmate, BUCHWALD, etiam in epilepſia, L. B. van SWIETEN, unciæ pondere in hydromellis libra una infuſa, & aliquot unciis matutino tempore ieiuno ſtomacho diu ſumpta, dato bis terve in menſe purgante. Externe valet ad bubones in peſte adhibitum cataplasma, HALLERUS. Podagram etiam idem ſuperavit, WOOD.

PEUCEDANUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Saufenchel. *Gallis* Queue de porceaux. *Anglis* Sovvfennel.

PEUCEDANI *pinnis duplicatis pinnatis, foliis latiuſculis, longe trifidis*, radix, calida, acris, ad aſthma mucoſum, difficilem expectorationem, paralyſim, ſtrangulatum uteri, commendatur, unciæ ſemis, unius doſi

dosi in infuso. Vulneratum peucedanum lacrymam stillat aromaticam, nondum probatam.

POEONIA *Offic. Botanicorum.* Classis Multistam. *Germ.* Gichtwurtz. *Gallis* Pivaine. *Anglis* Peanie.

POEONIA quoad varias partes, variis celebrata etiam multis officinis recepta, non tamen omnibus habetur. Flores soporiferi plurimis desiderantur: radix antispastica, antiepileptica multis, sudorifera aliis, veneni suspicionem incurit apud HALLERUM. Semina eadem vi gaudent. Datur radix in pulvere a granis decem ad triginta, in decocto a drachmis duabus ad unciam semis. Seminis eadem dosis in pulvere, emulsione, infuso.

ROSMARINUS *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Ringentium. *Germ.* Rosmarin. *Gallis* Rosmarin. *Anglis* Rosemary. *Italis* Rosmarino.

ROSMARINUS gravi, & penetrante est odore, sapore acri, subamaro. Totus excitans, nervinus, in syncope, passione hysterica, vertigine senili, apoplexia, paralysi, lethargo, & aliis morbis frigidis, instar thee sumptus, etiam vinis medicatis ad manipulum semis infusus, aut pulvere ad grana quindecim datus. Flores per excellentiam *anthos* dicuntur, ex his conserva seni ob debilitatem drachmæ unius, duarum pondere, semper matutino tempore sumpta, superpota aqua stillatitia, conveniens.

Aqua stillatitia, spiritus vulgo aqua Reginæ Hungariæ dictus, oleum stillatitium; efficacia remedia: Oleo

roris marini in immani coccygis dolore, parti illitò, æger convaluit HANNÆUS *Ephem.* N. C.

RUTA P. I. p. 157.

SABINA 158.

SAMBUCI *Flores* P. I. *Roob.* p. 58.

SANTALUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Fructiflor. *Germ.* Sandelholtz. *Anglis* Sauders. *Gallis* Santal.

SANTALA tria ſunt; *citrinum*, *album*, *rubrum;* citrinum fragrantiſſimum, odore ex moſcho, & roſis compoſito, ob oleum eſſentiale plurimum, ſapore amaro, multum reſinoſo, ut inde principia pateant calida. Album in omnibus debilius aſt: rubrum utroque potentius adſtringens: his etiam alia ligna ſubſtitui ſolent.

VIS MEDICA ſtimulans, balſamica, ſudorifera, citrini, & alba raſorum, in infuſis drachmarum trium, unciæ ſemis pondere, non ſpernenda. Rubri fixioris adſtringens, roborans vis, coctione elicitur, ſudores, hæmorrhagias compeſcit, unciæ ſemis doſi in libra una aquæ; ſed cur in his ſubvenenatam vim, & ut novis nominibus loqui amat, ſynochizantem culpat LINNÆUS? An ex BONTIO? Gratum, reficiens, ex ſantalo citrino deſtillatione obtinetur, oleum nempe, quod paucis notum. GODFREY.

SASSAFRAS P. I. p. 127.

SCABIOSA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Comp. Aggregatarum. *Germ.* Grind-Kraut. *Gallis* Scabieuſe. *Anglis* Scabious. *Italis* Scabioſa.

SCABIOSA *corollulis quadrifidis*, *corollis radiatis*, *caule hiſpido*, amara, & bechica multum recommen-

mendatur, BOERHAAVE, seu in decocto, seu in succo sumpta. Multum saponacea absque multo motu resolvens, in ulceribus venereis etiam utilis, BUCHWALD. *Extractum* probandum: *aqua* stillatitia haud laudabilis. Nec plantæ, nec præparatorum scrupulosa dosis est.

SCORDIUM *Offic. Botanicorum.* CHAMÆDRIS. Classis Naturalis Ringentium. *Germ.* Lachen-Knoblauch. *Gallis* Germandre d'eau. *Anglis* Garleke mandoc.

CHAMÆDRIS *foliis ellipticis*, *mollibus*, *verticillis inter folia paucifloris*, odore alliato, gravi, sapore amaro, acri, inter alexiteria, & antigangrænosa primaria, BOERHAAVE. Ad manipulum semis pro usu interno infusa, manipulum unum, unum semis pro fomento, vel cataplasmate cocta. Sudorem certo movet, etiam ad pestem laudata, morbos ischiadicos, rheumaticos tollit, potu, & fotu.

PRÆPARATA.

Aqua scordii composita, efficax, sudorifera, *conserva*, *extractum*, valentia, *electuarium* diascordium opio dives, in dysenteria laudatum. *Syrupus*.

SERPENTARIA VIRGINIANA *Off.* ARISTOLOCHIA *Botanicorum.* Classis Naturalis fructiflorarum. *Germ.* Spanisch-Schlangen-Kraut. *Gallis* Viperine. *Anglis* Snake-root.

ARISTOLOCHIA *caule anguloso*, *floribus solitariis*, *recurvis*, sudorifera omnium observatione, antiseptica, PRINGEL *Philosoph. Transact.* antifebrilis, SYDENHAM, etiam contra pestem laudatur, & in fine

ne morborum acutorum, ubi materia cocta per ſudorem expellenda, in convulſivis motibus, WILLIS. Purgantium vim infringere, HARTMANN. Datur in infuſo a drachmis duabus ad unciam dimidiam, in pulvere a ſcrupulo ad drachmam ſemis.

SERPENTUM RADIX *Off.* OPHIORPHIZA L. Claſſis Pauci-ſtam.

OPHIORRHIZA vix multis officinis recepta, nec iis, quibus recepta, ſincera, DARELLUS: colubrini ligni optima & præſtantiſſima ſpecies, ad febres intermittentes, morſus ſerpentum, & vermes valet, IDEM. Doſis uncia ſemis ad ſummum in decoctis, vel drachma ſemis in eſſentiis: ligna enim rariſſime in ſubſtantia propinari debent, IDEM. Ex hoc cum aliis fit lapis de GOA, LOCHNERUS. Ad hydrophobiam etiam laudat LINNÆUS. Cæterum ſudoriferum eſt egregium, ut & lignum colubrinum vulgare.

SILER *Off. Botanic.* TORDYLIUM. Claſſis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Seſel. *Gallis* Sermontaine. *Anglis* Siler.

TORDYLIUM *involucris partialibus longitudine petalorum, foliolis ovatis, laciniatis;* ſemen creticum inter ſudorifera, carminantia, laudatur ſcrupuli, vel drachmæ ſemis doſi.

TANACETUM *Off. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Compoſitarum Nudarum. *Germ.* Wurm-Kraut. *Gallis* Tanaiſe. *Anglis* Tanſy.

TANACETI *foliis pinnatis, pinnis pinnatifidis, ſerratis,* herba, flores, ſemina, omnia balſamica, ſudorifera, ſtomachica, anthelmintica, emmenagoga ſunt,

ſunt, hydropicis, & hyſtericis utilia, LINNÆUS. Flores pulveriſatos drachmæ pondere, pro egregio antihyſterico, alii recommendant. Herbæ doſis in infuſo manipulus ſemis, florum pugilli tres, qui & inſtar thee ſumi poſſunt. Seminum in pulvere doſis drachma ſemis, una. *Aqua* ſtillatitia laudabilis, *oleum* deſtillatum potens.

VALERIANA, vide *diuretica.*

VERONICA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Rigentium. *Germ.* Ehrenpreis. *Gallis* Veronique. *Anglis* Speedwel.

VERONICA *ſpicis lateralibus pedunculatis*, *caule procumbente*, calide inſtar thee pota, multis ſudorifera habetur, licet hanc vim nec eminentem, nec certam habeat: blande adſtringens eſt, in ulceribus viſcerum internorum conveniens, etiam in phthiſi, BRESLAV. Cæterum & ſuccum ad uncias duas de die potum podagræ mederi, BOERHAAVE; in infuſo manipulus ſemis, ad libram unam aquæ.

VINCETOXICUM *Off. Botan.* ASCLEPIAS. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Schwalben-Wurtz. *Gallis* Domte venin. *Anglis* Swallow-wort.

ASCLEPIAS *foliis ex ovato lanceolatis*, *glabris*, *floribus racemoſis*, *albis*, HAL. Recens veneni criminatur ob familiam, aliis alexipharmaca cenſetur, externe ad glandulas induratas, ulcera ſordida, tumores mammarum, TOURNEFORT. Doſis in decocto unciæ ſemis, unius: in pulvere ſcrupulus unus, etiam duo, dantur.

VIRGA AUREA, vide *Diuretica.*

ARTEFACTA COMPOSITA.

FULIGO *Off.* Combuſtibilium omnium, ignis aperti ope, vernicis ſpecie caminis inhærens, productum, ingrati odoris, ſaporis nauſeoſi amari, deſtillatum dat primo aquam pellucidam, fœtidam tamen, tum copioſam lacteam, pinguem, tum ſalem flavum volatilem, alcalinum, oleoſum, atrum craſſum cauſticum oleum in collo retortæ, ſal ammoniacum. Fuligo omnibus patet menſtruis tam aquoſis quam ſpirituoſis.

USUS MEDICUS ipſius fuliginis ſatis rarus, licet potenter incidat, & ſtimulet in frigidiſſimis morbis; optato ſæpe ſucceſſu in catapotia cogi, BOERHAAVE. Sunt qui etiam fuliginem in ſcabie retropulſa magnarum virium habent, hi ſolam præſcribunt, alii momento camphoræ actuatam. Tinctura fuliginis non in omnibus officinis habetur, gutt. quadraginta doſi, bis terve in die, in Noſocomio Regio Edimburgenſi, exhibetur.

MITHRIDATIUM & omnia Theriacalia.

SALIA VOLATILIA rectificata, vel ſola, vel mutata, in ſalem medium.

SPIRITUOSA STIMULANTIA vehiculo calido excepta.

OLEA EMPYREUMATICA. Ita oleum animale DIPPELII, quod ad guttas tres infuſum unciæ dimidiæ ſpiritus vini, quatuor hominibus datum, uberrimum ſudorem provocavit. HOFFMANN. CARTHEUSER.

SPI-

SPIRITUS VINI VAPOR nudo corpore linteo cerato undique tecto ſuſceptus, profuſiſſimos ſudores facit, robuſtiſſimis etiam periculoſos, ſi nimis protrahantur.

PHOSPHORUS *Offic.* Claſſis arte productorum.

PHOSPHORUS glaciale eſt ex urina præparatum, quod expoſitum aeri in tenebris lucet, & ardet: Hoc ex urina putrefacta primo, dein etiam ex aliis ſubſtantiis productum; ita ex ſeminibus ſinapi albi, & nigri, ex ſeminibus Naſturtii hortenſis ALBINUS, ex ſecali tritico, aliis POTTIUS vidit, quæ omnia etiam MARGGRAFIUS obfirmavit, qui inſuper, quibus ex ſubſtantiis parari vere poſſit, quibus non liceret, reliquit, optimamque methodum parandi phosphori communicavit.

De Noctilucæ huius aereæ ex urina paratæ PRINCIPIIS non unus omnino eſt omnium conſenſus: de Phlogiſto quidem dubia haud ſententia eſt, ſed præcipua de Natura acidi eius controverſia eſt. Nam & huic ſalis ineſſe acidum, HELLOT, MACQUER, & duplici acido, hoc vitrioli, illo ſalis cum terra vitreſcibili & phlogiſto exurgere Phosphorum, MULTI ALII. Ex Acido urinæ proprio & inflammabili conſtare principio HANCKEWITZ *Phil. Transact. abbridged.* Vol. IX. MARGGRAF *Scriptis Chemicis*, & qui illos hodie ſequuntur non pauci dicunt. Expendenda Argumenta ſunt.

Ea ſunt HELLOTII, quæ primo probent deſtillati Phosphori omnia producta, acidi ſalis manifeſta habere indicia; nam & Sal ammoniacus, paulo antequam

prodeat Phosphorus, in collo ſublimatur, etiam evaporata ampullæ aqua a tartari adiecto ſale habetur, nares volatili urinoſo odore feriens, qui in alio experimento ſublimari poſſit: Caput mortuum elixiviatum, inſpiſſatum calcinatum nihil niſi ſalem marinum exhibet, & idem caput mortuum methodo *glauberiana* oleo vitrioli concentrato tractatum ſalis dat ſpiritum volatilem, calidum aurum ſolventem: Adhæc Phosphori in aere deliqueſcentis acidum liquorem non præcipitare Calcis oleum, argentum vero ſpiritu nitri ſolutum in veram lunam cornuam agere plurimis *in Acad. Reg. Scient.* 1737. probavit.

Sunt vero non pauca alia, quæ ex ipſo MARGGRAFIO adiici momenta poſſunt. Sal urinæ fuſibile, quod Phosphori in ſe continet Acidum, deſtillatione ammoniacale largiri ſublimatum, in Eiusdem viri experimento p. 86. æquales ſalis ammoniaci & fuſibilis ſalis portiones deſtillatas nullo modo tentari aut mutari, in alio p. 105. urinæ ſalem in ſpiritu nitri ſolutum præcipitare argentum, p. 107. nec adeo vehementer aut certo ſalis in ſale marino acidum expelli a Phosphori acido, ut non plurimum in cryſtallos cubicas denuo concreſcens ſuperſit, p. 104. & etiamnum certum eſt, ſine ſalis acido, nunquam Phosphorum in compendioſo & fructuoſo, quem adeo laudat, proceſſu paraſſe MARGGRAFIUM, quin maſſæ ex inſpiſſatis urinæ libris decem pulveratorum carbonum libræ dimidiæ compoſitæ ſemper addiderit ſaturni cornui *acido ſalis bene ſaturati* libras tres p. 62. & ex aliis Eiusdem viri experimentis evidens eſt ſolam urinam absque acidi ſalis interventu minorem ſemper Phosphori quantitatem dediſſe, ſalis addito acore maiorem p. 72. Cæterum *Cl.* MARGGRAFII & experimenta & contrariæ expendendæ rationes ſunt, qui-

quibus tamen compulſis omnibus ultimo eluceſcat, Phoſphori acidum ſalis quidem eſſe poſſe, ſed in hoc multum immutatum, p. 74. ut ultimo ſit fere unus omnium conſenſus.

PROPRIETATES lucidi huius corporis ſunt in aere libro deliqueſcere, accendi flamma in loco obſcuro conſpicua cæruleſcente, in vacuo non extinguenda, quæ contra vividior in ratione educti aeris increſcat, SLARE *Philoſ. Transact. abbridged.* Vol. III. ſolvi leviter in aqua & ſpiritu vini, HOMBERG. *Acad. des Sciences* 1711. & ſolum poſt multos annos, exigua in ſuperficie mutatione animadverſa, HELLOT *Acad. des Sciences*, ita tamen ut liquida hæcce acida ſint, HOMBERG l. c. ſolvi in omnibus oleis preſſis interveniente calore, etiam in ipſo Petræ oleo & æthereis: Aquam, in qua coctus eſt Phoſphorus, luminoſam reddere ut & olea, in quibus ſolutus eſt. In aere aperto combuſtum, caput mortuum relinquere, rubrum, tenax, ceræ ſimillimum, SLARE l. c. FROBENIUS, HANCKEWITZ Vol. IX. adeo acidum, ut ſtupefaciat dentes, ferrum diſſolvat SLARE l. c. Vaſe calido exceptam unciam Phoſphori & ſub campana deflagrantem in flores ſublimari albiſſimos drachmarum decem ponderis, ut igitur duarum drachmarum ponderis acceſſerit augmentum, HANCKEWITZ l. c. Aeri expoſitos flores reſolvi in liquamen oleo ſulphuris per Campanam ſimillimum uncias quatuor cum duabus drachmis ponderans, IDEM: crudum caute raſum orbi vitreo impoſitum in aere humido in liquamen reſolvi ter ſuperans primitivum pondus, SLARE l. c. fere octies, HANCKEWITZ l. c. Guſtu ſpiritum ſulphuris aut ſalis referens, SLARE, & priori liquori florum ſimillimum, qui etiam vitrificari poſſit in vitrum cæruleo viride duritiei fere ad-

aman-

amantinæ, HANCKEWITZ l. c. Cæterum cum ſulphure communia multa Phosphorus habet, qui etiam in id ſublimari poſſit, IDEM, eſt tamen in aliis multis diſtinctus a ſulphure Phosphorus.

USUS MEDICUS gr. II. III. doſi diaphoreticus, analepticus, vel ſolus, vel theriacæ iunctus. Sunt etiam, qui ad dolores Rheumaticos laudent & Miliaria, & Morbillos & Inflammationes. Sal eſſentiale urinæ maxime diureticum habet BOERHAAVE, in aſthmate, fluore albo alii recommendant doſi gr. V. X. aliquoties de die. Sed officinæ non habent. An liquamen Phosphori calculos ſolvit?

SUDOREM NIMIUM INHIBENTIA.

1. Aer frigidior.
2. Incraſſantia.
3. Adſtringentia, & roborantia.

CORTEX PERUVIANUS p. 35. ſq.
SALVIA in ſpiritu vini infuſa P. I. p. 159. ſq.



CLAS-

CLASSIS NONA

EVACUANTIUM.

II. DIURETICA.

Quæ medicamenta efficiunt, ut lotium maiori reddatur copia, quam cæterum absque horum auxilio reddita fuiſſet, DIURETICA vocantur. Hæcce vero vec aquoſi laticis copiam augent, & maiorem quantitatem humorum ſubminiſtrant, vel motum humorum in has partes, manente eadem laticis aquoſi quantitate determinant, vel demum obſtacula, aut ſecretionem ipſam, aut ſecreti humoris effuſionem impedientia, tollunt, quo caſu, Incidentia, Anodyna &c. ſæpe Diuretica habentur.

Indicantur

1. a ſignis coctionis.
2. a fluxu critico.
3. a materie peccante ſalina, ſaponacea, ſcorbutica, purulenta, BOERHAAVE, exanthematica, MAUCHARD ex *Cl.* SIGWARD, cum optima purpuram tractandi methodus ſit diuretica nitroſa, non calefaciens, IDEM.
4. a loco affecto.
5. a conſtitutione epidemica.
6. a temperie ægri auſcultante huic evacuationi, vel aſſueta.

Inter

Inter hæc primaria aqua, & omnia aquoſa, maxime ſalibus alcalinis, neutris, actuata. Serum lactis, lac acidum, ebutyratum &c. cum regimine frigido.

VEGETABILIA.

ALKEKENGI *Offic. Botanicorum.* PHYSALIS. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Iudenkirſchen-Kraut. *Gallis* Coqueret. *Anglis* Winter-Cherry.

PHYSALIS *foliis cordatis*, *calyce rubente*, baccæ ſubamaræ, vi diuretica iam olim laudatæ; contra calculum renum in ſe ipſo probavit CRUGERUS *Ephem. N. C. Decad.* 3. Anno 7. 8. unciarum duarum contuſarum pondere, in libra una vini, & aquæ fragorum, addito roob cynosbati, ſyrupi fragorum uncia una, ſpiritus ſalis drachma ſemis; & iam recommendavit RAIUS.

ANTISCORBUTICA omnia. LINNÆUS.

APIUM P. 1. p. 18.

ASPARAGUS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Liliorum. *Germ.* Spargen. *Gallis* Aſperge. *Anglis* Aſpargus. *Italis* Sparagi.

ASPARAGUS *foliis ſetaceis*, *caule herbaceo*, ſaponacea eſt, plurimum diuretica, ut inde urina ſemper fœteat. Ex turionum liberaliori uſu mictus cruentus, SCHULTZ. An inde aliquid in calculo ab hoc medicamento ſperari poteſt?

ASA-

ASARUM diu coctum, vide *Emetica*.

BALSAMA liquida P. I.

BARDANÆ semen.

BETULA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Incomplet. *Germ.* Birkenbaum. *Gallis* Bouleau. *Anglis* Birch-Tree.

BETULA *foliis acuminatis, serratis*, incisa vere, magnam vim succi fundit, multum diureticam, HELMONT, etiam posterioribus experimentis, SPIES, ut diabetem fecerit; valet etiam ad morbos cutaneos, dosis unc. quatuor, sex, matutino tempore succi in media arboris altitudine stillantis, qui enim ex vulnere inflicto parti radicis propiori stillat, minus efficax est, tumque continuatur eius per aliquas septimanas usus, & id potissimum regimen adhibetur, quod in curatorium scopum collimet.

CURCUMA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Palmarum. *Germ.* Gilbwurtz. *Anglis* Turmerike.

CURCUMÆ *foliis lanceolatis, utrinque acuminatis, nervis lateralibus, numerosissimis*, amara radix, incidens & resolvens, in ictero specifica LINNÆO: Urinam etiam, quam luteo colore tingit, pellit, hydropicis multum utilis. Dosis in pulvere drachma semis, bis de die, in infuso uncia.

DAUCUS *Vulgaris* P. I. p. 28.

Creticus

EQUISETUM. Specificum diureticum, vide p. 23.

ERYN-

ERYNGIUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Manstreu. *Gallis* Panicaut. *Anglis* Sea Holly. *Italis* Iringio.

ERYNGII *ramosissimi, pinnis foliorum alatis pinnatis*, herba, & radix habentur diureticæ, ad præcavendum calculum BAGLIVIO laudatæ. Radix aphrodisiaca magni hodie in Anglia usus, ALLEYNE: cur in gonorrhœa demulcens, & prostatæ erosionem impediens, EIDEM? Radicis recentis dosis in decocto uncia semis, una, conditæ drachma una, duæ.

EUPATORIUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Compositarum Nudarum. *Germ.* Odermenig. *Gallis* Aigremoine. *Anglis* Waterhemp.

EUPATORII *foliis digitatis*, amara cum aromate folia, saponacea, nauseosa sunt: vis ad obstructiones viscerum, icterum, morbos cutaneos, in serum lactis tracta, haud debilis, etiam ex febribus intermittentibus hydropicis efficax cum eryngio. Dosis manipulus unus, duo. Radix purgans specificum LINNÆO habetur, quod negat CHOMEL. Repetenda experimenta.

FOENICULUM *Offic. Botanicorum.* ANETHUM. Classis Naturalis Umbelliferarum, *Germ.* Fenchel. *Gallis* Fenouil. *Anglis* Fenkel.

ANETHUM *fructu ovato*, admodum aromaticum, gratum, in omnibus partibus præstans, maxime inter carminantia, resolventia, interno usu laudatur, etiam inter diuretica militat: dantur semina in pulvere ad scru-

ſcrupulum, drachmam ſemis; radix in infuſo ad unciam unam.

PRÆPARATA. *Confectio* ex ſeminibus. *Extractum* inutile, *aqua* ſtillatitia. *Oleum* ſtillatitium. *Spiritus*.

FRUCTUS horæi P. I.

HERNIARIA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Incompletarum. *German.* Harnkraut. *Gallis* Turquette. *Anglis* Rupture-wort.

HERNIARIA *calycibus bractea nudis*, ob herniarum curationem nominata, ſubſalſa, vim diureticam promittit. Diureſim etiam vehementer ciere, idque cum noxa, CHOMEL. Ad urinam propellendam, & promovendas in renibus arenulas, inſtar thee aſſumi poteſt: etiam preſſæ ſuccus ad unciam unam. Ocula-riam, quod hebetatam lectione viſus aciem redderet, dici debere, contendit GRUHLMANN.

IRIS NOSTRAS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Palmarum. *Germ.* Beilwurtz. *Gallis* Flambe. *Anglis* Flour de luce.

IRIS *corollis barbatis, caule foliis longiore, multifloro.* Acris eſt, quandoque ventriculum ſubvertit, quandoque alvum ducit, absque his effectibus urinam movet, unde hydropicis commoda, quibus LINNÆO habetur ſpecifica. Datur ſucci uncia, etiam plus in ſyrupo purgante. Succus radicis iridis paluſtris ad guttas octuaginta omni hora, tum bihorio, in ſyrupo rhamni cathartici datus, hydropico mirum profuit, RAMSAY *Society of Edimburgh* T. V. Ad quinqua-

ginta, ſexaginta dies, radices comedendas ſtrumoſis præbuit ZAPATA in certiſſimam curationem.

MEUM *Offic. Botanicorum* LIGUSTICUM. Claſſis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Beerwurtz. *Gallis* Fenouil Sauvage. *Anglis* Spignel.

LIGUSTICUM *foliis capillaribus.* Planta, fœniculo longe valentior, acrior, in omnibus morbis frigidis efficax, etiam emmenagoga eſt. Semine ad febres intermittentes utuntur Angli, BLAIR, radice ad aſthma humorale, mucum ventriculi, alii. Doſis in pulvere ſcrupulus, drachma ſemis, radicis in infuſo uncia ſemis, ſcopo diuretico.

ONONIS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Papilion. *Germ.* Hauwſeeſel. *Gallis* Areſte bœuf. *Anglis* Camoſche.

ONONIS *floribus ſubſeſſilibus, ramis in ſpinam terminatis*, ſpecifice diuretica LINNÆO, hydropicis & calculoſis convenit in decocto data: doſis uncia ſemis, una, in libra aquæ, pulveris, drachma ſemis.

PAREIRÆ BRAVÆ Radix *Off. Botanicorum* CISSAMPELOS. Claſſis Naturalis. *Germ.* Americaniſche Grieſswurtzel.

CISSAMPELOS *foliis peltatis, emarginatis*, radicem officinis largitur multum diureticam, quam adhuc ſpecificam in calculo habet LINNÆUS: contradicit GEOFFROY, & ſolum in dolore nephritico, & urinæ ſuppreſſione a cauſa frigida prodeſſe vidit: etiam in aſthmate humorali cum ſucceſſu probavit

IDEM,

IDEM, tum & in podagra, gonorrhœa adhiberi LINNÆUS. Specificam quoque in fluore albo CARLIUS deprædicavit; itidem icterus felleus hac superatus habetur in *Acad. des Sciences* 1710, quem hoc medicamento a scirrhoso hepate curare non potuit GEOFFROY. Cæterum tam blande, tam leniter vires suas exerit, ut sine omni metu in omni morbi occasione exhiberi possit, LOCHNERUS *Ephem.* N. C. Dosis drachmæ tres, uncia semis, una, in decocto, in pulvere a granis quindecim ad triginta.

PRÆPARATA. *Essentia* laudabilis.

PETROSELINUM *Offic.* APIUM *Botanicorum.* Classis Naturalis Umbelliferarum. *Germ.* Petersill. *Gallis* Persil. *Anglis* Parsley.

APIUM *foliis caulinis leniaribus*, venenum avibus, SAUVAGES *Acad. des Sciences* 1739. Culinis ob gratum odorem, & saporem, notum, plurimum medicamentosum, resolvens, discutiens, diureticum. Folia in cataplasma contusa, cum urina cocta, luxationibus conducunt, & tumoribus a casu, ictu; etiam sanguinem extravasatum dividunt. Succus pellendis pediculis polychrestus, *Act.* N. C. adhæc vulnerarius, morsibus apum, vesparum utilis, etiam diureticus cochlearium aliquot dosi. In officinis radix habetur, sunt etiam semina. Inter præparata *aqua* stillatitia numeratur.

POLYGALA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Papilion. *Germ.* Kreutzblume. *Anglis* Milkwort.

I. POLYGALA *senega, floribus imberbibus spicatis, caule erecto herbaceo simplicissimo, foliis lato-*

 lan-

lanceolatis, definitur planta in Virginia, Penſylvania, Marilandia creſcens, cuius radix ab aliquot hinc annis in uſum in nonnullis officinis trahi cœpit, quæ tamen noſtris adhuc inviſa ſit. Radix ipſa acris, urensque, acido ſingulari temperata evacuationes fere omnes adaugere ſolet, maxime vero diureſim & expectorationem, quandoque etiam vomitum, aut alvinam purgationem ciere.

USUS MEDICUS in ictu crotalophori ſpecificus Americanis inventus, ſpem facit, in noſtrarum viperarum morſibus prodeſſe poſſe; deinde TENNENTIO ſpecifica inventa radix in Pleuritide, & Peripneumonia, tum aliis in Hydrope, Arthritide, Podagra, Rheumatiſmo, incipiente Phthiſi non ſine ſucceſſu probata eſt. Dabatur medicamentum forma pulveris granorum XXXV doſi; forma tincturæ vinoſæ, dum unciæ IV infunderentur libræ I vini canarienſis, ſtarentque per tres dies in digeſtione in loco calido, & colaturæ darentur coehlearia III pro doſi; forma decocti, dum unciæ III in libris II aquæ fontanæ coquerentur ad tertiæ partis conſumptionem, & colaturæ cum expreſſione factæ, cochlearia III exhiberentur tepide.

II. POLYGALA *vulgaris*, *floribus cristatis racemoſis, caulibus herbaceis ſimplicibus procumbentibus*, *foliis lineari-lanceolatis*, noſtrarum regionum incola planta, priori ab aliquibus ſubſtituta fuit; ſed imbecillior deprehenſa eſt, & cum bono effectu data in Pleuritide, *Acad. des Sciences 1740.* & nuper non ſine ſucceſſu phthiſi oppoſita fuit in noſocomiis noſtris. Eadem eſt ac prioris forma, & doſis, tum etiam in alias formas facile cogi poteſt.

POR-

PORRUM p. 82. Quod, ut & ſuccus promptiſſimum eſt diureticum. *Ephem.* N. C.

RIBIUM *baccae nigrae*, P. I. p. 55.

RUBIA tinctorum p. 29.

RUSCUS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Incompletarum. *Italis* Bruſco. *German.* Bruſchken. *Gallis* Bruſc du Fricon. *Anglis* Kneeholly.

RUSCUS *foliis ſupine floriferis, nudis, mucronatis*, ſucco acri, amaro, ſtyptico gaudet. Radix diuretica, emmenagoga, in decocto rarioris eſt uſus, militat inter radices quinque aperientes maiores; efficax medicina radix in urinæ difficultate, nephriticis ſymptomatibus, veſicæ calculis, ZANNICHELLI *de Ruſco.* Baccas inſtar Coffe uſtas, & ſimili potu ſumptas, urinam multum movere, IDEM, qui hanc præparationem baccarum aliis præfert.

SAXIFRAGIA *Offic. Botanicor.* SAXIFRAGA. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Weiſſer Stein-Brech. *Anglis* White Saxifrage.

SAXIFRAGA *radice granuloſa, foliis reniformibus, lobatis*, acris, multum diuretica habetur, ſed quod infida, exoleta. LINNÆUS.

SCILLA p. 83.

SUCCI Acidi *Citri* P. I. p. 39.

Limoniorum P. I. p. 47.

Bibeſiorum P. I. p. 55.

VALERIANA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Fructiflorarum. *Germ.* Baldrian. *Gallis* Valeriane. *Anglis* Valerian. *Italis* Valeriana.

VALERIANÆ *floribus triandriis*, *foliis omnibus pinnatis*, ut & Valerianæ *floribus triandriis*, *foliis caulinis pinnatis*, *radicalibus indivisis*, radices officinis receptæ sunt: prioris præstantiores, LINNÆUS, posterioris *Phu* dictæ, exoletæ.

Succus expressus evaporatus dat sal crystallinum. HILL *de Diaphoreticis.* Aliquid narcotici habet, cum aromate penetranti, in epilepsia maxime laudata olim, etiam hodiernis experimentis comprobata est CRUGERO *Ephem.* N. C. *Decad.* 2. Anno 7. in epilepsia ab ira, & alia a terrore, drachmæ dosi in aqua cardui benedicti, theriaca divite, sumpta. In epilepsia ex retentione mensium, LENTILLIUS *Ephem. Decad.* 3. Anno 3. etiam in inveterata epilepsia drachmæ unius, unius semis, duarum dosi probata MARCHANTIO *Acad. des Sciences.* Ad unciam semis, bis, ter in die datur in Nosocomio Regio Edimburgensi. In convulsionibus, passione hysterica, etiam laudatur, BRADLEY *a Course of lectures upon the Materia Medica*, tum demum peculiariter in debilitatae visus EIDEM extollitur.

VINA tenuia acida

Austriaca

Mosellana

Rhenana.

VIR-

VIRGA AUREA *Offic. Botanicorum* SOLIDAGO. Classis Naturalis Compositarum Radiatarum. *Germ.* Gulden-Wunderkraut. *Gallis* Verge d'or. *Anglis* Golden-rod.

SOLIDAGO *caule erecto, racemis alternis erectis*, balsamica planta, inter vulnerarias princeps, PARACELSUS, RAIUS, BUXBAUM, PONTEDERA. Ad viscerum ulcera, maxime renum, vesicæ, urethræ, quod has vias affectet, laudatur omnium consensu, quin etiam in febre hectica, NENTERUS. In experimento adhuc deprehenditur diuretica, ut ob hanc vim calculo adhibita, BEVEROVIC. GRULING. Trium drachmarum pondere, intervallo octo horarum, sumpta calculum pepulit GERLI, & unam drachmam per triduum in vino sumptam supra fidem acerbissimum morbum fefellisse, iam BERCLAIUS, tum integra capita cocta specifice ad aquam inter cutum valere PONTEDERA, etiam faucium ulceribus SCHWENCKFELD, laceratæ in partu vesicæ mederi TETTELBACHIUS; extractum, quod in officinis desideratur, in ischuria, calculo, ulcere renum, & vesicæ, multum valere, ZORN.

URTICA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Nessel. *Gallis* Ortie. *Anglis* Nettles.

URTICA *foliis oblongo-cordatis*, urinas pellit, & præstans est remedium antinephriticum in decocto, SPIES, ad rupturas vasorum internorum etiam hodie in succo adhibetur, in hæmoptysi LASERME prpbavit. Porro externe rubefaciendi vim habet, urens tactu

tactu planta, & notæ ſunt familiares veteribus paralyticorum membrorum urticationes, quarum ſucceſſum in paralyſi *Acad. des Sciences* 1741. recentiſſime hauſit.

ANIMALIA ET ALIA.

LAPIDES Cancrorum
OSTRACODERMATA } acido ſoluta p. 131. ſq.

MILLEPEDES *Offic. Hiſtor. Natur.* ONISCUS. Claſſis Inſectorum. Ordo Apterorum. *Anglis* Sow-Bugs. *Germ.* Keller-Würme.

ONISCUS *cauda obtuſa, bifurca,* multo ſale volatili gaudet, diuretico, ſtimulante, incidente, in incipiente cataracta plurimum laudato, ſive in ſucco, ſive in pulvere: etiam inventus in ſuppreſſione urinæ a cauſa mucoſa, in ipſo calculo utilis, LAUREMBERGII propria experientia. Doſis pulveris ſcrupulus unus, drachma ſemis, aliquoties de die. Numero decem ad centum in mortario cum vino contunduntur, ut inde ſuccus proliciatur, qui pulvere efficacior ſit. Examen chemicum ex Millepedibus etiam alia producit ſic Millepedum libra una, ſpiritus alcalini uncias tres, olei empyreumatici unciam, ſalis volatilis drachmas quatuor cum dimidia præbuit, carbo uncias decem æquans calcinatus, edidit drachmas tres ſalis alcalini fixi, levis, ſuavi odore nares ferientis. SPIELMANN, l. c.

Huc etiam faciunt

SUCCUS *Conchyliorum.*
Oſtreorum.
Millepedum.

His

His omnino & ex foſſili materie addi plurima poſſunt, & ſalia pæne omnia & aquæ medicatæ plurimæ; his in caſibus admodum familiares, & acidi

SPIRITUS *Vitrioli*
Salis
Nitri.

DIURESIM SISTENTIA.

1. Adſtringentia, Roborantia p. 13. ſq.
2. Mucilaginoſa p. 9. &c.
3. Opiata alibi dicenda.
4. Sudorifera p. 155. &c. cum Regimine calido.



CLASSIS DECIMA
EVACUANTIUM.

III. EMMENAGOGA, ET *ARISTOLOCHICA.*

Quæ menſtrua movent, EMMENAGOGA, quæ lochia, ARISTOLOCHICA dicuntur. Horum varia eſt pro varietate cauſæ materia: ſi enim in fibram maior rigiditas, tenſio, elaſticitas, ſpasmus, refundi poſſit, Emollientia, Laxantia, Antihyſterica, tum Emmenagoga, & Ariſtolochica ſunt; ſi ſanguinis adſit penuria, hæmatopoieſin augentia; ſi abundantis tenacitas, ſpiſſitudo peccet, Diluentia, Saponacea; ſi demum mucoſi viſciditas culpari poteſt, Incidentia, Stimulantia, auxilio ſunt.

Indicantur 1mo ab ætate,
2do a Plethora,
3tio a morbo hinc pendente.

Præter illa, quæ inter cardiaca ſtimulantia dicta, etiam inter ſudoriſera relata varia forma ſumpta, potu, vapore, fotu, inceſſu ſpeciatim huc ſpectant.

ARISTOLOCHIA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Fructiflorarum. *Germ.* Oſterlucey. *Gallis* Ariſtoloche. *Anglis* Birthwort.

ARISTOLOCHIA *caule ramoſo, floribus ſolitariis, erectis.* Duas una definitione, officina ariſtolochias

chias complectitur, *rotundam* nempe, & *longam:* utraque aromatica, amara, acris est, rotunda tamen efficacior longa, morbis uteri frigidis dicata, ut etiam epilepsiæ ab utero prosit; SCHONBORN, FERNEL, suppressioni mensium a mucositate medeatur, asthmati humorali, orthopnœæ obveniat, FERNEL. Specificum in podagra medicamen alii voluere, sed experimenta non respondent; antiarthritica tamen adhuc video laudari tincturam, & extractum, granorum quindecim dosi *Ephemerid.* N. C. Externe carnem mortuam corrodit pulvis, sive in ulcere, sive fistula, FALLOPIUS, & hodie ubique adhibetur. Pulvere aristolochiæ longæ in aqua veronicæ cocto, & cum petiis applicato, ulcus tibiarum cacoethes, quod anni spatio frustra chirurgus obligarat, paucorum dierum spatio consolidavit SIM. PAULI, & ad genitalium ulcera laudat TRAGUS. Interne utraque in pulvere datur, a scrupulo ad drachmam semis, in decocto drachmarum duarum, trium pondere, sed amarum est: in usum externum unciæ semis dosi præscribitur. Aristolochia vulgaris hodie non est magni usus.

ARTEMISIA P. I. p. 128.

CHAMÆMELUM *Offic. Botanicorum* MATRICARIA. Classis Naturalis Compositarum Radiatarum.

MATRICARIA *foliis pinnatis, pinnis latis, capillaribus, multifidis*, odorata, amara est, uterina, carminans, antinephritica, in balneis, clysteribus, sæpius recepta.

CHAMOMILLA *Offic. Botanicorum* CHAMÆMELUM. Claſſis Naturalis Compoſitarum Radiatarum. *Germ.* Camillen. *Gallis* Camomille. *Gallis* Cammomile.

CHAMÆMELUM *foliis lanuginoſis*, *pinnatis*, *pinnis capillariter multifidis*, præcedenti efficacius, menſes pellit, dolores uteri ſpurios, inteſtinorum colicos, ſopit. Externe potenter reſolvit, diſcutit, lenit, tumoribus applicatum: familiari in uſu eſt. In pulvere ſcrupulus unus, drachma ſemis datur, in infuſo manipulus ſemis præſcribitur, maiorem quantitatem cataplasma depoſcit.

CANCRORUM LAPIDES aceto ſaturati.

CROCUS P. I. p. 114.

DICTAMNUS P. I. p. 154.

GUMMI RESINOSA Corpora & his affinia.

ASA fœtida.

AMMONIACUM.

BDELIUM.

OPOPANAX.

MYRRHA.

SAGAPENUM.

FERRUM p. 65. ſq.

MARRUBIUM album *Off. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Ringentium. *Germ.* Andron. *Gallis* Marrubin. *Anglis* Horehound.

MARRUBIUM *denticulis calycinis ſetaceis*, *uncinatis*, in decocto ſanguini mixtum, hunc rubicundio-

rem,

rem, & fluidiorem, quam spiritus salis ammoniaci reddit, SCHWENKE, ut deobstruens, attenuans egregium in infarctu viscerum, hæmorrhoidibus: prodesse in eductione puris tenacis cum melle incoctum, imo etiam valere expressum succum, BOERHAAVE probavit, confirmavit LOESEKE. Scirrhum hepatis etiam dissolvere posse, CHOMEL. Cæterum inter emmenagoga non infirmum locum habet BORELLO, & aliis. Ptyalismum mercurialem iuvare, LINNÆUS.

Prostat aliquibus in officinis *Syrupus* de prasio.

MATRICARIA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Compositarum Radiatarum. *Germ.* Mutter-Kraut. *Gallis* Matricaire. *Anglis* Feverfew.

MATRICARIA *foliis pinnatis, ovato-incisis, pedunculis ramosis,* multi aromatis, singularis tamen planta, ictero dicata est, menses evocat, uterum purgat, dolores a partu sopit, potu, fotu, clysmate. Datur in pulvere ad scrupulum, drachmam semis; succus etiam ad unciam unam: ad libram aquæ herbæ manipulus semis infunditur, etiam instar Thee comæ, seu summitates sumuntur. Debilior chamæmelo est HALLERO. Scopo carminante clysteribus etiam sæpius recipitur.

PRÆPARATA. *Aqua* stillatitia, *oleum* stillatitium.

MELISSA P. I. p. 117.
MENTHA P. I. p. 154.
MERCURIUS sexies sublimatus.
MEUM p. 178.
PULEGIUM P. I. p. 157.

PUR-

PURGANTIA ita inter purgantia uterina primun locum occupat Aloe, ſed refracta doſi & ſæpius data ad grana tria vel quatuor vel mixta cum gummi aromaticis. Valent etiam in eandem rem eius compoſita ut Elixir proprietatis vel maſſa pilularum Ruffi refracta doſi data. Iuvant pariter Bryonia & Colocynthis & horum compoſita cauſa frigida ſuppreſſionem Menſium faciente, maxime vero Hellebori nigri vis; & imperatur tincturæ Hellebori nigri cochleare minimum ex aquæ tepefactæ hauſtulo aut alio modo medicamentis aliis mixta.

ROSMARINUS p. 163.

RUTA P. I. p. 157.

SABINA P. I. p. 158.

SALIA ut Borax alia.

Hæc vero medicamenta plurima adiuvant adminicula & motus & fricto & Cucurbitæ & admiſſi in genitalia vapores &c.

ANTI-EMMENAGOGA, ET ANTI-ARISTOLOCHICA.

1. Revellentia Chirurgica.
2. Adſtringentia.
3. Inviſcantia.
4. Opiata.
5. Repercutientia frigida.



CLAS-

CLASSIS UNDECIMA

EVACUANTIUM.

IV. APOPHLEGMATISONTA SIVE ERRHINNA, & PTARMICA.

Quæ in nares immiſſa, vel hauſta, medicamenta mucum maiori copia eliciunt, ſternutationem movent, talia habentur. Hæc petuntur

I. Ex aromaticis ſtimulantibus, ut

MAIORANA P. I. p. 152.
MARUM P. I. p. 153.
SALVIA P. I. p. 159.

II. Ex antiſcorbuticis p. 78. ſeq.

III. Ex acribus.

ASARI pulvis ad grana tria, quatuor, in Cephalalgia prodeſt, PITT. SCHULZE. In cauſa materiæ purulentæ in capite collectæ DESMARS *Recueil periodique d'obſervations* T. VII.

NIGELLA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Multiſiliquam. *Germ.* Narden-Saamen. *Gallis* Nieſle. *Anglis* Nigella. Fennelflower.

NIGELLÆ *petalis ſubtricuſpidatis*, *foliis ſubpiloſis*, ſemen, acre, aromaticum, ſuaveolens, interno

vix

vix receptum ufu, licet ad lochia promovenda laudetur, inter fternutatoria acriora reponitur pulveratum. An rabiem caninam tollit? Confirmatio deeft.

TABACUM *Offic. Botanicorum* NICOTIANA. Claffis Pauci-ftam. *Germ.* Tabac. *Gallis* Tabac.

NICOTIANÆ *foliis lanceolatis*, folum naribus admotæ, fternutatoria omnibus nota efficacia eft, attracti pulveris notior. Venenatam plantam experimenta probant, ventriculum fubvertentem, vomitoriam, etiam externe in cataplasmate applicatam epigaftrio, STEDMANN *Society of Edimburgh* T. II. in fomento, brachiis, cruribusque, impofitam MARRIGUES *Recueil periodique d' obfervations* Tom. VII. etiam narcoticam aliorum pericula habent. Repetita coctione ex emetica purgans fit, tum demum diaphoretica, diuretica, etiam pectoralis, IENSENIUS *Prod. Act. Havnienf.* Decoctum aquofum ulcera mundat, cataplasma tumores aquofos potenter difcutit, alios fimul rubefacit; fumus hyftericas movet, licet in corrigendo miasmate peftifero utilis.

Tabacæ fumus per fiftulam in anum iniectus, in pertinaciffimis alvi conftipationibns, ilio, colica, herniis incarceratis, etiam tympanitide efficax, referatione alvi; mafticatio, fumi fuctio, multis in ufu fialagogo utilis, maxime vero laxis & udis corporibus. Profuit afthmaticis, hinc inde etiam quos extenuavit obefis. Eft tamen quotidianus ufus tantum non femper damnofus, & ex fumi fuctione Tabes, Apoplexiæ, Epilepfiæ, Pectoris, Hepatis, Ventriculi vitia plures obfervarunt: nec qui fenuerit fumiphilum meminit TYSSOTUS *de Apoplexia.*

PTAR-

PTARMICA Offic. *Botanicorum* ACHILLEA. Classis Naturalis Compositarum Floribus Radiatis. *Germ.* Wild-Bertram. *Anglis* Sneere-wort.

ACHILLEA *foliis integris, minutissime serratis,* ubique fere obvia, acris, errhinna, sternuatoria est. Tota herba una cum radice contra mictum cruentum, aut uteri profluvium, in decocto in Sibiria assumitur. *Clar.* GMELIN. *Fl. Sibiricæ* T. II.

IV. Ex Fortissimis.

Pulvis Rad. HELLEBORI albi, vide *Venena.*

EUPHORBII, *ibid.*

STERNUTATIONEM INHIBENTIA.

LAC tepidum naribus attractum.

DECOCTA, vapores plantarum emollientium.

MUCILAGINUM Usus.

SEMINIS CYDONIORUM.

GUMMI TRAGACANTHÆ &c.

Suffimigia, quæ debilitatas ab acribus partes firmant.

FLORUM BALAUSTIORUM.

MASTICHIS.

OLIBANI.

SIALAGOGA.

Quæ ſalivam maiori quantitate eliciunt, SIALAGOGA dicuntur.

Indicantur in lue Venerea & morbis ab ea dependentibus, ut Scabie, Lepra venereis &c.

Contra indicantur vero a leviori gradu luis a temperamento ſicco & calido, a viribus ægri conſumptis ſeu ab ipſa lue, ſeu ab aliis morbis. Gravidis non niſi artis Magiſtri mercurialia ſialagoga exhibere debent.

Cæterum in tres Claſſes commode revocantur

I. Ea, quæ ſanguinem ad hanc excretionem diſponunt, qualia

Decocta attenuantia p. 72.

Diluentia inprimis

SCABIOSÆ p. 164.

BARDANÆ p. 72.

CHINÆ p. 159.

PARIETARIÆ p. 11.

Decocta SARSAPARILLÆ p. 125.

SASSAFRAS P. I. p. 127.

SANTALORUM p. 164.

II. Ea

II. Ea, quæ organa ſalivalia magis irritant ad excretionem ſalivæ. Quo ſpectant

Collutiones ex acribus, vel vapores ex iisdem.

MAIORANÆ.

NIGELLÆ.

ROSMARINI.

SALVIÆ.

SERPILLI.

TABACI.

THYMI.

Maſticatio, ASARI p. 191.

PIPERIS p. 82.

PYRETHRUM *Offic. Botanicorum* BUPHTHALMUM. Claſſis Naturalis Compoſitarum Floribus Radiatis. *Germ.* Bertram. *Gallis* Pyrethre. *Anglis* Berthram.

BUPHTHALMUM *caulibus ſimpliciſſimis*, *unifloris*, *foliis pinnato-multifidis*, acrem, igneam officinis radicem exhibet.

USUS MEDICUS, radicis, in aceto coctæ, denti carioſo inditæ, in odontalgia non infimus, ab omni tempore laudatus, etiam nuper a *Cl.* DELAITRE forma elixir, dum radici pyrethri ſuperfunderetur aqua vitæ, lavendulæ, addereturque aliquid ſalis ammoniaci, datum remedium, in humorum in gingivas decubitu dolente, deprædicatus *Recueil periodique* &c.

T. VIII. Cæterum maſticata radix vel ſola, vel aliis intrita, ſialagoga, multum etiam linguæ paralyſi proficua, inventa fuit.

Maſticatio ZINGIBERIS, aliorum, maſtiche exceptorum.

III. Ea, quæ proprie *Sialagoga* dicuntur.

MERCURIUS *Offic. Mineralogiæ* HYDRARGYRUM. Claſſis Naturalis Minerarum. Ordo Semimetallorum fluidorum. *Germ.* Queckſilber. *Gallis* Mercure. *Anglis* Quickſilver.

HYDRARGYRUM *nativum* W. fluidum, maxime diviſibile, colore argenteo, in igne volatile, eodem nec calcinabile, nec vitrificabile, licet per ſe calcinatum in lentis maioris foco vitreſcat, GEOFFROY. Metalla attrahit, & ſolvit, maxime aurum, argentum, plumbum, ſtannum, zincum &c. a ſpiritu nitri facile ſolvitur.

PRINCIPIA mercurii difficilia dictu, nec patuere magno BOERHAAVE, 500. vicibus materiem vexanti, terra vitreſcibili, volatili, GEOFFROY, ſeu principio mercuriali mercurificante conſtare, BAS. VALENTINUS.

VIS MEDICA, in morbis manifeſte venereis, ut & huius puoſapiæ larvatis, magnæ famæ; inunctus in Gallis, in aliis regionibus præparatus, per os ſumptus mercurius, utroque modo humores ſolvens, & per glandulas ſalivales fœtidos educens. Sed an per ſalivationem venenum mercurius expellit? an iam in corpore domat? Quæſtio hæcce exagitari in Galliis cœ-

pit

pit poſt viſa experimenta TORRES, qui venereos omnes absque ſalivatione reſtituit. Experimenta huius viri decretoria ſunt; ſalivatio ad curationem contribuit nihil, quin haud periculo, minus adhuc incommodo vacat, ut ſanis & venereis ſalivam Mercurius ſolvit, acrem, rodentem exulcerantem facit. Ut demum ultimo in arcanam mercurium præparandi TORREANAM methodum ſudatum, & ſtatutum, depuratum artificiis BOERHAAVIO deſcriptis mercurium, tum demum extinctum, inunctum ſalivationem amplius non movere, hanc vel TORRENAM methodum eſſe, vel illi analogam. Experimenta ipſe vidi, tum etiam mercurium dulcem camphora nuptum ſalivationem non movere, QUINCY; etiam decem uncias mercurii camphorati venereo, quem reſtituere, exhibitas absque ſalivatione, recentiſſime teſtatur RAISIN *Recueil periodique* &c. Tom. V. & mercurium luem veneream per diureſim curaſſe, GMELIN *iter per Sibiriam.*

Sed etiam contraria experimenta monenda ſunt, teſtatur repetitis de induſtria experimentis conſtare *Cl.* ASTRUCIUS *Traité de Tumeurs* Paris 1759. Reſuſcitatum ex æthiope antimonii Mercurium, dein lotum & in aceto deſtillato coctum, extinctum, affrictum æque ſalivationem ac alium excitaſſe: & unguentum mercuriale camphoratum hanc æque ac non camphoratum movere.

Ultima demum in hanc rem Quæſtio: an mercurii extincti inunctio, an præparati per os aſſumptio potior, diſcutienda eſt; utraque ſuos ſautores habet. Eſt tamen mercurii depurati, ſalivationem non excitantis, inunctio præferenda, aut demum ſuffitus, hoc enim feliciorem & tutiorem quam inunctione mercuriali ſali-

 vante,

vante, morbi venerei curationem tentari posse, Parisiensium Medicorum plurimi nuper statuere, inprimis THIEVLLIER *in sua de hac re thesi* 1752. Parisiis defensa.

Mercurio nec scirrhus, nec carcinoma, ni a causa venerea orta sunt, unquam curatur, DARAN. *Acad. de Chirurgie* T. III. Canibus rabidis ad salivationem usque datus profuit ROB. IANES *Biblioth. Britan.* T. XIV. p. 238. datus etiam hominibus a canibus demorsis, prodest, IDEM. Adhæc etiam mercurii alkalizati dotes probavit nuper in aliis morbis tutissimas HUXHAM *de morbo colico Damnoniorum.*

Cæterum crudus purus etiam aliis morbis adhibitus: Ad enecandos vermes *aqua decocti mercurii* laudata, cuius effectum anthelminticum repetitis experimentis BURSERIUS observare non potuit in praxi, nec in aqua solvi Mercurium in experimento physico, *Cl.* MENGHINUS *in Bononiens. Scient. & Art. Instit. & Acad.* T. II. P. I. tamen ita epilepsiam a vermibus sanavit HEISTER, febres, pestem ab iisdem SCHREIBER. Ad pertinaces alvi constipationes, intestinorum intus susceptiones, ileum, quotidiano usu unciarum sex, octo, decem pondere, in oleo datur. In aliis casibus non semper tuta experimenta sunt, noxas enim post se relinquit sæpius assumptus. Calamo coercitum, e collo suspensum, lac abigere puerperis, plurimorum testimonia affirmant; hac methodo ad abigendum ex mammis lac feliciter usus DEGNERUS *Acad.* N. C. *Vol. V.* Terebinthina extinctum purgantibus, Rheo, Agarico, Aloe succotrinæ mixtum, & in formam pilularum redactum Epilepsiæ feliciter opposuere TROGHER, BORSIERI *Gazette Salut. 1762.* N. XVII.

Unguentum mercuriale vulneri a rabido animali illato affrictum, cum interno usu turpethi mineralis, multos ab hydrophobia servavit, DARLUE *Recueil periodique* T. III. casus alios iterum, T. IV. & T. XV. 1761 *mens. August.* hac methodo aliquos servavit, HOIN, licet tamen alii interierint pacati, paralytici, imo unguentum diu absque interruptione africandum ad salivationem usque, quam etiam fovendam aliquo tempore monet, *ibidem*, & eadem se, qua alios servarat methodo, curavit; ab initio vero statim hæc medicina adhibenda est, cum indurato malo sero paretur, IDEM. *Iournal de Medecine*, T. XIV. Avril 1761.

Cæterum in Gallia primus malo hoc remedium adhibuit DESSNUT; tumque cum thurbito minerali in canibus fecerat experimenta, evulgavit in Anglia IAMES, ultimo etiam commentarium Academiæ Tolosanæ de veris remediis antidotis mercurialibus misit *Cl.* SAUVAGES. Sed iam dudum ante clarissimum hunc medicum tum purgationibus, tum inunctionibus mercurialium, trecentos restituit Frater DU CHOISEL S. I. vide *Nouvelle Methode sure, courte & facile pour le Traitément des Personnes attaquées de la Rage, par le frere Claude* DU CHOISEL *de la Comp. de Iesus Apothicaire de la mission de Pontichery, Paris 1756.* Et quia in gravissimo hoc morbo non satis ea recenseri possunt, quæ hinc inde laudantur, illud etiam dicam, quo 500. vel 600. curati, in *Iournal Encyclopedique T. II. Part. II. Mars 1757.* quod recipit pulveris reginæ prati, polypodii quercini, centaurei minoris, absynthii, hyperici, plantaginis, rutæ, betonicæ, artemisiæ, melissæ, botrios ambrosioidis, salviæ, verbenæ, menthæ, ana partes æquales, pulv.

oſtracodermatum calcinatorum triplum. Doſis drachma una in vini albi vitro.

Unguentum mercuriale aliud morbis cutaneis rebellibus inunctione utile nuper MALOUIN confecit, dum æquales mercurii, ſpiritus nitri, olei olivarum partes, puta unciam ſemis aut unam calidis digereret cineribus, donec mercurius ſolveretur.

PRÆPARTA.

CINNABARIS ANTIMONII, fit ex ſulphure antimonii, & argento vivo, dum acidum mercurii ſublimati mercurium relinquens regulum rodit, & derelictus mercurius cum ſulphure antimonii combinatur.

VIRES magnas habet, lenientes, & nervorum tremori medentes, HUNDERTMARCK *de Sacccharo Saturni.* Datur a granis quinque ad ſcrupulum unum. An cinnabari vulgari præſtantior? multi affirmant, multi negant.

CINNABARIS FACTITIA vulgaris ex æthiope minerali, vel ſine igne, vel cum igne confecto, ſublimationis beneficio obtinetur, non caſte, quod ſulphuris quantitas in æthiope maior operationi impedimenti, & ſublimato nigredinis cauſa, MACQUER. Sulphuris quantitas in cinnabari ad quantitatem mercurii eſt ut 1. ad 7. LEMERY. Factitiam hanc vulgarem a nativa haud diſtinctam, fere omnes conſentiunt; fit tamen alia etiam tenerior longe, farinoſa, pulchrior hoc modo, via humida, dictante SCHULZIO. ℞. Mercurii currentis optime depurati q. v. puta drachmam ſemis,

ſemis, huic in vitro anguſtiſſimi orificii affunde tincturam ſulphuris volatilis, ſive liquoris permeantis BOYLEY, vitroque, quod ultra medietatem repletum eſſe non debet, bene munito, creberrima agitatione ſæpius de die reiterata, mercurium in atomos redige, ſic ipſe primo nigreſcet, continuata vero per vices conquaſſatione, leni caloris digeſtione accedente, intra dies aliquot in pulverem rubicundiſſimum convertetur. *Ephem.* N. C. *decad.* 2. Anno 6. An ab hac aliquid in uſum medicum ſperari poſſit? Experimenta deſunt.

CINNABARIS NATIVA *Offic.* HYDRARGYRUM *Mineralogiae.* Claſſis Naturalis Minerarum. Ordo Semimetallicarum. *Germ.* Cinnober. *Gallis* Cinabre. *Anglis* Cinnabar.

HYDRARGYRUM, *ſulphure mineraliſatum, minera rubra* WALLERIO definitum, purum, unam ſeptimam ſulphuris, ſex vero, etiam plures partes mercurii habet, IDEM; ſeptem octavæ mercurius ſunt, MACQUER. Unde & gravis, & volatilis cinnabaris, ſublimationis beneficio a mercurio absque intermedio non facile ſeparatur, IDEM, quo tamen in minera Almadenſi Hiſpaniæ non opus, IDEM. Optima cinnabaris nativa Hungarica, QUINCY.

USUS MEDICUS ab omni tempore multus, improbatus *Cl.* CARTHEUSERO, quod noſtris humoribus non ſolvatur, an convincente argumento? an non idem de mercurio, activo tamen, dici poteſt? Contra epilepſiam, obſtructis minimis vaſis, expertus laudat CRATO, phyſicam in hoc caſu actionem illuſtravit QUINCY, ALLEYNE. Valet etiam in morbis

venereis certissimo experimento, QUINCY, ALLEYNE; hac nihil efficacius in morbis cutaneis, lepra, IIDEM: ad alia alii laudant. Dosis a granis quinque, ad decem, viginti.

ÆTHIOPS MINERALIS, trito cum sulphure mercurio fit. Pulvis primo fuscus, dein nigerrimus, duplici methodo obtinetur, vel simplici, non interveniente igne, triturationis connubio, *apyros* dictus, vel dum fuso ad ignem sulphuri in pluviam mercurius immittitur, & ut dispareat interitur: sunt qui hanc adhuc pastam, ut totum in auras disperdatur sulphur, accendant, alii vero sine ulla nova combustione iam servant.

Virtutem medicatam quod spectat, non unus est, idemque omnium consensus, dum iners medicamentum, & forte solum ad vermes utile habent post BOERHAAVE, HUNDERTMARCK & pauci hinc inde alii, quod LEMERY observare non potuit, & multum negat SCHULZIUS *Praelect. in Dispens. Brandeb.* est quidem ad usum internum apyros, igne parato imbecillior, IDEM & LEMERY, & *Act. Acad.* N. C. Vol. I. non ideo tamen iners æthiops, sed solum maiori dosi dandus a gr. X ad XXX. Pro usu externo vero in suffitu hic aptior, dum nempe æthiopis mineralis, ex una Hydrargyri libra & florum sulphuris unciis quatuor, trituratione per undeviginti horas in mortario vitreo instituta, confecti drachmam carbonibus iniectam, vaporis forma, ore, & oculis clausis, suscipit venereus pallio ad hanc rem apto bene tectus, ut valide sudet; deprehensum enim est, & tutam hanc curandi rationem esse & multis profuisse.

Æthiops

Æthiops mineralis igne paratus, & in Aſthmate, & in Scrophulis, & in Rheumatiſmis, LEMERY laudadatus, in glandularum Colli, Maxillarum, Parotidumque tumore inveterato, & fiſtula SCHULZ efficax viſus, & in quartanis & in glandularum inteſtinorum, Meſenterii, morbis aliis, contra vermes, & humorum acrimoniam infallibile habet BRADLEY *a Courſe of Lectures upon de Materia Medica, London 1730.* doſis gr. X. XV. XX. Cæterum ipſi viderint, qui cinnabari vires nullas tribuentes, æthiopi minerali concedunt, ut ſibi conſtent, dum ſua ipſi argumenta enervant, an in aqua ſolubilis æthiops? an non cum fæcibus & hic, ut cinnabaris excernitur? citius actum per inteſtina facere utrumque, & æthiopem, & cinnabarim, iam *Cl.* BOERHAAVE vidit, & tamen hæc ſola contra cinnabarim momenta ſunt: ſed æthiopem mineralem ptyalismum quandoque excitaſſe hi videretur, & cinnabarim factitiam alii.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER. Eſt calx mercurii ſpiritu nitri abſtracto ſuperſtes, externis tantum uſibus, abſumendis excreſcentiis, dicata.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS. Eſt mercurius ſpiritu nitri igne ſolutus, ſolutione ſalis communis, vel ſpiritu ſalis, vel ſalis ammoniaci, præcipitatus, edulcoratus, ſiccatus. Non ſemper tutum medicamentum eſt, ſalivationem etiam movens aſſiduo uſu, a granis duobus ad decem; externe pomatis miſcetur ad morbos cutaneos; cum ſubtiliſſimo auri croco permiſcebatur FR. HOFFMANNO, & enixe laudabatur in lue venerea, & lymphæ, & glandularum morbis in *Diſſert. de Selectioribus Medicamentis.*

Etiam

Etiam in carie ossium laudavit RUYSCHIUS; & nuper grani unius saccharo permixti, per unum mensem, dein duorum per alterum, dosi, cariem ossis sanatam vidit *Clar.* FUUN *Comment. Societ. Scient. Harlemens.* P. II.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS FLAVUS seu TURBITH minerale, est massa flavescens, oleo vitrioli ab hydrargyro abstracto, residua, & tum valentior; debilior, si fiat præcipitatione cum oleo tartari per deliquium: utraque rari usus. Dosis grani unius, duorum. Laudatur turpethum minerale tam canibus, quam hominibus rabidis utile maiori dosi, in hydrophobia *Philosoph. Transact.* Nro. 441. dato, & interposito sæpe vomitorio, si a medicamento vomitus nullus. Hæc formula præfertur. ℞. Turpethi mineralis grana duodecim, rad. contraiervæ drachmam unam, theriacæ Androm. q. s. ut fiat bolus. Fiant tales tres, & unus sumatur semper ad noctem, superbibendo sudorifera. Turbith. mineral. gr. VII, micæ panis q. s. alii imperant, & inde vomuisse canes & abundanter salivasse testatur TYSSOT, etiam multos evasisse, dum tribus diebus consecutivis, dein per septimanam bis sumerent, *Avis aux peuple.*

MERCURIUS PRÆCIPITATUS VIRIDIS. Ex mercurio, & cupro in spiritu nitri solutis, evaporatione, & digestione cum aceto paratur, periculosum per superiora, & inferiora movens medicamentum.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS. Nihil aliud est, quam mercurius acido salis concentrato dives, sublimatus. Od id diversis modis para-

paratur, vel ex mercurio vivo, ſale communi, nitro, ſpiritu nitri; vel ex præcipitato rubro, & ſale communi, ſpiritu ſalis; vel ex eodem ſale communi, vitriolo calcinato, oleo vitrioli. Vix intereſt, quæ intermedia ſint acida fortiora, cum eius compoſitionem non ingrediantur, nam ſi in ſublimatione mercurii corroſivi etiam duplices quantitates ſalis marini & vitrioli ſumantur, næ ideo mercurius maiorem quantitatem acidi ſuſcipit, *Acad. des Sciences 1754.*

Non exiguam tamen in his differentiam eſſe pro præparandi mercurii ſublimati corroſivi facilitate, iam dudum BOULDUCIUS *Acad. des Sciences 1730.* monuerat, & tam in his acidis quam in Encheireſibus artificium, quo maiore ſalis acidi quantitate imprægnari mercurius poſſit, nuper MALOUIN *Chymie*, ſed etiam ante hos commonſtravit *Acad. des Sciences 1709* LEMERY, cum ſale decrepitato ſolo, & mercurio, ſublimatum corroſivum obtineri mitius. Cæterum terribile venenum eſt, a cuius interno uſu fere ſemper abſtinuere medici, licet iam olim in Germania magna ſatis doſi in aqua ſolutum exhiberent alii; ſublimati corroſivi ut in officinis habetur granum dimidium in uncia una ſpiritus frumenti, hinc grana duodecim in unciis viginti quatuor ſolvit L. B. van SWIETEN; dedit de die unum, duo, tria etiam cochlearia, ſuperpotando decoctum hordei, bardanæ, maxima copia, & pertinaciſſimos morbos venereos, etiam alios, perſanare docuit. Confirmantur curationes *Medical obſervations and inquiries by a Society of phyſicians in London* Vol. I. etiam *Iournal de Medecine, Chirurgie & Pharmacie.* T. XIV. 1761. a *Cl.* MARTEAU. Quoniam vero adeo ingratum medicamentum ſpiritus frumenti eſt, an non liceret id adhibere artificium, quod *Act. Acad. Mogunt.* Tom. I. pro-

proponitur, ſcilicet, ut ſpiritus frumenti a cineribus clavellatis rectificatus, cumque edulcorata atra illa, a deſtillatione liquoris anodyni mineralis maſſa reſidua, junctus, per viginti quatuor horas digeratur, tum demum deſtilletur, quo ſpiritus ille, odore, & ſapore, gallico ſimilis redditur, & æquali puræ aquæ quantitate permixtus potari poſſit. Aliquam mercurii ſublimati partem, cum pinguedine coctam, in ſummo luis gradu a Sibiriæ incolis ſumi cum lethali eventu GMELIN *Florae* T. 2. Sublimatus corroſivus in lacte feli datus intra quinque horæ minuta animal rapuit, cani, quod ſæpius evomuerit, non obfuit, SPROEGEL. Funeſtæ tragœdiæ a mercurio ſublimato recenſentur WEDELIO, FR. HOFFMANNO, ubi legi poſſunt. Salus in alcalinis tam fixis quam volatilibus; ita decocto albus SYDENHAMI, aquis deſtillatis anodynis oleo tartari remixtis, ſymptomata graviſſima profligavit KRAMMERUS *Commerc. Litt. Norimb. 1735;* quid quod etiam butyrum antimonii cum alcali medicina fiat. Cæterum adhuc ſal commune aqua ſolutum epotum in hoc caſu laudant Medici Angli.

In mortario marmoreo teri nunquam debet mercurius ſublimatus; quod pharmacopoeis inculcandum.

MERCURIUS DULCIS, ſeu CALOMEL Anglorum, ex mercurio ſublimato, & mercurio vivo intritis, & ſublimatis ſæpius, exurgens, maxime familiare eſt mercurii præparatum, in 1100. partibus aquæ ferventis ſolum ſolubile, ROUELLE *Acad. des Sciences 1754.* tam ad luem veneream, quam alios rebelles morbos per ſalivationem, vel etiam ſine hac exſtirpandos valet. In obſtructione viſcerum abdominalium, glandularum, BRUNNERUS, in febribus quar-

quartanis curandis, SCHULZE, in aliis rebellibus corporis humani morbis FR. HOFFMANN, refracta dosi, ut salivationem non excitaret, multum usi sunt, qui etiam ad scrophulosos tumores, & ulcera, multum laudant, & adhibent. In hac vero curatione ab acidis cavendum, corrosivus enim evadit acido occurrens, VESTI. Cavendum a salibus, maxime ammoniacalibus, & alcalinis, quibus commixtus salivationem & alia pessima symptomata facit. FR. HOFFMANN. Neque cum salibus neutris facile maritandus, WEDELIUS. Mercurium dulcem cum camphora mixtum, in angina gangrænosa, cortice peruviano non curanda, feliciter adhibuisse DOUGLAS, *Medical observations and inquiries &c.* legimus.

Est adhuc id tenendum, huius parcum usum alvum solvere, frequentiorem salivam movere: sæpius sublimati sudorem facere. Cæterum salivandi scopo continuæ doses dantur, granorum quatuor, sex, per aliquot dies, cum æquali quantitate pulveris absorbentis, sensim augendo dosim mercurii grano uno. Infantibus recens natis lue infectis, drana tria in lacte cum saccharo, per viginti, triginta dies, exhibentur. Externe cum saturni saccharo coniunctus, ulcera penis venereæ, titillatione, pruritu, dolore stipata feliciter percurare solet; ignorari tamen non debet, mercurialia præparata longo usu externe applicata inducendo scorbuto aptissima esse.

PANACEA mercurii, est mercurius dulcis sæpius sublimatus, & ad ultimum cum spiritu vini rectificatissimo abstractus.

Cæ-

Cæterum etiam contra luem veneream a KALMIO, tum LINNÆO laudatæ radices, Lobeliæ, Ceanothus, & Diervillæ: ulteriora tentamina desunt, exspectantur.

SALIVATIONEM INHIBENTIA.

Decocta blanda inviscantia

ALTHEÆ

MALVÆ

LIQUIRITIÆ.

Emulsiones blandæ oleosæ, anodynæ.

Purgantia per os assumpta, per anum iniecta.

Vesicatoria, ubi suffocatio timenda, etiam nonnullis in usu sunt.



V. EMETICA.

Quæ medicamenta ventriculum ſubvertunt, & in eo contenta per os expellunt, VOMITORIA dicuntur.

Indicantur

1. In cauſa aſſumpti veneni, in ventriculo adhuc hærentis.

2. ab amarore oris, ructu, nauſea, ventriculi morſu.

3. a ſpontaneo, eoque facili vomitu.

4. a ſaburra mobili.

5. a natura generali morbi, vel epidemica: ita in febre varioloſa, ubi puſtulæ ſtato tempore non apparent, vel ſub cute depreſſæ manent, emetico nihil melius, HUXHAM *eſſais ſur les fievres.*

PRÆPARATIO fit per ſalia digeſtiva, per lubricationem viarum, per venæ ſectionem in plethorico.

Excitatur 1. Mechanica irritatione faucium.

2. Idea ingrata.

3. Agitatione non conſueta, ut in mari &c.

4. Tepidis aquoſis, oleoſis, per obſervationes.

ASARUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Incompletar. *Gallis* Cabaret. *Germ.* Haſelwurtz. *Anglis* Aſarabacca.

ASARI *foliis petiolatis, ſubcordatis floribus trifidis*, acris, amari, tam radix, quam folia, vomitum, & ſeceſſum movent. Radix quidem pulverata drachmæ ſemis, iufuſa unius pondere, folia infuſa Nro. quinque, ſex, ſeptem. Eſt vero in hanc rem attentione dignum, infuſiones aquoſas vix emeticas, aut purgantes, ſolum alterantes, in febribus intermittentibus utiles, HELMONT, vinoſas ventriculum, & alvum ſollicitare conſtantius. De aliis viribus alibi dictum inter diuretica.

CATAPUTIÆ minoris
maioris *ſemen.* Vide *Venena.*

EBULI *Cortex* p. 73.

ELATERIUM, vide *Venena.*

ESULA, vide *Venena.*

EUPATORII *Radix* p. 176.

EUPHORBIUM, vide *Venena.*

GENISTA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Papilion. *Germ.* Ginſter. *Gallis* Geneſt. *Anglis* Broom. *Italis* Geneſtra.

GENISTÆ *foliis lanceolatis, ramis teretibus, ſtriatis*, ſemina, guſtu ingrata, nauſeoſa, vomitum ſæpe & alvum, neque tamen id ſemper, movent. Planta in vino cocta utilis hydropicis, GEOFFROY, MOEHRING, pulvis ſeminum in hydromellite, RA-

IUS.

IUS. Ad calculum valere obſervavi drachmæ ſemis doſi, bis ter de die, cum leni plantæ decocto.

HELLEBORUS, vide *Venena.*

SPECIFICA EMETICA.

IPECACUANHA *Offic.* LONICERA *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Fructiflorarum. *Germ.* Gold-Ertz.

LONICERA *caule procumbente, repente, foliis obverſe ovatis, acutis. ſcabris*, radicem exhibet, familiare, & tutum emeticum, vix fallens, operationem ſuam citius tartaro emetico expediens, FR. HOFFMANN. *de Selectior. Medic.* nec maiori doſi moleſtum, L. B. van SWIETEN. Praxis ſcopo emetico in pulvere ſcrupulum unum, duos, adulto imperat: Infantibus cum ſaccharo grana tria, quatuor dantur, in infuſo adultis drachma una, duæ. Ea formula, quæ huius radicis, ut & rhabarbari electi ana grana octo recipit, laudatiſſima, ſemper ſatisfacit, SPIERLING, BUCHWALD, IESENIUS *Prod. Act. Havnienſium*, & nuper *Cl.* Vir SAMUEL PYE minimas ipecacuanhæ, doſes exhibendas eſſe commentario monuit, adiectis plurimarum obſervationum tabulis, quibus comprobaret, grana II aut demum IV illi conſtanter ſuffeciſſe. *Medical obſervations and inquiries by a Society of phyſicians in London*, Vol. I. Quondam in dyſenteria habebatur ſpecificum, ſed præ aliis emeticis nihil habet, & dyſenteriam emetica ideo tantum tollunt, quod morbi fomitem ex ventriculo evacuent, & motum antiperiſtalticum augeant. Sed eſt etiam adhuc roborans ipecacuanha, & minori doſi data multum incidens pituitam. Cocta parum purgat, magis diuretica, ſudorife-

ra, emmenagoga evadit, LINNÆUS *dissert.* circa *Vires plantarum* scribens.

SYRUPUS emeticus }
TARTARUS emeticus } vide *Antimonium.*
VINUM emeticum }
VITRIOLUM album p. 57.

VOMITUM SEDANTIA.

1. Diluentia.
2. Saponacea.
3. Oleosa.
4. Acida.
5. Opiata.
6. Specifica. Mentha, & eius præparationes.



VI. PURGANTIA.

Quæ in ventriculo, & inteſtinis contenta, ut etiam corporis humores per alvum educunt, PURGANTIA ſunt.

Indicantur

1. a fluxu alvi non colliquativo.
2. a ſaburra ibi loci.
3. a natura ſingulari, generali epidemica morbi.
4. a coctione.
5. a revulſione.
6. In colica pictonum cum anodynis. GRASHUIS, HUXHAM.
7. In vermibus.

Petuntur hæcce ex diluentibus, ſimul leniter ſtimulantibus, magna copia, ieiuno ſtomacho, in frigore moderato hauſtis.

AQUÆ MEDICATÆ *Offic. Hydrolog.* Sapidæ. Claſſis Naturalis Aquarum terreſtrium Ordo Sapidarum. *Germ.* Geſundbrunn, Bäder. *Gallis* Eaux medicinales. *Anglis* The medicinal or mineral waters.

AQUÆ hæ a connubio mineralium minerales, a ſalutari effectu ſoteriæ, & ab acido acidulæ dictæ, ratione interni, vel externi uſus in aquas medicatas, vel thermas dividuntur. Quod harum dotes ſpectat, ſunt aliis potabilibus aquis graviores, quanquam ſimul ſpi-

rituofiores exiftant, fcaturientes diriffimo frigore in glaciem difficilius concedunt, multa cura affervatæ corruptioni refiftunt, neglectæ vero maiorem quam aliæ concipiunt, quam acidum foffile minima quantitate additum prævertit. Hæ principiis variis conftant, in omnibus eminentia dicam.

AQUÆ ANTONIANÆ fpirituofæ, fpiritu & fapore & odore acidulo mobiliffimo inftructæ, gratæ, temperatæ, nec alvum nec urinam nimium movent, præter fpiritum mineralem, alcalinam terram, & fal commune continent. Hyftericis, & hypochondriacis cum effectu dantur, etiam acute decumbentibus proriguntur.

AQUÆ EGRANÆ, fale mediæ naturæ vero GLAUBERI impregnatæ, magis purgantes, infarctus vifcerum multum levant.

AQUÆ CAROLINÆ fal medium cum magna quantitate alcali & terra calcarea poffident, alvum & diurefim movent, in faburra atrabiliaria pulchre profunt, L. B. van SWIETEN.

AQUÆ PIPERINÆ. Simpliciffimæ, fpirituofæ, in fimplici humorum dilutione, etiam acrimoniæ muriatiæ e fanguine elutione, conveniunt.

AQUÆ PYRMONTANÆ, fpirituofæ, ferratæ, penetrantes fpecie falis mirabilis GLAUBERI & plurimis aliis conftantes, maximam vim habent in morbis chronicis & rebellibus.

AQUÆ ROITSCHENSES, ferratæ. Labefactata poft febres intermittentes, præmiffis præmittendis, vifcera firmant.

AQUÆ

AQUÆ SELTERANÆ ſale alcalino divites, lixivioſæ mites, diureſim magis quam alvum ſollicitant, in phthiſi incipiente cum lacte utiles, ZAFFIUS, in cacochymia purulenta, L. B. van SWIETEN, item in acido auſtero in corpore prædominante, IDEM *Comment.* T. III. Tum in Mania, & dementia repetito experimento probavit BONEKEN *Gazette Salut.* Nro. I. 1762.

AQUÆ SCHWALBACENSES ferratæ, inter Egranas, & Pyrmontanas quaſi mediæ, licet Egranis magis ſpirituoſæ, hypochondriacis, & hyſtericis ſuadentur.

AQUÆ SEDLICENSES ſalem neutrum, alvum ſollicitantem, habent.

AQUÆ SPADANÆ, martiales, cum ſpiritu minerali acido ſulphureo & ſpirituoſo, leviſſimæ, alvum adſtringentes, DE PRESSEUX, in roborando venere exhauſtos reliquis omnibus palmam præripiunt multiplici experimento, TYSSOT. Fons *Geronſterinus,* paralyſi, atrophiæ a colica pictonum utilis, IDEM: in ſcorbuto *Savenirium* laudat, in ulceribus ex *Pouhontio* lotionem, clysmata etiam ex *Pouhontio* in vermibus utilia habet, IDEM; & quod mirum! omnia inſecta, ranæ, piſces, hos fontes nunquam attingunt, attingentes moriuntur. Potantur in chloroſi, menſium defectu, & exceſſu, licet cæterum inſtantibus, vel etiam fluentibus non ſumendæ. Non utilis hypochondriacis, ſcirrhoſis, fons *Geronſterinus,* ZAFFIUS; neque plethoricis, morbis capitis laborantibus, DE PRESSEUX. Convenit e contra pallidis, pituitoſis, ad motus convulſivos, & leipothymiam proclivibus, IDEM: aliis *Savenerius*, & *Pouhontius* prodeſt.

Sub harum vero aquarum acidularum ufu, tum ab alimentis alcalinis, tum ab eiusdem indolis medicamentis, etiam a faponibus abftinere convenit; contra vero indulgere motu. Affumuntur unius, duarum, trium, quatuorve librarum menfura per diem, oportet enim his ventriculum affuefcere, fumma enim illico dofis periculofa foret.

EX SALINIS SEU NATRIS.

NATRUM improprie quidem nonnulli hodie vocant, ex foteriis fontibus eductum fal medium, quod in longas quadratas & compreffas cryftallos coit, amarum fit, igne facile fundatur, & multa facilitate ad æquales fere portiones etiam in aqua frigida folvatur. Acidum eius vitriolicum eft, bafis terrea, aut illi magnefiæ fimilis, aut terreæ falis communis. Ex hifce vero clarum fit, Natrum hocce, Natrum veterum non effe. Cæterum illus fpecies fequentes funt.

SAL CATHARTICUM AMARUM, s.

SAL ANGLICUM, aut EPSOMENSE, quondam ex fonte, ad lapidis ab urbe Epfon diftantia, factum ex muria aquæ marinæ, poft marini falis cryftallifationem refidua hodie potiffimum paratur, & in omnibus aliis regionibus æque parari ac in Anglia poffet. Hic dicitur conftare acido vitriolico, & bafi magnefiæ fimili; illis iisdem ac Sal Glauberi principiis, dum perhibent, ex fale Epfomenfi fieri fola diffolutione in aqua, & nova cryftallifatione falem Glauberi, & viciffim ex foluto Glauberi fale, interrupta cryftallifationis regularitate, falem obtineri Epfomenfem. Cæterum in exigua aquæ quantitate hic fal facile folvitur.

SAL

SAL SEDLIZENSE quod ex libra vulgari aquæ II. drach. pondere elicitur.

SEIDSCHUTZENSE.
ELSTERANUM.
EGRANUM.
THERMARUM Carolinarum.

Scopo purgandi a drachmis duabus ad drachmam ſex, unciam unam, exhibentur in libra ſemis, una aquæ, adiecta quæ palato grata ſit aqua aliqua ſtillatitia. Scopo diuretico vero aut minor ſalis, aut maior aquæ ſumitur quantitas, imperato ſimul regimine. His addi poſſunt

MAGNESIA alba. Terra calcarea eſt, acido nitri parum impraegnata, dicta p. 102.

SAL MIRABILE GLAUBERI.

EX LUBRICANTIBUS LENITER ACRIBUS SIMUL.

CASSIA FISTULA *Off. Botanicor.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Caſien-Röslein. *Gallis* Caſſe. *Anglis* Caſſia.

CASSIA *foliis quinque pinnis*, in ſiliqua pulpam demulcentem, leniter eccoproticam habet, multum laudatam, per ſetaceum traiectum puram, mundatam, etiam infantibus a drachma ſemis ad ſcrupulos duos, adultis a drachmis duabus ad unciam unam ſemis, cui & alia purgantia addi poſſunt. In decocto tota ab uncia una ad tres datur, in clyſtere pulpa ad uncias duas

præſcribitur: cum pulpa tamarindorum, ſale medio, purgans antiphlogiſticum concinnari ſolet, in initio morborum acutorum utile: optimum pariter gravidarum purgans eſt. Iam olim ad nephritidem calculoſam, calculum, laudata caſſia, multis adhuc in uſu, & urinam viridi colore tingit.

MANNA *Offic. Botanicorum* FRAXINI ſuccus. Claſſis Naturalis Incomplet. *Germ.* Manna. *Gallis* Manne. *Anglis* Manna.

FRAXINUS *floribus completis*, ſponte, vel per vulnus lacrymam melleam, ſubdiaphanam fundit. Optima alba eſt, Calabrina. Hæc in aere humido liqueſcit, in aqua ſolvitur, & interveniente caloris beneficio etiam in ſpiritu vini; in aqua ſoluta, & in priorem conſiſtentiam redacta, obſcurioris coloris eſt, unde haud depuranda.

Cæterum ſpecificum eccoproticum eſt hoc medicamentum iunioribus unius, duarum drachmarum pondere ſolutum, adultioribus etiam duarum, imo trium unciarum mole exhibendum per ſe, minori vero doſi additis aliis, uti tartaro ſolubili, ſali polychreſto, cremore tartari, caſſiæ, ut & Tamarindorum pulpa, quibus fatua mannæ dulcedo corrigatur; hocque modo conficitur remedium purgans antiphlogiſticum nulli grave. Ipſa manna etiam in aſthmate humorali, & in morbis hypochondriacis, utilis habetur; contra calculum in ſe ipſo expertus SYDENHAM.

PRÆPARATUM. *Syrupus* Mannatus.

MEL, vide *antidota.*

MYROBALANI p. 18.

PO-

POLYPODIUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Cryptantherarum. Ordo filicum. *Germ.* Engelsfus. *Gallis* Polipode. *Anglis* Polypodie. *Italis* Polipódio.

POLYPODIUM *fronde pinnata, pinnis lanceolatis, alternis, connato-sessilibus*, radicem dulcem, subnauseosam, alvum leniter moventem, infusis laxantibus plerumque addendam, officinis subministrat: unciæ semis, unius dosi, purgandi, drachmæ unius in infuso, reserandi, aperiendi scopo utilis dicitur, ut etiam efficacissima in podagra, arthritide habeatur, & in mania MALOUIN *Acad. de Paris* 1751. laudet.

SACCHARUM p. 152. sq.

SYRUPUS Rosarum solutivus.

RHABARBARUM MONACHORUM *Offic. Botanicorum* RUMEX. Classis Natur. Pauci-stam. *Germ.* Mönch-Rabarber.

RUMICIS *floribus hermaphroditis, valvulis integerrimis, tunica granulo notata*, amaricans, austera radix, eccoprotica, raro hodie interno dicatur usui; decoctum ulcera mundat, adstringit, unciæ unius, unius semis dosi.

RHAPONTICUM *Off. Botanic.* RHEUM. Classis Pauci-stam. *Germ.* Rapontik. *Gallis* Rapontic.

RHAPONTICUM *foliis glabris* radicem amaram, subadstringentem, purgantem, largitur, hodie exoletam.

RHABARBARUM Verum *Off.* RHEUM *Botanicorum.* Classis Pauci-stam. *Germ.* Rhabarber. *Gallis* Rhubarbe. *Anglis* Rhubarbe.

RHEUM *foliis subvillosis*, usitatissimum, etiam innocuum purgans, pueris, ob muci copiam, quam detrahit, & fibrarum robur, quod addit, maxime conveniens: datur a granis octo ad quindecim in pulvere, in infuso ad drachmas duas: cæterum minori dosi datum, & aliis iunctum, roborantem virtutem habet, non tamen ullam ad alios morbos specificam. Torretur etiam in alvi fluxibus, ut magis roboret, minus purget.

PRÆPARATA. *Extractum* Rhabarbari: dosis scrupulus, drachma semis. *Tinctura* rhei aquosa. Dosis unc. duæ, tres, cochleatim sumendæ, guttis XXX. XL. liquoris anodyni mineralis remixtæ.

TAMARINDI *Offic. Botanicorum.* Classis Pauci-stam. *Germ.* Tamarinden. *Gallis* Tamarins. *Anglis* Tamarind.

TAMARINDUS TOUR. SLOAN. fera utriusque Indiæ, Ægypti, Arabiæ arbor, fructus siliquosos pulpa, cui semina insint, farctos gignit. Pulpa ipsa in Medicinam adhibetur, alia abiiciuntur. Est vero pulpa, grata plurimis fermentatione perdenda aciditate prædita, non exigua salis essentialis & mucilaginis vi temperata, docet experimentum; nam & salem essentialem colore rufum, sapore acidum ex Tamarindis primus extraxit BAUME *Pharm.* hic sal aqua frigida lotus saporem fere omnem & aciditatem amittit, calida solutus crystallisatus albus insipidus est, miræ tamen adhuc naturæ phœnomena tartari exhibens plurima

rima & acidi ſalis; nam & in igne ut tartarus ardet, halitum etiam eundem fundit, ſolutionem Mercurii acido Nitri factam albo coagulo præcipitat, dum nec ſalium tyrannus, nec vitrioli concentratus aut dilutus acor illum minime mutat aut thalamo ſuo diſſolvit, IDEM, inaudito fidelitatis exemplo.

USUS MEDICUS ad alvum laxandam multus, tum alias tum maxime in Saburra alcalina bilioſa, quam pariter invertit, utilis; quare & ructibus nidoroſis & colicæ bilioſæ, & diarrhœæ & dyſenteriæ, & aliis ab eadem cauſa exortis morbis Tamarindi auxilio ſunt. Decoquuntur unciæ ſemis unius doſi, ut forma hauſtus, apozematis adiecto tartaro vini vel ſale acetoſellæ vel Anglicano, aut Sedlizenſi exhibeantur; alias etiam coctis in aqua Tamarindis ſenna Rheumve infunditur, ut inde vis purgans actuetur. Datur pariter pulpa Tamarindorum drachmarum trium unciæ ſemis pondere cum ſalibus modo memoratis in lactis ſero diluta. Cæterum electuarii commoda forma eſt, nec gravidis nec iuvenibus exoſa aut periculoſa, dum Caſſiæ & Tamarindorum iunctæ pulpæ Rheo & ſale impraegnantur.

EX ACRIBUS.

GUMMI AMMONIACUM.
GALBANUM.
OPOPONAX.
SAGAPENUM, maiori aſſumpta doſi.

ALOE *Offic. Botanicorum* Claſſis Naturalis Liliorum. *Germ.* Aloe. *Gallis* Aloe. *Anglis* Aloe.

ALOE *foliis ſpinoſis, confertis, dentatis, vaginantibus, planis, maculatis,* tres ſub ſe varietates com-

plecti-

plectitur, vulgarem *Hepaticam* officinis, floribus suave rubentibus, *Succotrinam* officinis, Guinensem maculatam, *caballinam* demum officinis. Rarioris usus caballina, nigrior, impurior, frequentioris hepatica, & succotrina puriores, purissima ex succotrina lucida facta.

Est vero Aloe officinarum expressus & inspissatus succus aloes, odoris nauseosi, saporis amarissimi, calidi, mirum corpus absque multa resina tenacissimum maximeque glutinosum, septimam sui ponderis partem vix resinosam habens, tamen omnium optime in spiritu vini rectificato, tum in spiritu vini, aqua, minime vero in vino albo solubile, *Pharmacien moderne* l. c. tum ad ignem paulo longius decoctum enervatur & plane inefficax fit, ni dosis eius intendatur, HOFFMANN *Observat. Physico-Chem.* ut & inde de insuccatis Aloes praeparatis facilis sit censura.

VIS MEDICA alvum movens, purgans nota, granorum quindecim, viginti, triginta dosi; aperiens, obstructiones, icterum solvens, a granis quatuor ad decem non infima. Notari meretur, crebriorem eius usum ad hæmorrhoides disponere, & hæmorrhoides suppressas hoc medicamento revocari, tum non per se solam exhibendam Aloem esse, sed continuo cum aliis tenacitatem eius dividentibus præscribendam, quæ res nonnullis arcana est; & inde encomia pilularum Francofurtensium aloeticarum, ut & anglicarum. Corpora vero, quæ aloes gluten dividant, sunt sal tartari, sapo venetus, saccharum, Manna, Mel, Bilis, ovorum vitellus: omnium optime Aloe cum bile animalium, & sapone veneto præscribitur. Anthelminica non est, ex experimentis RHEDI, quibus constat, aloen, Colocyn-

cynthidem, pluraque alia amara hac destitui efficacia, absynthium tamen, & corticem peruvianum hac haud carere, IDEM. Cæterum noxia dicitur Aloe biliosis & ad Hemoptoen dispositis.

Externe vis balsamica in multa utilis, in conditu-ras cadaverum, in abstersionem sordidorum ulcerum, ossium cariosorum curationem, adhuc ulceribus sinuosis, fistulis, soluta iniicitur. Multi exigua dosi collyriis etiam addunt.

PRÆPARATA esse possunt *Tincturae* aloes aquosæ, vel spirituosæ extemporaneæ, fistulis utilis; *Elixir* proprietatis PARACELSI, aloen, crocum, myrrham, recipiens. *Pilulæ* RUFFI elixir proprietatis siccum: alia præparata aloes insuccatæ suis placent Autoribus.

MERCURIUS dulcis grosso modo tritus. Lactantibus grana quinque, decem, pueris scrupulus datur.

EX ACRIORIBUS.

AGARICUS *Offic. Botanicorum* FUNGUS. Classis Naturalis Fungorum. *Germ.* Lerchenschwam. *Gallis* Agaric. *Anglis* Agarike.

FUNGUS *laricis*, acer, nauseosus, vim eximiam eccoproticam habet, drachmæ semis, unius dosi, in pulvere, drachmarum duarum ad quatuor in infuso.

ASARUM p. 210.

CARTHAMI semina

HERMODACTYLI, vide *Venena*.

IALAPPA *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis fructiflor. *Germ.* Ialappen-wurtz. *Anglis* Ialap. *Gallis* Ialap.

IALAPPA *floribus congestis terminalibus erectis*, familiare purgans; infantibus grana duo, tria, quatuor, pueris debilibus grana sex, decem, adultis dimidia drachma, scrupuli duo conveniunt. Ialappa nulla indiget emendatione, GEOFFROY *Mat. Med.* & nulla huius medicamentis praeparatio melior, quam ipsamet eius substantia, IDEM, BOULDUC, QUINCY, L. B. van SWIETEN T. IV. maxime si saccharo teratur, ut eius tenacitas resinosa, a qua inprimis metuendum videtur, frangatur. Tutum est anthelminticum. Nec resina uberius evacuat, imo saepe minus, & semper cum molestia & torminibus GEOFFROY, ut in plurimis Chemica arte carere medicina possit & debeat, *Pharm. moder.* l. c. dum enim in extractionem resinae impensa cura fuit, in correctionem eiusdem nova impendi debet QUINCY.

PRAEPARATA. *Extractum* ad scrupulum. *Resina*, quam copiosam largitur, ad grana decem, duodecim, cuius tanacitas amygdalis dividenda, vel forma pulveris, vel emulsi dari potest, etiam spiritu vini soluta cum syrupo violarum: vis resinae salibus multum acuitur; viginti alvi deiectiones, a semi drachma cremoris tartari, & duobus resinae ialappae granis PECHLINUS habet, haud familiari eventu.

MECHOACANNA *Off. Botan.* CONVOLVULUS. Classis Pauci-stam. *Germ.* Mechoacan. *Gallis* Mechoacan. *Anglis* Mechoacan.

CONVOLVULUS *Mechoacan*, subinsipidus, inodorus, eccoproticus, infantibus haud incommodus grano-

granorum quinque ad decem, adultis drachmæ unius in pulvere, in infuſo vero drachmæ unius ad quatuor pondere. Decoctione eius vis purgans perit. Hæc purgatio plurimum laudatur in catarrhoſis, & frigidis affectibus epilepſiæ, aſthmatis, arthritidis, ſtrumarum.

SCAMMONEUM *Offic. Botanicorum* CONVOLVULUS. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Scammonien. *Gallis* Scammonee. *Anglis* Scammonye.

CONVOLVULI *foliis ſagittatis, poſtice truncatis, pedunculis ramoſis, biſloris*, gummoſo-reſinoſus ſuccus, amarus eſt, purgans, ſanguinem ſolvens, exiguis doſibus venenatus, L. B. van SWIETEN. Purgandi ſcopo a granis quinque ad quindecim exhibetur ſaccharo ſubactum ſcammonium. Diagrydium, & aliæ correctiones, inutiles. Reſina laudabilis, & granis quinque ad decem in ſpiritu vini exhibenda. Cæterum acuendi intentione aliis purgantibus grana duo, tria adiiciuntur. Sincerum habetur, quod cito ſolvitur in aqua, quam lacteſcere cum virore facit. RUSSEL *Medical obſervations and inquiries by a Society of phyſicians in London* Vol. I.

SENNA *Offic. Botanicorum* CASSIA. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Senes-Blætter. *Anglis* Sene. *Gallis* Senné.

CASSIA *foliolis ſubovatis*, trium quatuor parium, & Sennam Alexandrinam, & Italiam ſpecies, complectitur. Alexandrina folia & folliculos, Italica ſola folia largitur. Sintne folia ſennæ Italicæ Alexandrinis

inferiora? LINNÆUS negat, ut folia Alexandrina per excellentiam male præſcribantur, & frequentius adhibeantur. An ſtipites tormina faciunt? L. B. van SWIETEN obſervare non potuit. Id decoctio efficit, ut etiam hypercatharſin excitent, HEISTER, ſed etiam pulvis hæc facit, GEOFFROY. Cæterum antiquiſſimum purgans, datur forma pulveris a ſcrupulo ad drachmam ſemis, in infuſo a drachmis duabus ad unciam ſemis, vel ſolum, vel cum aliis. Ingratum ſennæ ſaporem folia ſcrophulariæ corrigunt, MARCHAND *Acad. des Sciences*. Doſis dimidium ponderis ſennæ ad hanc correctionem adæquata eſt, maior enim laxantem vim frangit, *Acad.* N. C. Vol. X. *Cl.* RITTER. Senna decoqui non debet, nec Rheum nec Myrobalani, nec alia purgantia non acida, cæterum roboratura magis, purgatura minus.

SOLDANELLA *Offic. Botanicorum* CONVOLVULUS. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Meerwinde. *Gallis* Chaux de Mer. *Anglis* Seecoole.

CONVOLVULUS *foliis reniformibus*, drasticum, hydragogum medicamentum eſt, hydropicis utile, tam in ſucco lacteo ad ſemi unciam, unam, dato hydropicis, quam in decocto, infuſo, aut pulvere. Folia quinque in infuſo theiformi dedit puellæ L. B. van SWIETEN, vigeſies quinquies purgata eſt. Cæterum ſoldanellæ pulvis a ſcrupulo ſemis ad ſcrupulos duos, in infuſo a drachma ſemis ad drachmas duas datur. Recentia folia œdemati applicata ſaluti ſunt.

SYRU-

SYRUPUS, infuſum florum Perſicorum P. I. p. 51.

TURPETHUM *Offic. Botanicorum* CONVOLVULUS. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Turbith. *Gallis* Turbith. *Anglis* Turbith.

CONVOLVULUS *foliis cordatis, angulatis, caule membranaceo, quadrangulo*, gummoſus eſt, tardius purgat, in hydrope, arthritide utilis: pro purgante a granis ſeptem ad decem, triginta, quadraginta, in pulvere, a drachma ſemis, ad tres in infuſo datur. Raioris eſt uſus.

TURIONES SAMBUCI P. I. p. 57. ſq.
EBULI p. 73.

E X A C E R R I M I S.

BRYONIA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Stickwurtz. *Gallis* Colovrée. *Anglis* Bryonie.

BRYONIA *foliis quinquangulis, ſcabris*, acris, amara, nauſeoſa, ſaporem, & odorem opio analogum habet, ut inſtar opii agere videatur, NICOLAI. Tamen valide corpus mutat, acriter purgat, ut hydropicum etiam emungat, & maniæ oppoſuerit SYDENHAM, epilepſiæ alii. Parca quantitate emmenagogis additum mire eorum actionem iuvare ſolet. Radix pulverata ad ſcrupulum, drachmam ſemis, pro doſi ſumitur: drachmæ unius, duarum pondere, in vino

pro hauſtu coquitur. Succus raro datur; qui drachmæ unius doſi ſyrupo immiſceri pro hauſtu poſſet. Extracti doſim drachmæ unius facit LINNÆUS. Externe potenter diſcutit cataplasma radicis recentis crudum, ſiccatæ coctum, addito vino etiam ſale ammoniaco, & tum pariter ſtrumis utile. Fœcula inutilis.

COLOCYNTHIS *Offic. Botanicorum* CUCUMIS. Claſſis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Coloquinte. *Gallis* Coloquinte. *Anglis* The bitter Gourde.

CUCUMERIS *foliis multifidis, pomis globoſis, glabris*, amariſſima pulpa, maxime draſtica, ut etiam inflammet, exulceret, epilepſiæ oppoſita, LINNÆUS. Interno uſu cautiſſime danda, & monet *Illuſtr.* van SWIETEN, parciſſima doſi datam pulpam egregium emmenagogum eſſe; dum V. G. illius pulvis aliis pulveribus ita additur, ut omni trihorio vel quadrihorio grani octava pars aſſumatur, aut etiam alia ratione pilulas ingrediatur.

Externe clysmatibus ad lethargum, apoplexiam ſeroſam, maxime adhibetur hodie, ad drachmam unam. Præparata multis magis uſitata ſunt, ut

TROCHISCI ALHANDAL. Colocynthidis pulpa gummi arabico temperata, ſecurior eſt ſimplici. Doſis a granis duobus ad decem; loco ſtimuli a grano uno, ad tria. *Extractum* habetur: eſt etiam *oleum*.

ELA-

ELATERIUM, vide *Venena.*

ESULA, vide *Venena.*

EUPHORBIUM, vide *Venena.*

GRATIOLA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Ringentium. *Germ.* Wild-Aurin. *Gallis* Gratiole. *Anglis* Hedge-Hyſſope.

GRATIOLA *floribus pedunculatis, foliis lanceolatis, ſerratis:* amara planta non ſolum alvum, ſed etiam vomitum movet. Hydropicis convenit, & datur pro purgante in pulvere a granis quindecim ad triginta, in infuſo a drachma una, ad duas, ſed validum corpus requirit, CHOMEL. Eſt etiam purgans radix, quam pulveriſatam a ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis MORELLUS exhibet, & idem præſtare in dyſenteria ac ipecacuanham, BOULDUC affirmat, qui etiam inſignem vim anthelmiticam in ea lacti infuſa invenit, *Acad. des Sciences 1705.* Extractum non proſtat.

GOMMI GOTTÆ *Offic.* CAMBOGIA *Botanicorum.* Claſſis Multi-ſtam. *Gallis* Gommegutte. *Anglis* Gamboge.

CAMBOGIA ſuccum fundit reſinoſo-gummoſum, hydropicis utilem, ſcopo purgandi, a granis duobus ad quatuor, a quatuor ad decem; ſæpe etiam vomitum movet; in hoc medicamento id tenendum, quod licet emeticum, bis tamen lotum purgans placidum fiat, IENSENIUS *Prod. Act. Med. Havnienſium,* & a granis quinque incipiendo, ſenſim adſcen-

dendo ad grana quindecim, exhibendo alternis diebus, hydropicos curaverit. *Ibidem Obſervat.* V. licet doſi minori etiam ſufficere NICOLAI reliquerit, ſcilicet gr. quatuor cum pulvere radicis ſquillæ & vincetoxici. Sed forma pulveris haud adeo conveniens, ALLEYNE, nec ſine lixivioſo ſale vel ſaccharo facilis, IDEM, optima pilularis vel boli. Multum ſalis habet hoc medicamentum, qui diureticus ſit. BOULDUC *Acad. des Sciences.*

HELLEBORUS niger, vide *Venena.*

IRIS p. 177.

MERCURIUS præp. Albus
Flavus
Ruber p. 196. ſq.

ROSÆ PALLIDÆ

SYRUPUS Roſarum ſolutivus.

SPINA CERVINA *Offic. Botanicorum* RHAMNUS. Claſſis Naturalis Incompletarum. *Germ.* Creutz-Beer. *Gallis* Neprun. *Anglis* Buck-thorn.

RHAMNUS *ſpinoſus, foliis ovatis, acuminatis, ſerratis*, baccas habet nauſeoſas, amaras, purgantes, in arthritide utiles. Baccæ viginti, triginta numero, ſuccus a drachmis duabus ad unciam ſemis, & ſyrupus unciæ doſi, alvum ſatis movent. Uſitatiſſimus eſt ſyrupus inde confectus, de *ſpina cervina*, vel etiam *domeſticus* dictus, qui & infantibus datur drachmæ unius,

unius, duarum pondere, adultis unciæ unius, duarum mole.

VERATRUM, vide *Venena.*

PURGANTIONEM INHIBENTIA.

1. Oleosa.
2. Acida.
3. Adstringentia. Simarouba.
4. Opiata.
5. Vomitoria.





CLASSIS DUODECIMA

ANODYNA ET NARCOTICA.

Quæ dolorem in toto vel parte leniunt, demulcent, mutando, vel tollendo causam, ANODYNA, atque hæc quidem varia ex materie peti possunt. Quæ vero solam animam captivant, & quasi inebriant, insensilem reddunt, NARCOTICA, & maiori gradu STUPEFACIENTIA dicuntur.

Indicantur ad mitigationem symptomatum

1. Doloris.
2. Vigiliarum nimiarum a nimio motu spirituum.
3. In excretionibus nimiis.
4. In convulsionibus.

LENIORA.

CHAMOMILLA Nostras

Romana p. 187. sq.

CHAMOMILLÆ Romanæ flores decocti, decoctum admodum salsum efficiunt, adeo quidem, ac si

ſi ſal culinare decocto infuſum, SIMON PAULI. Oleum ſtillatitium, ut millefolii, ſaphirinum.

MILLEFOLIUM *Offic.* *Botanicorum* ACHILLEA. Claſſis Naturalis Compoſitarum Raditarum. *Germ.* Tauſend-Blatt. *Gallis* Millefeuille. *Anglis* Yarrow.

ACHILLEÆ *foliis duplicato-pinnatis, glabris, laciniis linearibus, acute laciniatis,* flores deſtillati oleum dant ſaphirini coloris, ſedans, antiſpasmodicum. Infuſum florum in ſpasmis, doloribus poſt partum, cardialgicis, colicis, hæmorrhoidalibus utile, FR. HOFFMANN *de Praeſtant. Medic. Domeſtic.* tum, & ſanguinis eiectionibus, hæmorrhagiis maioribus, a ſpaſticis viſcerum contractionibus eximium, IDEM *ibidem*, etiam in anxietate hypochondriaca, STAHL, in nephritide calculoſa, ZIMARA. Succus multum vulnerarius ad uncias tres, quatuor, datur, flores ad manipulum ſemis infunduntur, ad unum herba.

TILIA *Offic.* *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Multi-ſtam. *Germ.* Linde. *Gallis* Tilleul. *Anglis* Linden-Tree.

TILIÆ flores ſuaveolentes, anodyni ſunt; chronicam epilepſiam infuſo florum ſublatam HOFFMANN habet, *de Praeſtant. Remed. Domeſticor.* Cortex itidem medius cum aqua in mucilaginem redactus, ambuſtionibus, podagricis, & arthriticis doloribus,

præſentiſſime medetur, IDEM. Decocto vinoſo corticis cachecticam in integrum ſanatam vidit SCHROEDERUS.

PRÆPARATA.

Aqua ſtillatitia, antiſpasmodica, antiepileptica, pueris datur.

VIOLÆ flores *Off. Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Violen. *Gallis* Violette. *Anglis* Violets.

VIOLÆ *acaulis*, *ſtolonibus teretibus*, *reptantibus*, *pedunculis radicatis*, flores, ſuaveolentes, vim anodynam poſſident, ut etiam ad morbos convulſivos ſpecificos habeat BAGLIVIUS; in infuſo theiformi ſumi poſſunt. *Conſerva* itidem drachmæ unius, duarum pondere, *Syrupus* haud limitata doſi. Notari meretur, ſemina vomitum, & diureſin movere, ideo nonnullis ad calculum laudari.

F O R T I A.

PAPAVERIS Capita, DIACODIUM.

Albi ſuccus, vide *antidota.*

Vulnusculi a pungente ape facti dolorem mitigavit, & incommoda prævertit ſucco, DELISTRE *Recueil periodique* T. IV.

CYNO-

CYNOGLOSSUM *Offic. Botanicorum.* Classis Pauci-stam. *Germ.* Hunds-Zung. *Gallis* Langue de chien. *Anglis* Houndstongue.

CYNOGLOSSI *foliis amplexicaulibus, lingulatis, mollibus, hirsutis*, suspectam vim plurimi evulgant, negat FULLERUS, cum adstrictione anodynam ad hæmorrhagias, & alvi fluxus laudat GEOFFROY. Repetenda experimenta sunt. Radix ad soporem conciliandum inefficax, HAMNERIN *de viribus plantarum indigenarum.* Massæ pilularum de cynoglosso dosis gran. quinque, ad octo, non ratione cynoglossi, sed opii scrupulosa.

FORTISSIMA.

Tum ex animalium partibus sedativis, tum ex vegetabilibus petita.

CASTOREUM P. I. p. 194.

MOSCHUS P. I. p. 195.

CROCUS P. I. p. 114.

HYOSCIAMUS, vide *Venena.*

OPIUM laud. liquidum.

SOLANA, vide *Venena.*

STRAMONEUM, vide *Venena.*

TABABUM p. 192.

His

His adnumerari merentur magnæ confectiones opiatæ.

DIASCORDIUM.

MITHRIDATIUM.

PHILONIUM.

REQUIES NICOLAI.

THERIACA.

FINIS TOMI II.



HENR. IOH. NEPOM. CRANTZ
S. C. A. MAIESTAT. CONSILIAR.
INSTITUT. MED. ET MATER. MEDIC. VINDOB.
PROFES. PUB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CURIOS.
ET SOCIET. BOTAN. FLOR. SODAL.

MATERIÆ MEDICÆ ET CHIRURGICÆ

IUXTA
SYSTEMA NATURÆ DIGESTÆ

EDITIO SECUNDA

CORRECTA ET AUCTA.

TOMUS TERTIUS.



IMPENSIS IOANNIS PAULI KRAUS,
BIBLIOPOLÆ VIENNENSIS,
MDCCLXXIX.



ANTIDOTA GENERALIA.



a, quæ contra venena dantur remedia, generali nomine ANTIDOTA vocantur. Quæ contra venenatos ferarum morſus valent, ALEXITERIA, etiam THERIACA dicuntur, quæ arcent, depellunt venena, ALEXIPHARMACA appellantur &c.

Venenum vero omne illud vocatur, quod corpori animali applicatum illud conſtanter deſtruit, aut ſaltem in eo funeſtos effectus producit; quod quia non ſemper cognitum, ideo etiam ea primo loco recenſentur Antidota, quæ omnibus ſubvenire poſſunt, non qui-

dem ſpecifica quadam vi, ſed generali, ex ipſa natura aſſumpti fluente.

ACETUM tam Vini, quam aliorum ſuccorum vegetabilium vinoſorum, ad Præparata ſpectat. *Germ.* Eſſig. *Gallis* Vinaigre. *Anglis* Vinegar.

Liquor vinoſus, nova fermentatione calida corruptus, ACETUM dicitur, & fit, quando acidum vini exaltatum ſubigit, atque figit partem propriam oleoſam, ſeu ſpirituoſam, qua ſubacta acetum eſt, ut bene ETTMULLERUS: contra vero, dum vino ſubrepens aciditas tollitur, acetum non fit, SHAW; tollitur autem ſpiritu vini tartariſato vino commixto, IDEM, imo & duraturum ſemper & incorruptibile vinum reddi poteſt ſolius aquoſæ partis diſſipatione, IDEM *Leçons de chymie traduites de l'Anglois, Paris.*

Ars faciens de vinis aceta fermentationem acetoſam variis modis inducere ſolet, eſtque in hac re magna diverſitas, maxima itidem in ipſis ſubjectis, ut inde coloris, ſaporis, imbecillitatis, vel efficaciæ, differentiæ innoteſcant. Etſi vero in uſum communem varia adhibeantur aceta, acetum tamen vini aliis fragrantius ſolum medici adhibent, unde & de hoc maxime agam.

Principia igitur Aceti inde facile intelliguntur: Conſtat nempe, præter aquam, acido vini fixiori, ſpiritibus ardentibus, tum & vini tartaro. Spiritus inflammabiles aceto ineſſe, experimenta BOERHAAVE, & Pariſienſium clare demonſtrant: acetum poſt congelationem concentratum, deſtillatum, rectificatum, dedit ſpiritum ardentem. Tartari vini in aceto præſentiam firmiſſimo argumento probat TACHENIUS,

dum alcalino ſali, ex fæce poſt deſtillationem aceti remanente combuſta, acetum deſtillatum ſuper affundit, ut ſaturetur, & phlegma avocando, exhibet tartarum naturæ ejusdem vini, de quo acetum fuerat, deſumptum; non ignobiliori idem confirmat FEVRE, de forti aceto ad mellis conſiſtentiam inſpiſſato, cryſtalliſato, Tartareas cryſtallos producens.

Acidum hoc acetoſum diſtinctum eſt ab omni acido minerali, docet id ejus vappeſcentia & putrida corruptio, volatilitas & penetrabilitas ab aliis huic conciliata, natura ſalis medii acido acetoſo facti & acido minerali brevi deſtructa &c. Cæterum plurimorum corporum tam foſſilium, quam vegetabilium menſtruum, ut in diverſarum ſubſtantiarum hiſtoria patebit.

VIRES antiputredinoſæ maximæ, ut in febribus putridis exanthematicis, & aliis omnibus, in quibus aut a ſtimulo acrioris bilis, aut alcaleſcentia ſalis, aut putridi cujuscunque, incendium ortum eſt, medici nihil habeant commendatius, BOERHAAVE: ad corruptionem mortiferam, gangrænoſos reptatus, putrida ulcera, chirurgi nihil pulchrius, IDEM. Ad cancrum nondum apertum in fotu acetum non eſt ſpernendum. Vires excitantes, & ſubtili ſuo ſale nervos vellicantes in debilibus, languentibus, lethargicis, ſoporoſis, ſyncopticis proficuæ, etiam ſubueniunt convulſis, hypochondriacis, & hyſtericis, temulentis: ſudoriferæ ob ejus penetrabilitatem certæ, unde acetum in omnibus morbis malignis tantum laudatum, antipeſtilentiale, etiam theriacale audit: morſui curando virulentorum animalium aliud non eſſe poſca efficacius BOERHAAVE, & nuper hauſtum caſu acetum Hydrophobum Udinæ ſervavit & repetitum Paduæ experimentum confirmatum fuit, *The London Chronicle* No. 1170. Iune 19.

Adhæc aceti vapor Orthnopœæ variolosæ ex inflammatione Pulmonum ortæ præ omnibus aliis cito medetur, TYSSOT. *de Variol.* & oxycratum in inflammatione mammarum jam olim laudatum etiam hodie probatur.

Cæterum sunt etiam, qui acetum contra obesitatem nimiam, epotum laudent, & porrigant, tum nautis contra scorbutum exhiberi debere contendant; in fungis venenatis antidotum non satis probavit HATTE *Recueil periodique* T. III. Melius commendavit ad infringendam hyosciami, plantarum aliarum narcoticarum vim *Cl.* VANDERMONDE T. IV. Notari meretur, salia volatilia animalia, ex oleo combusto fœditissima, affuso aceto digesta, destillata, grata fieri, ROG. BACON, *Cl.* HUXHAM, experimentis. Quantum non inde officinis lumen!

PRÆPARATA. *Acetum destillatum*, spiritus nempe aceti, maxime acetosus, in iisdem casibus utilis, interne minori dosi propinandus. Tum adsunt adhuc aceta multa simplicium plantarum, officinis dicta simplicia, ut rutæ, sambuci, scilliticum &c. Sunt & composita Bezoardica, Theriacalia & alia.

Componi demum & alia adhuc Medicamenta possunt pluribus in morbis efficacia, dum acetum substantiis aut terrestribus aut alcalinis saturatur, ut lapidibus cancrorum, Magnesia alba, sale tartari, hæc enim minori dosi data aperientia evadunt egregiã, majori aut diuretica aut purgantia, atque hæc ratio est præparatorum nonnullorum officinalium tartari regenerati, terræ foliatæ tartari, & arcani tartari. Possent tamen etiam fieri styptica remedia dum terra aluminosa aceto solveretur & sudorifera dum alcalina volatilia illi ad pun-

ctum

ctum ſaturationis indantur, talis eſt ſpiritus Mindereri, doſis unciæ ſemis.

AQUA, *Hydrologorum* Aqua communis. Claſſis Aquarum ſimplicium. *Germ.* Waſſer. *Gallis* Eau. *Anglis* Water.

Quid aqua ſit? quæ ejus ſint proprietates? omnibus ſcriptum philoſophis. Aquarum diviſiones dictæ WALLERIO, criteria HIERNE, MARGGRAF, & aliis. In corpus humanum effectus plurimis recenſiti medicis RIEGERO, SCHWERTNERO, HOFFMANNO, qui etiam de aqua, ut univerſali medicina, ſcripſit. De aquæ frigidæ ſalubritate ad firmandas laxas partes Anglorum nota experimenta ſunt; de ejusdem ad curandam hæmoptoen ſorbitione, Italorum, etiam *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN confirmata. Gelidæ, aut aereæ conglaciatæ vis in congelatis membris perſpecta eſt; calidæ, maxime vero ejus vaporis, in relaxandis contractis, & emolliendis duris partibus certa, ut inde paucis ejus virtus perſpici poſſit.

Sed & cognita eſſe debent, tum in præſcriptionum, tum in experimentorum chemicorum ſcopum, ea, quæ poſt alios, ratione ſolubilitatis ſalium in aqua, inſtituit tentamina *Cl.* SPIELMANN, quibus evincitur in calore, qui Thermometrum ad quinquageſimum ſcalæ Fahrenheitianæ gradum ſuſtineret, aquæ deſtillatæ unciam unam diſſolviſſe

Terræ foliatæ tartari	-	-	*grana* 470
Salis Sedlicenſis	-	- -	384
Sacchr. Thomæi	-	-	360
Salis Epſomenſis	-	-	324

Salis Tartari	grana	240
Vegetabilis		212
Vitrioli albi		210
Salis Gemmæ		200
Sodæ		200
Ammoniaci		176
Communis		170
Mirabilis GLAUB.		168
Lotharingici		168
Digestivi SYLVII		160
Polychrest. SEGNET.		137
Vitrioli cærulei		124
Viridis		80
Nitri depurati		60
Salis Polychrest. GLAS.		40
Tartari Vitriolati		30
Mercurii Sublimati		30
Boracis		20
Aluminis		14
Salis volat. succini		5
Arsenici		5
Tartari crudi		4
Cremoris tartari		3

Quanquam vero aqua determinatam unius salis portionem solum solvat, eadem jam priorem continens, & alium solvere valet, & tertium, quin & secundo etiam tertio sale impraegnata novam iterum primi salis portionem solvere valet, *Cl.* LEMERY *Acad. des Sciences* 1724.

Cæte-

Cæterum ea omnium maxime generalis antidotus habetur, quatenus sua fluiditate, penetrabilitate, & commiscibilitate plurima diluit, abluit, enervat, solvit, quale memorabile nobis exemplum de misero ex amore melancholico, haud parcam mercurii sublimati sumente portionem, aqua tepida epota curato, reliquit SYDENHAM. Ipsum arsenicum, indomabile venenum, aqua domari, glyres testantur, & acerrima alia venena aqua dilui, infringi, in omnibus experimentis est, ut dubium superesse non possit.

Est tamen etiam in hoc negotio aquæ sinceræ, & tepidæ potior præscriptio, tum quod aliis corporibus minus imprægnata prior, & tepida magis ventriculum subvertat, atque tamen per omnes insinuationis modos, haustu, clysmate, balneo, fomento, applicanda est. Frigidæ aliis in casibus non minor laus: ita epilepticos affusione copiosa aquæ frigidæ juvari vidit SAUVAGES *Acad. des Sciences 1739.* & aquam glacie aut nive frigidissimam redditam tympaniticorum abdomini applicatam etiam potu concessam profuisse COMBALUSIER *Pneumatopath.* & infantum excoriationes non alia re certius & tutius percurari, quam linteis aquæ aut pluviali aut fluviali frigidæ intinctis, applicatis, BOENNECKEN. Nec alia sunt contra Rheumatismos, doloremque ischiaticum potentiora, quam balnea aquæ frigidæ, præsidia, quæ etiam efficacissima imperato simul Kinæ usu in debilitate tam a pollutione nocturna, quam a manustupratione inducta expertus *Cl.* TYSSOTUS *de morbis ex manustupratione.*

MEL *Offic. Zoologorum* Apum Productum Mel. Classis insectorum. *Germ.* Honig. *Gallis* du Miel. *Anglis* Honey.

Saccharum animale odoratum, vocari productum hoc apum, resinoso-mucilaginosum, spissioris consi-

ſtentiæ, ſaporis dulciſſimi, odoris grati, coloris vel albicantis, vel pallide flaventis, vel etiam ſaturatioris, jure poſſet, licet etiam de ejus natura controvertant plurimi; hi enim vegetabile productum, quod in nectariis florum jam mellitum fuerat, etiam plantæ, unde deſumptum, odorem ſervat, habent; alii & id concedunt, & in ventriculo apum digeſtum in mel verum tantum elaborari, caſte concludunt. Cœli ſudorem, ſyderum ſalivam, cœleſtem rorem, expreſſione metaphorica magis, quam naturali, dixit PLINIUS, quam tamen *Cl.* WALLERIO in HIERNE arridere video, qui etiam mel turgere ſpiritu mundi & acido univerſali, nec ad animale, nec ad vegetabile regnum referendum eſſe mira ſententia contendit *ibidem*, dum tamen ex melle ſaccharum candum cryſtalliſatum in omnibus experimentis educit BAUME *Elemens de pharmacie* p. 362. manifeſto vegetabilis materiei teſtimonio.

Quoniam vero ipſum mel virtutem illarum plantarum, ex quibus ab apibus gregariis colligitur, pertinaciter ſervat, intelligitur, cur ex gratis aromaticis plantis gratum, ex amaris amarum, ex venenatis venenatum, quorum plurima exſtant teſtimonia: ita DIOSCORIDES in Sardinia gigni mel amarum, quod apes inibi abſynthio veſcantur: Heracleæ in Ponto, quibusdam anni temporibus, propria quorundam florum dote, mel gigni, quod mentem alienaret, & ſudore perderet, PLINIUS; plantam vero, ex qua conficeretur, a caprarum pernicie *Ægolethon* nominat: tum in eodem Ponti ſitu, gente ſannorum ab inſania quod gignit mel, *maenomenon* fieri, idque contrahi flore rhododendri. PLINII obſervationem confirmavere R. P. LAMBERTI Miſſionarius in ſua *de Colchide Hiſtoria*, tum ipſe TOURNEFORTIUS *voyage du Levant*, & ægo-

ægolethron vocat chamærhododendram maximam, ponticam, mespili folio, flore luteo, & rhododendron PLINII, Chamærhododendram ponticam, folio laurocerasi, flore cæruleo, purpurascente.

Quæ vero symptomata venenatum mel inducat, XENOPHON, ut & DIODORUS SICULUS, docent. Decem mille hominum exercitus, ad Trapezuntum stativa habens, alveariis apum, in quibus multum mel collectum fuerat, indulserat; sed hi sursum deorsumque moti, & evacuati cum delirio; alii aliter affecti, ita tamen, ut, qui adhuc corpore constarent, non constarent mente: nam & hi ebriorum, alii maniacorum in morem agebant, stratis etiam humi aliorum corporibus, quasi cadaveribus, non aliter, ac post cædes conspicitur: Nullus tamen, quod mirandum, inde desideratus: sed vis veneni circa eandem horam sequenti die, qua priori assumptum fuerat, fracta conspiciebatur, ita ut post tres, quatuor dies, resurgerent quidem, sed quasi violento medicamento purgante fatigati.

Præter plantarum, ex quibus colligitur mel, diversitatem, unde mellis salubritas, odoris, & saporis differentia, pendent, adhuc magnum ratione coloris, consistentiæ, puritatis, bonitatis, discrimen patitur. In omni specie laudatur virgineum, nulla adhibita arte, ex favis diffractis, craticulæ impositis, defluxum; expressum, ceram redolens, deterius est; elutum, coctum, deterrimum, fuscum, ad hydromel utile. Adulteratum farina, magis albidum est, vix odorum, glutinosum. Consistentia, color, odor, sapor, aliarum fraudum criteria sunt. Mel coctione amarescit, & igne ut saccharum inflammatur. Sapo est, sed acescens,

aqua,

aqua, ſpiritu vini ſolubilis, fermenteſcens, exquiſitus ſapo, bilem reſolvens, balſamicus, pectoralis, nec inflammabilis, antequam fermenteſcat. ARBUTNOT *an eſſay concerning the nature of aliments.*

USUS ejus jam antiquis, tam in alimentis, quam medicamentis multus, etiam ad longævitatem ducens, teſte POLLIONE, & DEMOCRITO. Cadavera in melle ſepeliiſſe antiquiſſimos Babylonios, HERODOTUS reliquit, & vegetabilia melle condita, veteres omnes officinæ. Adverſus venena linctum, & potum mel DIOSCORIDES laudat, utique abſtergens, demulcens, ſaponaceum, oleoſa aquoſis miſcet. Eſt autem abſtergendi mellis vis ſumma, ut etiam ab hoc multum comeſto fauces exaſperentur, alvus ſolvatur; unde faucibus, tonſillis muco obſitis, anginæ pituitoſæ, collutum gargariſatumque medetur, linctum & potum tuſſi, aſthmati obvenit, & cum ſuccis ſolventibus datum, hypochondriacam, & atrabiliariam ſaburram ſine calore liquat, & fundit; etiam lumbricos necat, quod & ſaccharum præſtat, RHEDI; licet vulgo credatur nutrire, & generare vermes.

Externe in ſordidis ulceribus egregium depurans, digeſtivum, ſaponaceum, antiputredinoſum mel, etiam in furunculis ſimilibusque tumoribus maturans, addita farina ſub cataplasmatis, aut emplaſtri forma adhibitum.

PRÆPARATA. Mel *deſpumatum*, quod licet ad extemporaneas præſcriptiones naturali deterius ſit, ad magnas tamen officinarum compoſitiones etiam huic, quod minus in fermentationem pronum, præfertur. Officinarum deſpumatio non optima eſt: quæ

vaſe

vaſe fictili moderato calore lente peragitur, laudatiſſima L. B. van SWIETEN. Mel *coctum*, ut frigidum fragile fiat, ſuppoſitoriis aptum, & variorum baſis. *Aqua ſtillatitia*, acidum ſuo ſinu fovens per experimenta, pectoralis, diuretica. *Spiritus* ſaporis acris, penetrantis, acidi, cum alcalinis effervescens, ſi bonus, dicitur diureticus.

Oxymel ſimplex, abſtergens, incidens, antiputredinoſum, haud laudabiliter in officinis præparatum. *Oxymel ſquilliticum* ad compoſita ſpectat, & de ſquilla dicetur.

Hydromel cardiacum ſtimulans, reficiens, inebrians, vinoſum.

Compoſita alia ſub ſuis claſſibus ſunt. Ut mel *anthoſatum*, *Roſatum*, *Violatum &c.* quorum virtutes cognitis ſimplicibus patent.

OLEA Vegetabilium preſſa, Animalium fuſa, cocta; ad Præparata ſpectant. *Germ.* Oel, Fette. *Gallis* Huile, Graiſſe. *Anglis* Oil, Fat.

Corpus fluidum, lentum, inflammabile, aquæ minus permiſcibile, OLEUM: iisdem dotibus gaudens, magis conſiſtens, ex vegetabili, *butyrum*: ex animali *pinguedo* vocatur. Solidum, nec igne liquatum, *adeps*, liquatum *ſevum* dicitur.

Omne demulcens emolliens, laxans adeoque in caſu aſſumpti veneni indicatum, tum quia acrimoniam involvit, roſas partes demulcet, tum quia fibras omnes laxat, ſpasmos, & convulſiones a veneno rodente imminentes tollit. Utrumque quotidiana experimenta docent,

cent, & audaces hinc inde Agyrtarum, etiam venenum aſſumentium, proceſſus.

Eſt etiam, ubi in determinata acrimonia immediate olea agunt; ſic cum ſalibus alcalinis, & ſiccis, in ſaponem non amplius adeo nocuum confluunt, cum acidis potentioribus in pinguedinem concreſcunt experimentis Pariſienſium; cum calce plumbi conſiſtunt, coagulantur, maxime preſſa, *Exper. Pharmaceuticis* cum calce viva preſſa ſpiritu vini ſolubilia redduntur jamque imperfecti ſaponis ſpeciem conſtituunt, quod cauſtico debetur. MEYERS *Chymiſche Verſuche vom ungelöſchten Kalch. 1764.*

Laudantur vero potiſſimum in hunc ſcopum olea recentia, ex vegetabilibus preſſa, quia mitiſſima, & pluri aquæ commixta, nec ideo magis aut aquæ, aut ſpiritui vini miſcibilia, GEOFFROY *Acad. des Sciences 1741.* licet deſtillata etiam ſpiritu vini ſolvantur, IDEM. Ratio MACQUERO dicta eſt *Acad. des Sciences 1745.* Rancida vero etiam venena ſunt. Similibus vero, ex partibus animalium pinguibus deſumptis, omni via ſubminiſtratis multum & aſſiduo, clysmate, fotu, embrocatione, oleoſo potu, ſæpe atrociſſimi, ventriculi & inteſtinorum dolores, tum ab his, tum ab aliis cauſis orti tolluntur; his dolores cardialgici, colici, nephritici, menſtruorum periodici, puerperarum tenesmoidei, ſopiti. Pingue clysma ſæpe excoriatis inteſtinis, dolenti hæmorrhoidi, veſicæ, utero, ſubvenit. Calidi omenti fotus quoties non profuit colicis, & puerperis? Embrocatione oleoſa convulſiones prævertere, in ſe ipſo docuit GALENUS, & tepidi olei balneo convulſiones atrociſſimas ex halitu veneni chemici obortas quieviſſe, & diuturnam aliam convulſionem oleo amygdalino dulci recenter preſſo loco cœnæ ad uncias duas ſum-

ſumpto, *Cl.* MORGAGNI *de ſedibus, & cauſis morborum per Anatomen indagatis* T. I. *Epiſt. Anatom. Medic. X.*

Inter anthelmintica etiam, olea in experimentis diſcipulorum LANZONI, primaria viſa, *Acta Phyſic. Medic. Acad.* N. C. *Vol. I.*

OPIUM *Offic.* Regni Vegetabilis productum. *Botanicorum* Papaver. Claſſis Multi-ſtam. *Germ.* Schwartzer Mohnſaft. *Gallis* Opium. *Anglis* Opium.

Planta, quæ hunc ſuccum per excellentiam ita vocatum, largitur, definitur Papaver *foliis ſimplicibus, glabris, inciſis* L. Multis in regionibus ſativa, imo etiam ſpontanea, in Aſia tamen maxime obvia, & eminenter narcotica, cujus rei magna in experimentis probatio, quod collectum ex Europæa planta opium, debilius longe, *Acta Edimburg.* extractum ignavius *Hiſt. de l' Acad. des Sciences* pronunciarint.

Veteribus ſuccus papaverinus jam duplex, primus ex inciſo papaveris ſcapo exſtillans, meconos opos, ſecundus ex tota planta contuſa extractus, priori ignavior, meconeium & meconium dicebatur. Opium noſtrum, ſitne verum opium veterum, aut ſolum horum meconium? multi plurimum diſputant; Opium lacrymatum nobis non eſſe, præter ſummos aliarum regionum Botanicos, Pariſienſes credunt. Contrarium vero evidentius KÆMPFERUS, & Edimburgenſes probant; ut, quia vel ſimplex, vel etiam ex lacrymato, & extracto conflari poſſit, quod nobis eſt opium, ſemper ſuccus e papavere orientali vel lacrymatus, vel extractus dici debeat.

In

In panes denſos nigricantes coactum ad nos adfertur, fractum ex fulvo nigrum eſt, aloes colore laudabile, odoris viroſi, ſoporiferi, caput tentantis, ſaporis amari, linguam urentis, inflammantis. Gummi-reſinoſa hæc ſubſtantia ſale tam acido, quam alcalino conſtans, etiam oleo conflatur, ob id inflammabilis: Magna parte in aqua, maxima ſpiritu vini ſoluitur. Exigua doſi ſumpta dolorem præſentem tollit, vel ſi non adeſt, talem voluptatis ſenſum, ut perfecta is, qui aſſumpſit, indolentia, animi tranquillitate, felicitate, fruatur, inducit, L. B. van SWIETEN. Doſi aucta ſomnum conciliat, majori temulentiam facit, quale nimis certum Turcarum, & Perſarum experimentum eſt; adhuc majori lethargum, DIOSCORIDES, imo cauſat apoplexiam, mortem, GALENUS & alii; & ita in hanc rem PLINIUS. „Sic ſcimus interemptum Licinii Cæcinæ Prætorii viri Patrem in Hiſpania Bavili, cum valetudo impatibilis odium vitæ feciſſet, item pleroſque alios;„ ut vel inde clarum ſit, quare deleterium omnibus habitum, calorem innatum exſtinguere, ſpiritus figere, conglaciare quaſi, in quarto gradu frigidum GALENO pronunciatum, licet per ſe tamen calidum ſit in experimento, & evidens, in ſola doſi ſalubritatis, aut lethalitatis punctum verſari, nec ideo unquam correctorio indiguiſſe, nec hodie egere.

VIS, qua GALENO tranquilla medicina dicitur, princeps eſt, dum, manente doloris cauſa, doloris in mente ideam ſopit; facit id in omnibus doloribus ſpuriis partus, etiam doloribus poſt partum, arthriticis, rheumaticis, podagricis, calculoſis, colicis, cancroſis, ulceroſis, verbo chronicis & acutis, dum conſilium eſt inducias paciſci, ut aliis remediis doloris cauſa certius

tius ſuffecturo ægro tolli poſſit. Ex eadem eſt, quod ad conciliandum ſomnum in vigiliis nimiis laudetur, & feliciter adhibeatur, excepto caſu inflammationis topicæ in cerebro, de quibus omnibus legi debent *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN *Commentaria.*

Laudaverunt præterea opium illis multum in caſibus celebre, ubi ſpirituum ataxiæ, ut in hyſtericis, hypochondriacis, in quibus non alium domitorem paſſionum hyſtericarum ſuccum, ut & motuum ſpasmodicorum convulſivorum habuit SYDENHAM, egregias & fere certas ſemper ab illo expertus virtutes: hinc etjam illis in caſibus, ubi a quacunque cauſa irritatis nervis omnia ſusque deque moventur, evacuationibus auctis, in caſu aſſumpti veneni, etiam vomitorio ejecti, cholera, hyperemeſi, dyſenteriis, tenesmo, ſic in cholera unum, duo grana opii in unc. IV. aquæ menthæ ſoluta cochleatim exhibentur, eadem in lacte ſolvuntur, & pro enemate injiciuntur incantamenti inſtar tenesmum ſupprimentia, &c.

Item poſt omnes purgantium, vomitoriorum motus, ſemper exhibuit opiatum SYDENHAM. Neque tamen ſolum in his caſibus, ſed etiam in contrariis, ubi ſpasmodice conſtrictis partibus inimica corpori evacuanda, retinentur, ut in ſimili caſu aſſumpti veneni, conſtricto valide ventriculi orificio, & nihil dimittente, ſuppreſſis a conſtricto utero menſtruis, lochiis, aliis ab hac cauſa aliarum partium convulſionibus, aut demum ubi a quacunque cauſa irritata fibra multum tremit, vibrat, etiam convellitur, ut in tuſſi acri, inani, ferina, aſthmate, aliis morbis ſuffocativis; etiam illis, qui a retropulſa materie varioloſa arthritica exorti magnum timorem injiciunt, his enim in circumſtantiis egregium

cardiacum eſt materiem ab interioribus ad exteriora depellens.

Adhæc alvum ſupprimit, evacuationes omnes, excepta illa, quæ per cutim eſt, ſupprimit, ſanguinis etiam nimiam compeſcit, hinc in hæmorrhoidum, menſium, lochiorum, aliis uteri excedentibus fluxibus, in hæmoptoe, vomitu, & mictu cruento multum prodeſt, malum ſæpius ſuſpendens, raro tollens; ſed & prius magnum eſt. Quod quoniam vel maxime verum de illis, quæ gravidas, parturientes habent, hæmorrhagiis uteri, rei dignitas hucusque haud bene perſpecta poſtulat, ut aliquantulum exactius tractetur.

In omni caſu hæmorrhagiarum gravidi uteri, opium dandum in initio, donec hæmorrhagiæ cauſa, quæ ſæpe medico abſtruſa, recte expiſcetur; quodſi intelligi non poſſit, cum ignoti non poſſit eſſe rationalis curatio, vis tamen opii perſpecta ſit, medicamento inſiſtendum: ſi vero intelligitur, ſoluta placenta etiam partum, ſive exacto naturæ incubatu maturum, ſive violato immaturum, inſtare, tunc, ni omnia ad extrema jam deducta ſint, medicamento locus amplius eſſe non poteſt, nec huic mulieris ſalus concredi; quod ſi fit, in deſperationem deducitur, & rapitur, quod nimium notum. Ne tamen ego recta ratione id aliter obvenire poſſe intelligo! Pone arteriæ ſolutionem mechanico inſtrumento dilatatam, ſanguinem pleno gurgite effundere: an qui opium dat medicus, aut qui inſtrumentum aufert chirurgus, medetur? quodſi etiam hoc ablato moriatur vulneratus, quis in operationem mortem refundet? Chirurgia non magis advenientem jam ex profuſo nimio ſanguine mortem, quam medicina, propulſare poteſt. Quare ſerio moneo, ne aliquis opio in hæmorrhagia uteri, partui inſtanti, præſente, nimium fidens, neceſſariam

Chi-

Chirurgicam operationem negligat, & parturientem in mortem, cujus ipſe unica & ſola cauſa ſit, certo certius deducat, qualia adhuc recentia ſunt exempla.

Nec felicius eſt in ſuppuratoria Variolarum febre Opium, in qua ſummopere damnoſum invictis argumentis probavit Naturæ in hoc morbo interpres TYSSOTUS *de variolis*.

Doſis opii a grano ſemis ad granum unum adulto, non aſſueto ſufficiens. Eſt tamen etiam, ubi ſecundum circumſtantiarum rationem majorem exhibere poſſis, vel priorem ſæpius repetere, ut in cholera. & aliis morbis, quibus bona totius corporis ſimul & ſemel funduntur; ita in cholera duo, tria grana apii in unciis tribus, quatuor, diluit, & cochleatim, donec turbæ ſedentur, exhibet L. B. van SWIETEN. Mirabile eſt, opio aſſuetos aliquantulum, a conſueta doſi nullum levamen experiri, ſed continuo augendam eſſe: mulierem nephriticam novit *Illuſtriſſ.* L. B. van SWIETEN, quæ omni bihorio quatuor granis conſtantem mixturam, & tales intra nycthemerum quatuor, ebiberet; tum melancholicis, ne ſibi violentas manus inferrent, quindecim grana pro doſi data; drachmas duas quandoque de die, & id per octodecim menſes, aſſumi absque noxa vidiſſe ſe, CLAUDERUS teſtatur *Miſcell. Natur. Curios.* Orientales drachmam ſæpe absque noxa ſumere, KÆMPFERUS, PROSPER ALPINUS, unam vel duas drachmas familiares Turcis, & Perſis, BELLONUS, quatuor uncias in experimento aſſumptas Bengalæ, ſola ablata mentis ratione, poſt ſomnum redeunte, GARCIN, teſtantur.

Opii tamen liguritores triſtes, ſomnolentos, elingues, ſtupidos fieri, invenit KÆMPFERUS; tum non

aſſuetos perimi majori doſi, exemplo triſti juvenis copthæ, Acta Pariſina; etiam muſculorum deglutitionis reſolutorum cum morte, Acta Edimburgenſia reliquere, ut merito antidotum quæſitum ſit. Proponuntur generalia, vomitoria, clysmata acria, interne acida, diaphoretica, externe ſinapismi. Virgo incautior decem grana opii devorans, in altum ſomnum quadraginta octo horarum incidens, vomitu mechanico excitato ſervata eſt, ex HALLERO SPROEGEL. Ex quibus omnibus patet, opium venenorum generale antidotum eſſe, quatenus omnes motus, turbas omnes, ne in nervum erumpant, ſopit, ipſum tamen etiam majori quantitate ſumptum verum venenum eſſe.

PRÆPARATA. *Extractum* opii crudo purius, non efficacius ſed tutius. Habet *Eſſentia* vim grani unius in guttis decem. Compoſita vero ſunt plurima: hæc opium miris modis vexatum, corruptum, continentia, an ideo meliora? alia adeo exigua quantitate opium recipientia, ut ratione hujus vix agant; mithridatii, vel diaſcordii drachma, pro doſi data, ne granum opii continet, quod fere theriaca habet. Qui opium purum, extractum, eſſentiam, ſeu laudanum liquidum SYDENHAMI, adhæc ſyrupum diacodii, vim grani unius opii in uncia continentem, habet, aliis carere ob vim opii facile poteſt.

Minime tamen reticendum eſt, *Diacodii* ſyrupum ſæpe minus Medicorum intentioni reſpondere, inefficacem hic loci deprehendi, etiam a TYSSOTO in Helvetia demulcentem potius quam narcoticum viſum, qualia etiam in Anglia SYDENHAMUS jam monuerat, hinc nec in eo abſolutam rectamque opii vim quærendam.

SAPO

SAPO VENETUS. Claſſis Artefactorum. *Germ.* Venetianiſche Seiffe. *Gallis* Savon de Veniſe. *Anglis* Venetian Saop.

SAPO quid ſit, paucis exacte ita, ut una omnes ſapones complectatur definitio, pronunciatum, quod ex triplici naturæ regno ſapones naturales, qui arte factorum omnes dotes non habeant, demonſtrentur, quod naturales ſapones multum inter ſe, ut & arte facti, diſtinguantur, utrique quoad quantitatem principiorum, etiam eorundem naturam varient; quare quodcunque corpus aqua ſolubile abſtergit, & pingue aquæ miſcibile reddit, dici ſapo poſſet, absque eo, ut principiorum hæc conſtituentium mentio fiat; cum enim in triplici naturæ regno diverſum recipiatur pingue, diverſus etiam ſal ingrediatur, tum & aquæ diverſa quantitas, & diverſa præcedentium proportio ſit, hac una definitione comprehendi non poſſe, perſpicuum.

Diviſionem ſaponum quod ſpectat, hos primo duplices eſſe tenendum, naturales & artefactos; naturales iterum ex triplici naturæ regno triplices, vegetabiles, animales, minerales; adhæc artificiales conſiſtentia diverſos, diſpeſci in ſolidos mediæ conſiſtentiæ, & fluidos; eosdem ingredientibus diſcrepantes in fixos, ſemivolatiles, volatiles dividi; ita ut fixi ex oleo preſſo cum ſale alcalino acri fixo in uſum medicatum plerumque fiant; ſemivolatiles vel ex oleo preſſo, & ſale alcalino volatili, vel ex ſale alcalino fixo, & oleo æthereo; volatiles vero ex oleo æthereo, & ſale alcalino volatili combinentur. In mechanicos vero uſus loco olei etiam ſevum, pinguedo balænarum, adhibentur, vix vero in perfectum ſaponem coguntur; at neque omnia olea etiam id patiuntur: oleum enim lini cum

ſaturato lixivio alcalino nunquam cogitur, GEOFFROY *Acad. des Sciences 1741.* An quia frigore non denſatur hocce oleum? ut proponit IDEM.

Neque vero ultimo id ignorari debet, ſalem mineralem æque ac vegetabilem ſaponem conſtituere poſſe, ſic dum ſalem ſodæ, dum Boracem oleo unguinoſo nuberet *Cl.* BRANDT *Schwed. Abhandl. 1756.* ſapones obtinuit.

Sapo Venetus autem eſt olei olivarum preſſi cum ſale alcalino, ex cineribus plantarum cum calce viva parato, adeo perfecta unio, ut aquæ mixtus absque ſeparatione partium diluatur, aeri expoſitus non madeſcat; poſtrema hæc duo etiam ejusdem criteria ſunt. Ex quibus ſalia alcalina acria, oleo nupta, in aqua ſoluta, jam tuto applicari corpori poſſe, quæ non ſine eroſione ante applicari potuiſſent ſola, oleum iterum horum ope aquæ miſcibile reddi, intelligimus.

Eſt vero & id tenendum, oleum ſali ita mixtum, aliis oleis non commiſceri amplius, nec flagrare igni admotum, licet æquabiliſſime in ſpiritu vini rectificato, minus æquabiliter in ſpiritu vini ſimplici, aqua pura, impura, vino, ſolvatur, quibus ultimis menſtruis ſub floccorum forma ſecedit, quod acidum majorem affinitatem cum ſale alcalino habeat, quam cum oleo. In 180. libris ſaponis 50. libras ſalis alcalini, 115. libras olei olivarum, 15. libras aquæ contineri, exiſtimat GEOFFROY citante HALES. Saponis alicantini unciæ duæ cum totidem drachmis, aceto deſtillato aliquantulum digeſtæ, 12. drachmas cum 54. granis olei olivarum limpidiſſimi largiuntur, GEOFFROY *Acad. des Scienc. 1741.* cum acido vitriolico majorem adhuc quantitatem in *Comment.* D. HARTLEY *miſſo*, IDEM.

VIRES

VIRES abſtergentes primariæ; in caſu aſſumpti veneni ſemper utilis aqua ſapone veneto medicata; aqua enim licet omnia diluat, enervet, etiam ſalia ſolvat, olea non attingit, quod ſapo facit: adhæc aqua ſola citius præterlabitur, nec adeo detergit, ut ſapone dives, quæ tum omnibus viis ſubminiſtranda. Ob easdem vires, tum incidentes, laudatur in glutinoſo ſpontaneo primarum viarum bili nuptus ſapo; in viſcerum abdominalium infarctu, obſtructione, cum gummi ferulaceis: in ſaburra atrabiliaria acida, aliis morbis acido ortis, ut ſcorbuto, arthritide, rheumatismo, podagra, maxime vero in coagulato in primis viis lacte, infantum tumido abdomine, ob priores, & acido contrarias egregius, poſteriori in caſu ſemper deprædicatus *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN. Forma pilularis commoda, ut grana ſex, novem, plus minusve pro morbi indole ſumi poſſint omni trihorio abſente febre; periculoſum enim ejus uſum non eſſe jam dudum experimentis Anglorum, & *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN notum; infantibus granorum duodecim, viginti pondere, vel aqua ſimpliciter ſolutus, vel vitello ovi ſubactus, & dilutus aqua ſtillatitia, addito ſyrupo, prout e re videtur, vel cichorei, vel diacodii, cum lapidibus cancrorum exhibetur feliciter.

In calculo potens remedium magna doſi datum unciæ ſemis, unius, duarum de die pondere CAR. ALSTON *diſſertation ſur la chaux vive.* Convenientius eſt tamen unciam ſemis ſolum de die dare, major enim alvum ſollicitat, IDEM. Minime tamen reticendum, pleroſque medicamento Dæ. STEPHENS, ut & lixiviis ſaponaceis uſos, in phthiſim, ſcorbutum, hæmorrhagias, dyſenterias pertinaciſſimas incidiſſe, HUXHAM *eſſai ſur les fievres.* Utique ſerum ſangui-

nis & urina horum usu alcalina fiunt, per experimenta *Cl.* Virorum HARTLEY, & MORAND. Ultimo etiam id tenendum, obesitatis remedium esse per aliquot tempus sumptum drachmæ unius, duarum pondere, saponem, MALCOLM FLEMYNG *a discourse on the nature, causes, and cures of corpulency*, *London.*

Externus non minus celebris saponis usus in fomentis ad loca arthritide, rheumatismo, podagra vexata, meraca solutione facta in lacte, ad loca inflammata, mammas lacte coagulato induratas, nihil habetur efficacius: In dilutiore decocto vegetabilis appropriati, soluto sapone, pro injectione ulcerum sinuosorum, fistularum mammarum a coagulato lacte, nihil pulchrius. Tum spiritu lumbricorum, vel alio simili, in unguenti speciem solutus sapo, est in rheumaticis doloribus, aliis profundis, articulorum tumoribus, etiam extravasato sanguine, proficuus; ultimo etiam in formam suppositorii pro infantibus cogi potest.

Cæterum inter generalia illa antidota, contra ea mala, quæ morsu illata sunt ab animalibus venenatis, etiam plurimum laudatur suctio, punctio, scarificatio, Piedra de la serpente lapis, quem in capite serpentum Indiæ orientalis reperiri nonnulli tradunt, artefactum vero ex cornu cervi leniter usto alii credunt: is vero vulneri applicatus, bibulus quasi, vulneri adhæret, sicque mirabiles effectus sese observasse testatur HULTSTEDT *Acta Acad. Suec. Vol. XV.*

BEZOARDICI LAPIDES utriusque Indiæ etiam a multis in censum verorum antidotorum recensentur; at hi sive in officinis genuini, quod rarissimum, sive factitii, quod frequenter obvenit, ad hunc sco-

ſcopum, ut ſuſceptum miasma per diaphoreſim expellant, parum apti, utilesque, conſenſu NEUMANNI, SLARE, ALLEYNE, CARTHEUSERI, & aliorum pæne omnium Medicorum deprehenſi ſunt. Equidem illi Bezoardici utriusque Indiæ lapides pretioſi, qui in officinis ſunt, de his enim hic loci potiſſimum agitur, quoniam hos non alios in Regum aut Magnatum Cimiliarchio reconditos, præſcribunt Medici, illi inquam plerumque inſulſi, inodori, terrei deprehenduntur, levi hinc inde eaque ſatis rara amaritie præditi, ut bonum ſuo tempore SCHROEDERUM ratione doſeos granorum trium ſcrupuloſum merito rideat ALLEYNE, qui a drachma ſemis etiam una horum, nullam efficaciam vidit: *it has the credit amongst the ignorant of doing what it never had any ſhare in* l. c. & CARTHEUSERUS illos, qui exigua doſi efficaces putant, miratus, „exclamat: ſed quam inanis fiducia, quam cæca opinio! „ubi quæſo famoſæ hæ virtutes in lapide Bezoardico tam „genuino quam factitio latent? quis unquam duo tria „quatuor quinque imo plura grana lapidis absque alio- „rum miſcela exhibiti in febribus malignis ac morbis „ſimilibus, nondum ſcilicet imminente excretione cri- „tica & ſpontanea abſente ſudatiuncula, imo apud ſanos „neglecto conſueto regimine, cui tanquam cauſæ aptiſſi- „mæ ſudoris proruptio crebro tribuenda eſt, ſudorem „provocaſſe vidit? Næniæ profecto ſunt, ac Siculæ „gerræ, quæ ratione deſtituuntur, nec ulla unquam ex- „perientia vera probari poterunt. *Mat. Med. T. I. p. 194. 195.* Quarum rerum omnium teſtimonium juxta ac experientia illos omnino pacatiores eſſe jubet, qui ex pauca innocui pulveris præſcriptione cæcum trahentes timorem & ægri ſalutem inflammatam, & totam artem peſſumdatam eſſe credunt boni; quod etiamſi in aliquo experimentulo viſum ſit, infuſum & nauſeoſum

& amarum fuisse, sciri prius omnino debet, antequam rectum judicium feratur, an non antecedenter & continuo ex bile mota os amarum fuerit, tum alia etiam amara & nauseosa declaraturum, quæ tamen non sunt; ita certum est, non aliam in Medicina rem majori cautinio obnoxiam esse quam quidem experimenta.

Atque hæc Generalia Antidota sunt, specialia vero etiam cognoscenda ex qualitate singulari ipsorum venenorum, quare de Venenis ex duplici capite agendum, primo quidem ut & innotescant, quatenus deleteria esse possint, tum ut noscantur, quatenus medicata observata sint; stricte enim dicendo venenum nullum absolutum & per se datur, omne respectivum est, & uti jam multa in remediorum censum deducta sunt, ita spes est, adhuc plura successu temporis deduci posse: reliqui tamen hæc omnia in Classe suspectorum, cum & infelices æque exstent ac felices eventus, & sufficit nonnulla experimentis suspecta declarata fuisse, ut cum his scrupulosius mercandum sit. Promittat ex auro potabili longævitatem Chemicus, ego continuo aurum in acido fossili solutum horrendum venenum declaro.



CLASSIS PRIMA.

VENENORUM ACRIUM.

EX MINERALIBUS.

COBALTUM *Offic. Mineralogorum.* Claſſis Semimetallorum. Cadmia Vitri Cærulei W. *German.* Kobolt. *Gallis* Cadmie. *Anglis* Braſs-Oar.

COBALTUM a Cobalis dæmonibus illis, ſeu metallicis virunculis forte derivatum, græcis cadmia, vaga omnino, & ad alias res ſignificandas etiam translata voce appellatur: ſemimetallum eſt pigmentarium, vitra & cryſtallos in cæruleum colorem commutans. Semimetallum vero eſſe, in *Actis Suecicis* ex his rationibus docuit omnium primus *Celeber.* BRANDT:

1. Quod externa facie metallum referat.
2. Quod pondus habeat metallicum.
3. Quod igne fundatur, fuſum, dum refrigeratur, ſuperficiem convexam acquirat, quod diſtinctivum ſubſtantiarum metallicarum criterium.
4. Quod in aqua forti ſolvatur, & menſtruo colorem ex viridi flaveſcentem communicet; quod ſales alcalini hanc ſolutionem præcipitent, & nigrum

grum illi colorem concilient, dum alcali volatile illam læte rubicundam reddit.

Cæterum in omnibus acidis mineralibus ſolubile cobaltum eſt, CADET *Memoires de Phyſ. & Mathematiq.* T. III. 1760. Solutum, atramentum ſympatheticum largitur, IDEM. Arſenico imprægnatum eſt, quod ab eo abſtrahi poteſt, & forma liquidi fumantis exhiberi, IDEM.

Multis in Europæ locis ſemimetalli hujus mineræ adinveniuntur; fertiles his ſunt Bohemia, Miſnia, Anglia & regiones aliæ, atque hæ vaporibus arſenicalibus mineræ ſæpe deleteriæ ſunt, & ipſum cobaltum vi erodente tanta pollet, ut ſæpe nudas foſſorum manus, & pedes exulceret, imo & chartam, qua incluſum fuit, eroſiſſe viſum, ut vel inde perſpicuum, omnium animantium generi venenum præſentaneum eſſe. Puellæ porrigine laboranti cobalti pulverem inſperſit mater, at miſera poſt paucas horas rapta eſt, ex obſervatione HALLERI. Alios deleterios caſus cobalti *Acad.* N. C. Vol. V. recenſet.

Cæterum cobaltorum plurimæ eæque diſtinctiſſimæ ſpecies recenſentur mineralogis, ea vero, quæ ad ſmaltum conficiendum adhibetur, uſitatiſſima, eſt minera cobalti cinerea, granulis minoribus, ut & majoribus, fragilis, WALLERII, quæ etiamſi cum minera arſenicali confundatur, ab eâ tamen aliis notis facile diſtinguitur. Hæc jam ſi uſtulatur, arſenico, quo imprægnata eſt, avolante, exhibet terram cæruleum colorem largientem, verum cobaltum, quod zapheram, & ſmaltum conſtituat.

ZAPHERA a ſapphirino colore dicta, nihil aliud eſt, quam uſtulatum & lævigatum cobaltum, idque purum, aut etiam dupla ſilicum pulveratorum quantitate commixtum, ope aquæ in lapidem friabilem concretum: hoc utuntur porcellaneis, & aliis vaſis pingendis Pictores.

SMALTA ſeu encauſtum, verum cobalti productum, vitrum eſt, cobalto calcinato, cum dupla, vel tripla ſilicum præparatorum, ſimili etiam cinerum clavellatorum quantitate, fuſum, larga frittæ copia denuo remixtum, fuſum, tum lævigatum in tenuiſſimum pollen, doliis incluſum, pictoribus, lotricibus, figulis inſerviens. Habetur adhuc ex cobalto Regulus.

Cæterum non omne cobaltum æque pulchrum encauſtum cæruleum largitur: in calcinatione arcanum eſt. Cobalti vero mineræ ita facile in hanc rem tentantur: funditur in crucibulo cobalti examinandi pars una, adduntur boracis duæ, aut tres, quæ prout vel magis, vel minus eleganter colorantur, criteria de minera adhibita ſuppeditant.

USUS MEDICUS vix ullus. Smalta in ceratum defenſivum cæruleum recipitur, non ſatis intellecto, nec adeo rationali ſcopo; eſt enim comminutum vitrum.

ARSENICUM. *Mineralogiae* Arſenicum Nativum ſimplex. Claſſis Natur. Salium. *Germ.* Arſenic. *Gallis* Arſenic. *Anglis* Arſenic.

ARSENICUM ſubſtantia eſt *ſalina, fragilis; igne non inflammabilis, ſed fuſilis, cum rapacitate volatilis, fumo*

fumo albo, odore terribili alliato manifesta. Notas ejus characteristicas rapax volatilitas, & odor alliaceus constituunt, non albus fumus, siquidem & zincum, & antimonium, & mercurius, eodem modo fumant.

Quod reliquas hujus veneni proprietates spectat, scire juvat, in omnibus liquidis solvi, aquosis, acetosis, spirituosis, oleosis, lixiviosis, diversa tamen liquidorum proportione, digestione, calore; in quindecupla aquæ quantitate tota die ebulliente solvitur, & evaporatione in crystallos flavas, pellucidas, irregularis figuræ, concrescit, in aere in colorem farinosum album commutandas.

Omnibus etiam metallis sociatur, varias his mutationes inducens, auro colorem cinereum, argento ex cinereo obscuriorem conciliat, cuprum dealbat, sed simul malleabilitatem illi tollit, stanno fusibilitatem demit, plumbum in vitrum, ferrum in nigram massam commutat, BRANDT *Act. Ups.* In depuratione metallorum nobilium arsenicum formidatur; quæsitum diu remedium contra hostem est, & in ferro inventum in Galliis a D. GROSS.

Arsenici nativi plurimæ species sunt, quæ omnes nota characteristica cognoscuntur: præcipuas dicam.

RISIGALLUM & SANDARACHA *vel* REALGAR *Offic.* Arsenicum nativum purum, sulphure mixtum, rubrum vel flavum, *Mineralogiae* WAL. *Germ.* Rauschgelb. *Gallis* Orpin Rouge. *Anglis* Native Gellow, or Red Arsenic.

Est arsenicum nativum, licet & factitium tale sit: rubrum *Sandaracham*, flavum *Risigallum* proprie vocan-

candum esse, aliqui contendunt, quod parum interest, modo notetur, arsenicum nativum rubrum, sandaracha dictum, eo venenatum magis esse, quo rubicundius sit, venenatissimum semper flavum seu risigallum: pellucidum in Transylvania adinvenitur.

Mirum, sandaracham jam veteribus notam, tam externo, quam interno usu præscriptam. DIOSCORIDES posteaquam ad externa multa laudasset, dicit: datur ex mulso purulenta tussientibus, suffitur quoque adversus veterem tussim, rapto per fistulam nidore, vocem expedit cum melle delincta, suspirosis cum resina in catapotio optime datur. HIPPOCRATES in uteri suffocatione cum tussi, sandarachæ obuli pondus, id est, grana duodecim, sulphuris ignem non experti tantundem, & amygdalas tres vel quatuor repurgatas, commixta, & vino odorato exhibenda præcipit. *Realgar* utilem etiam proponit HELMONTIUS præparationem, prudenter tamen abstinetur ab omnibus.

AURIPIGMENTUM *Offic.* Arsenicum Sulphure, & lapide spatoso, & micaceo mineralisatum, minera flavescente, *Mineralogiae* W. *Germ.* Operment. *Gallis* Orpin. *Anglis* Orpiment.

AURIPIGMENTUM a colore aureo, quem ab eo mutuantur pictores, ita dictum, est proprie arsenicum veterum, quo calcinato parabant adeo illis notam sandaracham. Quod proprietates ejus spectat: ægre accenditur, accensum flammam dat ex alba cæruleam, quæ abit in fumum crassum, album, allium fœtentem. Hic cultrum superpositum, pulchro spectaculo, albo-

alboluteo, fubrubro, colore abducit. Poſt calcinationem quæ ſupereſt materies, arenoſa viridis conſpicitur.

Nativum inſipidum, interne etiam magna doſi animalibus datum innoxium, CELSO ad repurganda ulcera adhiberi; fauces eo repurgari, vocem ſonoram reddi, tuſſim compeſci, PLINIO relatum, dum ab ejus uſu DIOSCORIDES abſtinuit, & huic vim erodentem, urentem, reprimentem, depilatoriam adſcripſit; ſed licet ſandaracham, non auripigmentum, DIOSCORIDEM adhibuiſſe clarum ſit, ancipitem medicinam alii damnant. Fœminam pauca grana ad debellandam febrim aſſumentem, per triginta annos convulſionibus tentatam, *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN.

Ex auripigmento fit atramentum ſympatheticum, ſeu liquor vini probatorius, admixta ſaturnina, quibus in mortalium perniciem dulcificari ſolet, prodens; is vero auripigmenti unciis duabus, calcis vivæ uncia una ſemis, pulveriſatis, & vix dimidio quadrante horæ in aliquot unciis aquæ coctis, conſtituitur WALLERIO, uncia una auripigmenti, unciis duabus calcis, PEERE *Aſſemblée publique de la Societé Royale des Sciences de Montpellier 1749.* Cæterum etiam vinum plumbo adulteratum ſpiritu ſalis detegi poteſt. Eſt etiam idem atramentum ſympatheticum aceto lithargyrii detegendum.

Cum auripigmento & calce viva medicamentum pilos corporis auferens concinnatur, varia doſi plus, minusve tutum: tutiſſimum fit, ſi unciæ duodecim calcis vivæ, uncia una auripigmenti, unciæ octo amyli ſumantur, adjecta aqua paſta fiat applicanda, donec ſic-

ſiccefcat relinquenda, tum vero illico aqua calida abluatur.

ARSENICUM *Offic.* Claſſis Præparatorum Semimetallicorum Cobalti.

ARSENICUM in officinis triplex, nullum niſi arte factum, & plerumque ex cobalto ſublimatione elicitum, licet tamen & ex farina arſenicali, & aliis arſenici mineris parari poſſit, habetur. Modum, ut in Hungaria paratur, in *Transact. Philoſoph.* No. 293. D. KRIEG dedit.

Album eſt cobalti fuligo, fortiſſimo igne in maſſam ponderoſam duram, vitream liquata, coloris externe calcis, interne vero vitri, ſaporis acris, & exedendis. Maximam vim in nitrum habet, ut quidem ex eo tanta facilitate acidum ejiciat, quanta id vitriolicum expellit, MACQUER *Acad. des Sciences 1746.* Acidum ita expulſum aquam ſortem conſtituit cærulei coloris, IDEM; caput mortuum vero elutriatum, evaporatum, ſalem, acido arſenici baſi nitri juncto, neutrum, cryſtallis prismaticis quadrangulis, rectangulis regularibus conſiſtentem, ab arſenico fixato diverſum, IDEM, etiam ab ipſo hepate arſenicali, facto nitri fixi & arſenici ſaturato lixivio, diſcrepantem, IDEM.

Quanquam vero adeo vehementer ab arſenico impetatur nitrum, in ſalem marinum arſenicum nihil poteſt, *Cl.* POTT, quod huic acidum ſalis adverſum, MACQUER *Acad. des Sciences 1748.* Equidem ablato acido viduæ baſi arſenicum nubit, & cum ea ſalem medium conſtituit priori ſimilem, IDEM *ibidem;* ſed neque cum ſale ammoniaco congreditur arſenicum, dum ſalem ammoniacum nitroſum cito petit, IDEM.

Citrinum una parte ſulphuris ad decem cobalti addita, mitificatum, mitius, haud ſecurius, & ad eandem cobalti duabus etiam ſulphuris additis partibus *rubrum*, non ideo tutius. Omne merito damnatur, album tamen ad veneficia frequentiſſimum, & crudeliſſimum, omni animanti venenum, quidquid hucusque laboraverint chemici, & fecerint audaces in corium humanum agyrtæ. Loquuntur clades aquæ *della Toffnina*, cujus antidotum inventum ſuccus citri, limoniorum. TACHENIUS ad extrema, inſpirata arſenicali aura, redactus, vix lacte, oleo, vulnerariis decoctis & eſu cymarum braſſicæ, & ſucco aurantiorum ſervatus eſt; & nuper omni bihorio decem grana bezoardici mineralis exhibendo, cum aqua hordei lacte diluta, & oleo olivarum, miſerum ſervavit de HENNE, *Journal de Medecine, Chirurgie* &c. T. IX. X. &c. Milites ſcabioſi decocto arſenici ſeſe abluentes, genitalium ſphacelo cum intolerabilibus doloribus, febre, vigiliis, ſiti obortis peſſime luêre, DEGNERUS. Arſenicalis pulvis cancro mammæ adhibitus, mulierem intra quinque dies crudeliſſime rapuit, FERNELIUS. De amuletis non minus funeſtæ hiſtoriæ ſunt; ut interno, & externo uſu lethale venenum merito, donec & ex hoc medicina inventa ſit, habeatur.

Remedio ſunt: lac, butyrum, ſuccus citri, limoniorum, decoctum radicis ſambuci cum lacte factum, addito butyro euphoriſton habent *Acta Hafnienſia.* An alcalina certius domant? Poſſe ſalutarem reddi internum arſenici ſale alcalino domiti uſum, *Acad. Mogunt.* T. I. promittit. Si arſenici pars una, aquæ partes centum ſexaginta octo, ſalis tartari partes duodecim, miſceantur, continua ebullitione, ad dimidiæ aquæ conſumptionem coquantur, refrigeratis, evaporata

rata pars aquæ addatur cum momento ſpiritus vini; tum exhiberi medicamentum poſſe ad guttas triginta adultis, in febribus, nec noxam obſervari, EADEM aſſerit. Contraria ſunt STOERCKII noſtri experimenta.

LAPIS ARMENUS, & LAPIS LAZULI *Offic. Mineralogiae.* Claſſis Naturalis Lapidum, Ordo Vitreſcibilium. *Germ.* Armeniſcher Stein und Laſurſtein. *Anglis* Lapis Armenus & Lazuli. *Gallis* Pierre Armenienne & Pierre d'Azur.

Non niſi maturitate hi differunt lapides, cæterum ſimiles. Armenus friabilis magis, durior lapis lazuli florum cyani cærulei coloris, aureis argenteisque punctis, & venis exornatus eſt. Ex Armeno cæruleum montanum, ex altero ultramarinum præparatur, in uſus mechanicos. In pulcherrimis de hoc lapide experimentis ne veſtigium cupri, ſed pyritis martialis, invenit *Cl.* MARGGRAF *Script. Chemic. Berol.* 1761.

VIS MEDICA, ALEXANDRO TRALLIANO ad imaginationes melancholicas, veratro albo utilior, & ſecurior, AETIO etiam ſacro morbo obnoxiis, & furioſis laudata, noſtri ævi experimentis non confirmata eſt: an ob cuprum merito ſuſpecta?



EX VEGETABILIBUS.

ACONITUM *Offic. Botanicor.* Claſſis Multiſtam. *Germ.* Gifftkraut. *Gallis* Aconit. *Italis* Aconito.

Omnes hujus generis ſpecies ſuſpectæ ſunt, nec ipſum aconitum *ſalutiferum* B. periculo vacat; non obſervavit tamen in fele experiment. III. IV. SPROEGEL, *circa varia venena in variis animalibus*, dum anthoram ſemel ad drachmas duas, ſemel ad quatuor daret. Anthoram aconiti antidotum hi volunt, alii negant. Inter cæteras ſpecies & aconitum *Lycoctonum*, quod *foliis peltatis palmatis*, & aconitum *Napellus*, quod *foliorum laciniis linearibus*, *ſuperne latioribus*, *linea exaratis*, cognoſcitur, præcipue criminantur. Venenas jam DIOSCORIDI napellus accenſitus, WEPFERO, MEAD, in brutis, MATHIOLO in hominibus infamis viſus eſt; non deſunt tamen etiam mitioris effectus exempla, quale in experimento I. SPROEGEL, qualia etiam obſervavit LINNÆUS, ut inde merito quærat *Clariſſ.* Vir, an aconiti vis in ſeptentrione frigore dometur? an forte ſola deleteria vis in radice, non foliis, præcipue junioribus, urticæ exemplo? Sed *Cl.* SPROEGEL experimentum primum in radice non ſemper eſſe evincit. Tentamina de his, diverſis in regionibus, in diverſa ætate plantarum reiteranda, dum interea merito omnes hæ ſpecies ſuſpectæ habentur.

Nuper

Nuper de hoc ut etiam de Stramoneo & Hyoſciamo nova experimenta protulit A. STOERCK, qui de his videndus.

ANACARDIUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Elephantenlaus. *Gallis* Anacarde. *Anglis* Malacca Bean.

Fructus compreſſus, aviculæ cordis figura, ex occidente allatus, recens liquorem unctuoſum nigricantem cauſticum, præfoçantem, exſiccatus nullum continet. Alter priori ſimilis ex oriente allatus, putamen acerrimum, nucleo dulci nutriente, farctum habet. Uterque ſuſpectus eſt. Ad dementiam ducere, RHASES reliquit, quod & alii confirmarunt, ut confectio anacardina merito culpari poſſit, & confectio ſtultorum nonnullis dicta ſit.

ANEMONE *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Multi-ſtam. *Germ.* Anemon-Röslein. *Gallis* Anemone. *Anglis* Winde-flower.

Inter omnes, Anemone *Pulſatilla* botanicis dicta, quæ *foliis, decompoſitis, pinnatis, flore nutante, limbo recto*, cognoſcitur, acerrima, quod applicata corpori veſicas excitet, etiam aqua ſtillatitia vomitum moveat, TOURNEFORT. Mitiſſima eſt Anemone *Hepatica*, quæ *foliis trilobis integerrimis* inſtructa vi adſtringente utilis habetur LINNÆO.

APIUM RISUS *Offic.* RANUNCULUS SCELERATUS *Botanicorum.* Claſſis Naturalis Multi-ſtam. *Italis* Apio Riſo.

Tota etiam Ranuncolorum familia admodum ſuſpecta plurimorum experimentis habetur; & quidem Apium Ri-

Risus *Officinarum*, seu ranunculum *foliis inferioribus palmatis*, *summis digitatis*, *fructibus oblongis*, jam DIOSCORIDES multum damnavit, nec deest in *Ephem.* N. C. Decad. III. Anno II. exemplum criminationem DIOSCORIDIS abunde confirmans. Tum ranunculus *Flammula*, qui *foliis ovato-lanceolatis*, *petiolatis*, *caule declinato*, cognoscitur, acerrimus, vesicans, mendicis, ut hominum misericordiam in quæstum vertant, adhibitus. Ranunculus *Acris*, qui *caule erecto multifloro*, *folio pentagono*, *lobis sessilibus* cognoscitur, etiam in vesicatorium vocatus fuit; hoc sanatus arthriticus, quem frustra curassent FABRICIUS & CAPIVACCIUS, teste HALLERO. Est etiam ranunculus *Alpestris caule aphyllo*, *subunifloro*, *foliis subrotundis*, *semitrifidis*, acerrimus; arthritidem vesicatorio ex hoc ranunculo facto, curatam habet CONSTANT. *Med. Helv.* & ranunculo nemoroso vesicante brachium respondens dolenti denti, odontalgiam sæpius curatam WOLFF. *Ephem.* N. C. Decad. II. Anno I. Ranunculus *Thora foliis radicalibus cordato subrotundis*, *caulinis sessilibus*, *lanceolatis*, *integerrimis*, omnium venenatissimus.

Assumpto Apio Risus curationem præscribit DIOSCORIDES, vomitum, aquam mulsam, & lac liberalius epota, tum irrigationem, & perunctionem cum pinguibus.

APOCYNUM *Offic. Botanicorum* CYNANCHUM. Classis Pauci-stam. *Germ.* Hundstodt. *Italis* Apocino. *Anglis* Dogsbane.

Quæ canes, lupos, vulpes enecat in cibo data planta, Botanicorum Cynanchum *erectum*, *caule erecto*, *diva-*

divaricato, *foliis cordatis*, *glabris* habetur. An id etiam de aliis vel cynanchi, vel apocyni ſpeciebus verum? experimenta deſunt. Apocynum medicamentum ſurſum deorſum movens Ipecacuanhæ ſimile HARRIS habet.

ARNICA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Compoſitarum Radiatarum. *Germ.* Mutterwurtz, Fall-Kraut.

ARNICA *foliis ovatis*, *integris*, *conjugatis*, vomitus, cardialgiam cum periculo movet, BRESLAVIENSES, etiam valentioribus, GMELIN *Fl. Sib.* Saturatius infuſum dolores acerbiſſimos facit, oleoſis vix domandos, ut in ſe ipſo expertus COHAUSEN, pugillo tamen uno, etiam duobus infuſa planta, pota potenter extravaſata reſolvit OMNIUM experimentis, ut ante aliquot tempus multum inclaruerit, & adhuc in febribus cum hæmoptoe, etiam exanthematibus enixe recommendet BRUCKNER *Select. Med. Francof.* T. I. & in paralyſi multiplici experimento in Noſocomio ſuo *Noſter* COLLIN.

ARUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Palmarum. *Germ.* Aron. *Anglis* Wake Robbin. *Gallis* Pied de veau.

ARUM *foliis ſagittatis*, *cucullo recto* HALL. officinale, recens igneum exurens, majori doſi noxium, etiam lethale. Ab infuſo foliorum vomitum cruentum STÆHELINUS: a majori recentis radicis doſi cardialgia rapi juvenem, *Cl.* STOERK. Exſiccatum mitius vix periculoſum, quandoque effœtum. Recens coctione in aqua multum, in aceto in integrum miteſcit, ut etiam edule ſit, quod jam veteribus exploratum. Radicem ari

ari esculentam esse, imo folia aceto decocta mandi posse, THEOPHRASTUS, DIOSCORIDES reliquere. An inde nutriti milites Valeriani apud JULIUM CÆSAREM?

VIS MEDICA ad morbos a glutinoso spontaneo princeps, ventriculo, pulmoni, mucosis dicata, resolvens, incidens, antifebrilis, etiam partibus paralyticis igneo stimulo tam interno quam externo usu utilis. Languidum paralyticum ventriculum restituit sæpe, asthmata desperata sustulit, externe ulcera sordida mundavit, in epithemate etiam arthritidi profuit. Medicamenti recentis in forma pulveris cum aliis præscripti dosis, granorum quinque decem, exsiccati scrupuli drachmæ semis. Convenientissima recentis est forma pilularis, extracto indicato & pulvere ari concinnata. Unciæ semis pondere vinis medicatis additur. Fœcula inutilis est officinis curæ. Pulvis Ari compositus in officinis egregius est.

Aro veneno acetum medicina est.

AZEDERACH *Offic.* MELIA *Botanicorum.* Classis Pauci-stam.

MELIA *foliis decompositis* MATTHIOLO multum criminatur, quod venenatissima stirps sit, cujus foliis interficiantur animalia, fructuum esu moriantur canes, quos nec aves attingant. Flores aperientes, obstructionibus utiles in infuso, aut decocto potos, lego in *Encyclopedie*, an satis tuto experimento? fructum pediculos interficere etiam relatum, ibidem.

CATA-

CATAPUTIA Minor *Offic. Botanicorum* EUPHORBIA. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Springkörner. *Gallis* Eſpurge. *Anglis* Garden Spurge.

Quæ hæc ſemina cataputiæ minoris officinis dicta largitur planta, Euphorbia eſt *inermis, foliis oppoſitis lanceolatis, umbella univerſali quadrifida, tetràphylla, reliquis dìchotomis.* Succo lacteo acerrimo planta violentiſſime ſurſum deorſumque movet, non ſine periculo corroſionis, & gangrænæ. Eandem vim ſemina habent, a mulo-medicis ſæpe exhibita hydropicis.

VIS draſtica, cauſtica. An hæc ita laudatur a *Cl.* NORFOLD? *Recueil periodique d'obſervations &c.* in cancro mammarum irritis aliis efficax in unguento, quod ita paratur: Succus cataputiæ expreſſus in vaſe plumbeo ſoli exponitur, usque dum conſiſtentiam unguenti àcquiſiverit, ita condenſatus cum mercurii dulcis præcipitati & plumbi nigri ana ſcrupulo uno miſcetur, & ad uſum reconditur. Mercurius dulcis vero obtinetur, ſi uncia ſemis mercurii dulcis cum libra una aquæ calcis vivæ miſcetur, & per duos dies in quiete ſervatur, quo facto mercurius in pulverem nigrum præcipitatur, qui ope filtri ab aqua ſeparatus, ſiccatur. Sed quæ eſt, quæ adhibetur cataputia? Succi condenſati miſcendi, quæ eſt doſis?

CATAPUTIA Major *Offic. Botanicorum* RICINUS Vulgaris. Claſſis Incomplet. *Germ.* Purgir-Körner. *Gallis* Ricin. *Anglis* Mexico Seeds.

RICINUS vulgaris, qui, *foliis peltatis, palmatis, ſerratis, petiolis glanduliferis,* cognoſcitur, officinis

hæc ſemina largitur, quæ cataputiæ majoris ſemina dicuntur, quod vel ideo magis tenendum, quod etiam ricini majoris ſemina multis in officinis proſtent, cum prioribus non confundenda, quia ex alia planta, Jatropha nempe, foliis cordatis angulatis, deſumuntur; utraque tamen admodum ob exurentem acrimoniam, vim inflammantem, ſuſpecta eſſe debent.

VIS anthelminthica LINNÆO ſpecifica. Doſis ſcrupulus ſemis unus.

CHAMÆLEON Niger *Offic. Botanicorum* ECHYNOPS. Claſſis Natur. Compoſitar. *Germ.* Schwartze Eberwurtz. *Hallis* Cameleon Noir. *Anglis* Black Chameleon.

ECHYNOPS *floribus faſciculatis*, *calycibus multifloris*, ſuccum inflammantis acrimoniæ habet, BELLONIUS, ut male carlinæ viribus accedere perhibeatur, DALE. Non eſt in uſu.

CHRISTOPHORIANA *Offic.* ACTÆA *Botanicorum.* Claſſis Multi-ſtam. *German.* Chriſtoph-Kraut. *Gallis* Herbe de St. Chriſtophle.

ACTÆA baccas nigras multum venenatas fert, etiam antiquitati ſuſpectas, quæ tamen in extractum redactæ ab ignaro pharmacopœo, & ſub extracti Hellebori HIPPOCRATIS nomine, repoſita, duodecim granorum pondere, puellæ præſcribuntur abſque malo effectu, SAUVAGES *Acad. des Sciences 1739.* Externe ad ſcabiem nonnullis habentur utiles.

CLE-

CLEMATIS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Multi-ſtam. *Germ.* Waltreben. *Gallis* Herbe au geux. *Anglis* Climers.

Inter Clematidum plures ſuſpectas ſpecies, maxime *vitalba foliis pinnatis, foliolis cordatis, inaequaliter inciſo-ſerratis* definita, acerrima, & ad inurenda ulcera recepta, HALL. etiam podagricis pro veſicatorio applicata CHESNEAU.

COCCUM GNIDII *Offic. Botanicor.* THYMELÆA. Claſſis Nat. Incompletar. *Germ.* Klein Kellerhals Saamen. *Gallis* Garou. *Anglis* Spurge Olive.

THYMELÆA *floribus ſpicatis ſub foliis ellipticis, modice acuminatis, laevibus, mollibusve* HALLER, ſemen hoc officinis largitur, admodum urens, inflammatorium, exulcerans, præfocans, experimento *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN. Sunt etiam in hac gente ſociæ ſuſpectæ; in thymelæa enim floribus inter folia acuminata lævia duraque poſitis, fervor, & venenum idem eſt, HALLER. Hujus cortex ſub nomine mezerai officinis plerumque exhibetur. Peſſimum noſtræ plantæ effectum TRAGUS vidit, cum magno & diuturno ſanitatis detrimento in Dania exhiberi, BUCHWALD, cruentam alvum facere, DODONÆUS reliquere.

USUS in hydrope illæſis viſceribus cautus, ad ſcrupulum ſemis, unum, GEOFFROY: folia in aqua frigida macerata drachmæ dimidiæ, vel unius pondere, infuſum dant æque purgans hydropicum.

COL-

COLCHICUM *Offic. Botanicorum.* Classis Naturalis Liliorum. *Germ.* Zeitlosen. *Gallis* Mort au chien, colchique. *Anglis* Wildsaffron.

Venenata stirps præfocat experimento *Illustriss.* L. B. van SWIETEN. A radice ad necem purgatus rusticus, LUDOVICI. Puella ventris torminibus ab assumpto veneno tertia die rapta, GARIDEL. Ex seminibus mors post horrendos vomitus in duabus puellis, PEYER; etiam gallinis lethale semen, *Acad.* N. C. *Vol. X.* Turcæ Colchici floribus in vino infusis ad stupiditatem inebriantur. An est in amuleto WEDELII ex colchico, & aliis confecto, laudata virtus? Cæterum legi potest de hac radice A. STOERCK libellus.

CORIARIA *Off. Botanicor.* Classis Natur. Incompletarum. *Germ.* Klein Mehlbaum. *Gallis* Blanche Putain. *Anglis* Waxfaring Tree.

CORIARIA, seu *Rhus myrtillifolia Monspeliaca* C. B. vim particularem epilepsiam omnibus animalibus inducendi habet, SAUVAGES *Acad. des Sciences 1730.* ex hoc LINNÆUS citat, negat vero repetito experimento *Cl.* MANETTI *Virid. Florentino.*

CORONA IMPERIALIS *Offic.* PETILIUM *Botanicorum.* Classis Naturalis Liliorum. *Germ.* Kaiser-Cron. *Gallis* Couronne Imperiale.

PETILIUM *foliis caulinis*, venenata vi cicutæ par, succo acri, mordace, exulcerante, gangrænosum. WEPFERI observatione, & CAMERARII experimento infame habetur.

CY-

CYCLAMEN *Offic. Botanicorum.* Claſſis Pauciſtam. *Germ.* Schwein-Brod. *Gallis* Pain de porceau. *Anglis* Sowbrede.

CYCLAMEN *foliis cordatis, corolla reflexa,* ob qualitatem acrem fervidam, quæ aſſatione ita perit, ut radix eſculenta fiat, damnatur; audacioribus in ſucco purgandi ſcopo drachmarum duarum, triumve doſi, non ſatis tuto exhibetur; in uſum externum cataplaſmatis, ut etiam emplaſtri, admittitur; vermes deſtruere, & ſcrophulis prodeſſe inunctum perhibetur.

CUCUMIS ASININUS *Offic.* MOMORDICA *Botanicor.* Claſſis Natur. Incomplet. *Germ.* Eſels Kürbs. *Gallis* Concombre ſauvage. *Anglis* Wild Cucumber.

MOMORDICA absque cirrhis, officinis ſuam radicem, & extractum, quod Elaterium vocant, largitur. Vis in utroque liquida fundens, carnes liquans, draſtica, periculoſa, jam veteribus cognita; ut omnia purgantia, ſi eſſent valida, vocarent elateria, EROTIANUS. Cæterum elaterii parandi rationem DIOSCORIDES dedit optimam, idque poſt bimatum tantum exhibendum contendit. Scrupulum, recens ſine noxa ab *Illuſtriſſ.* L. B. van SWIETEN exhibitum, omnino abſtulit.

USUS in morbis deſperatis prudens, hydropicis illæſis viſceribus egregius. Elaterii doſis periculoſa eſt; a minori incipiendum, grano nempe uno, duobus ad quatuor. Scrupuli unius pondus LINNÆUS habet, forte errore typographi? Radicis cucumeris aſinini doſis major, gran. decem, quindecim. Drachmam dimidiam pulveris dum vini Malvatici, vel Hiſpanici

nici unciis duodecim infunderet, & in tres potiónes, tribus diebus mane ſumendas, divideret CAPIVACCIUS, multos curavit hydropicos.

Cæterum tamen ignorari minime debet, draſtica hæc purgantia rarius Hydropicos percurare, ſæpius vires dejicere, tumorem ipſum non emungere, & hac methodo profligatum ſæpiſſime redire, ut Artis Medicæ Principes diuretica purgantibus ſemper commiſceant.

DRACONTIUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Palmarum.

DRACONTIUM *ſcapo breviſſimo, petiolo radicato, lacero, foliolis tripartitis, laciniis pinnatifidis,* LINNÆUS. Hujus ſpatha, dum aperitur, fœtorem putridiſſimi cadaveris ſpargit, olfacientes attonitos, & catalepticos reddit, IDEM *in Hort. Cliff.*

ESULA *Offic. Botanicor.* TITHYMALUS. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Teuffelsmilch. *Gallis* Tithymale. *Anglis* Wilde ſpurge.

Variis in officinis variæ Tithymalorum ſpecies in uſu ſunt: Holmiæ adhibetur Tithymalus *altiſſimus laevis, foliis ſub floribus ternis, cordatis, fructu verrucoſo,* HALLERI. Flensburgi, teſte BUCHWALD, tithymalus *foliis ad caulem ovatis, ſub floribus pinis, cordatis, obtuſiſſimis, umbellae radicis paucis, vagiſque.* HALLERI: Alibi tithymalus *foliis ad caulem linearibus, obtuſis, radicis umbellae plurimis, petalis lunatis,* HALL. & tithymalus *foliis ad caulem cruciatis, lingulatis, ſub floribus cordatis, longe acuminatis, ſcutis bicornibus obtuſis;* & hic venenatiſſimus eſt.

Tota

Tota fere gens cauſtico ſcatens lacte, purgante vi infamis, acidis cicuratur, & in hydrope permittitur, BOERHAAVE. Officinæ radicem eſulæ habent, non nullæ præparant, & ſiccant, aliæ vix tantam curam adhibent. Doſis pulveris pro hydropico granorum decem, viginti quinque; corticis radicis decem, quindecim; in infuſo drachmæ unius, unius cum ſemiſſe, addito ſyrupo de ſpina cervina.

EUPHORBIUM *Offic. Botanicor.* TITHYMALUS. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Euphorbium. *Gallis* Euphorbe. *Anglis* Euphorbium.

TITHYMALUS *aculeatus, nudus, multangularis, aculeis geminatis*, inciſus lac fundit cauſticum inflammans, infelici in horto Lugduno-Batavo exemplo. Hæc lacryma exſiccata, non minus cauſtica, granuloſa, cavernoſa, in aqua, & ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolubilis, gummi-reſinoſa eſt. Ardentiſſimum hydragogum interno non ſatis tutum uſu, etiam inter errhina infame.

USUS chirurgis ad cariem oſſium in pulvere utilis; emplaſtro exceptum euphorbium veſicans eſt. Oleum in tumoribus duris nobile, laudatum.

HELLEBORUS Niger *Offic. Botanicor.* Claſſis Natur. Multi-ſtam. *Germ.* Schwartze Nieſſwurtz. *Gallis* Veratre Noir. *Anglis* Black Hellebore.

Veterum multa hellebororum laudatio, magna contemperata infamia eſt, etiam noſtris temporibus ex medicamenti incertitudine accumulata. Teſtimonia utrinque multum dubia ſunt, etiam contraria PAUSANIÆ,

& GA-

& GALENI. Utique compulfis omnium autorum locis, quid veterum helleborus, ignoratur, ut huic vel illi ex veteribus adfcripta laus non fatis certa videatur; accedit, quod etiam eadem hellebori fpecies in diverfis regionibus virtute variet: in Gallia adhibita, anglica valentior, BOULDUC *Acad. des Sciences.* Helleborus anglicus vix multum purgat, QUINCY.

Officinis noftris hellebori nigri *fcapo nudo*, *bifloro*, *foliis pedatis*, definiti radix, & fibræ receptæ funt, an purgantes? dubitat LINNÆUS, licet validiffimum & vetuftiffimum purgans alii habeant; fed etiam defperato paralytico, in quo & nervi ob longius jam tempus collapfi exftimulandi, & profunde impacta materies folvenda, extracti valida dofis ab *Illuftr.* L. B. van SWIETEN exhibita, alvum vix follicitavit; plurimum primo angi æger, fingultire dein, vomere, & alvum femel deponere; levatus æger, non reftitutus.

VIS alterans, folvens, princeps, emmenagoga chalybe potior, MEAD, QUINCY & *Illuftr.* van SWIETEN obfervationibus, qui aquæ ftillatitiæ Rutæ infundit; ad hæc in obftructionibus, mania, melancholia, plurimorum experimento utilis. Dofis expifcanda eft, nec forte in omnibus locis eadem: Anglici hellebori grana quindecim, viginti, fcopo alterante fudorifero dedit QUINCY, grana quindecim fcopo emmenagogo, fibrarum concifarum hellebori gallici drachmam femis, in lactis uncia una femis ebulliendam IDEM; in infufo drachmam unam, duas, etiam majorem quantitatem, alii etiam unciam femis in decocto dant, quod egregium ad maniam medicamentum habent: In morbis apoplecticis, foporofis, aliisque gravibus, a caufa frigida dependentibus, vel hellebori decocto, vel extracto cum fale gemmæ, aut colocynthide, feliciter

multi

multi utuntur, L. B. van SWIETEN. Externe ruſtici majora armenta, transfixa cauda, & inditis hujus radicis fibris, a multis morbis liberant: ſed etiam ſic purgat, WALÆUS.

Examen chemicum BOULDUC docuit, reſinoſam partem exiguam valentiſſimam, gummoſam abundantiorem purgantem quidem, tamen mitiorem: Extractum ſpiritu vini ſolo factum ſuſpectum eſſe debere, aquoſum malignum non eſſe ad ſcrupulum, & ultra exhibendum, quod & alii confirmant. Aqua ſtillatitia erat acris, BOULDUC, ſpirituoſa ad unum cochlear alvum duxit, HALLER, ad octo juvenem efficaciſſime purgavit, BORRICHIUS. Virtus hellebori nigri omnium feliciſſime obtinetur, ſi groſſus ejus pulvis cum ſale tartari teratur, trita in aere reliquantur, ut deliqueſcant, QUINCY. Tenue vinum in menſtruum additum helleboro, pulchrum ſolvens eſt, IDEM.

Varia variis in officinis hellebori nigri præparata habentur: Noſtræ ſolum *extractum* aquoſum poſſident, per ſe adhibendum doſi granorum duodecim, viginti, ſtimuli loco aliis addendum, doſi gran. quinque, decem.

HELLEBORUS Albus *Offic. Botanicor.* VERATRUM. Claſſis Natur. Liliorum. *Germ:* Weiſſe Nieſswurtz. *Gallis* Hellebore blanc. *Anglis* White hellebor.

VERATRUM *caule ramoſo*, eſt helleborus albus officinarum, diſtinctiſſimus a priori, ut, cur confundi, & eodem nomine inſigniri potuerit, mirandum ſit. Malignus eſt, & ex communi conſenſu noxius. Dum contunderetur helleborus albus, adſtantes purgati ſunt, BOY-

LE: Regius princeps a ſcrupulo hellebori albi aſſumpto intra trihorium convulſus periit, HELMONT: a ſcrupulo convulſiones motæ, *Ephem. Acad.* N. C. canis eadem doſi ad ultima deductus, WEPFERUS: ab hoc multi ſtrangulati, FALLOPIUS: etiam in diſcrimen ab admodum exigua doſi deductus in audaci experimento ipſe GESNERUS: Multos tamen in pratis plantam ſine noxa comedere, HALLERUS vidit.

Chemia Helleborum absque aqua deſtillans, ſpiritum acerrimum, ſublimati corroſivi ſolutionem coagulantem, producit, BOULDUC *Acad. des Sciences.* Tinctura ſpiritu vini facta, veneno noxia magis, HERISSANT *Acad. des Sciences.*

USUS in epilepſia, mania, rarus, quod non ſatis tutus: ſed aceto cicuratur, & revocandum ad officinas eſt oxymel Helleboratum GESNERI.

HERMODACTYLUS *Offic. Botan.* IRIS. Claſſis Naturalis Palmarum. *Germ.* Hermodactylen. *Anglis* Hermodactyles.

IRIS *corollis imberbibus, foliis, tetragonis* L. an noxia dicta, quod primis botanicis colchici ſpecies haberetur? omnino videtur, nam veneni nullum exſtat exemplum. Recens bulbus, & vomitum, & alvum movet, adultior magis alterans eſt.

VIS ad reſeranda obſtructa in vaſis minimis celebris, in rheumatismo, amauroſi, conveniens laudatur. Etiam ineſt purgans: datur pulvis drachmæ ſemis, unius pondere. Dum infunditur, uncia ſemis præſcribitur. Arcanum ad morbos articulares hermodactylorum pulverem ab omni tempore multi habuere. Nuper

per adhuc cum aliis ut ſecurum remedium, quo dolores arthritici levarentur, & ſedarentur, præſcriptum legimus in *Comment. Societ. Scient. Harlemenſis* P. II. hoc modo: ℞. Polypodii, Hermodactyli, Rad. Bardanæ, Sarſaparill. ana uncias quatuor: Raſuræ ligni ſancti uncias duas. His conciſis menſuræ novem aquæ, tres vini albi, ſuper affundantur, ſtent in digeſtione integra nocte, dein tribus horis leniter ebulliant, refrigeratum liquidum per incerniculum crinitum, denſum, filtretur, reſiduis fæcibus de novo ſuper affundantur aquæ menſuræ ſex, vini duæ, ebulliant ad tertiæ partis remanentiam, decantetur liquor, priori affundatur, ſumatur pro potu ordinario.

HIPPOMANE L. Claſſis Naturalis Incompletarum.

HIPPOMANE *foliis ovatis*, *ſerratis*, venenata dat poma, quorum venenum folia Ricinoidis Americanæ folio multifido T. domant, SENACO teſte.

HYACINTHUS *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Liliorum. *Germ.* Mertzblume. *Gallis* Hyacinthe. *Anglis* Harebell.

Ex fabula magis, quam obſervatione, noxius dicitur multis; tamen inter haſce hujus ordinis radices venenatas, hyacinthi *Narciſſi Coronae Imperialis* LINNÆUS numerat, & tulipæ, & Lilii ab omni ſuſpicione abſolvit, quod Tulipæ radix in Italiæ quibusdam locis, edulis, lilii martagonis in Sibiria in quotidianum alimentum cedat.

NIGELLA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Multi-ſtam. *Germ.* Schwartz-Coriander. *Gallis* Barbue. *Anglis* Nigella.

NIGELLA *petalis ſubtricuſpidatis, foliis ſubpiloſis* cognoſcenda, nonnullis ſuſpecta habetur, licet luculenta deſiderentur teſtimonia. Semina aromatica acria ſunt, oleo, quod exprimi poſſet, plena, TOURNEFORT. Expreſſum oleum nardinum per errorem multi vocant.

USUS internus vix confirmatus: an devoratum ſesqui drachmæ pondere ſemen per aliquot dies, rabiem caninam tollit? ſternutatorium acre eſt, L. B. van SWIETEN.

OLEANDER *Offic. Botanicorum* NERIUM. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Oleander. *Anglis* Oleandre Roſe Tree. *Italis* Leandro.

NERIUM *foliis lanceolatis ternis*, repetitis etiam experimentis venenatum deprehenſum eſt. Narcoticum, carum inducens, LINNÆUS *Vires Plant.* Una tamen ſpecies antidyſenterica EIDEM audit. Oleander venenum alit, GODFREY *a Treaſure of diſcoveries.*

RANUNCULUS, vide p. 37.

SCAMMONEUM, vide Claſſem purgantium P. II. p. 225.

TAGETES *Botan.* Claſſis Nat. Compoſitarum Radiatarum. *Germ.* Sammetblum. *Gallis* Oeillet d'Inde. *Anglis* Africane Marigolt.

TAGETES *caule ſubdiviſo diffuſo*, aliis flos Africanus; ut etiam Tunetanus dicta, odorem gravem, ca-

put

put tentantem ſpargens, experimento DODONÆI multum inſamis habita: ſed etiam experimentum repetens LEMERY criminari plantam non potuit, quam ultimo anodynam eſſe LINNÆUS pronunciavit.

THAPSIA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Umbelliferarum. *Germ.* Tapſia. *Italis* Tapſia. *Anglis* Deadly Carrots.

THAPSIA *foetida, foliis multifidis, baſi anguſtatis*, cognoſcenda, radicem officinis concedit, periculoſum purgans. Salmanticenſes vetulas menſtruorum promovendorum cauſa cum periculo ſurſum & deorſum moveri, CLUSIUS. In terra Attica pecudes incolas eam non tangere, peregrinas vero depaſcentes vel alvo ſoluta liberari, vel interire, jam THEOPHRASTUS edixit.

USUS in medicina externus olim multus, frequenti NERONIS experimento clarus, dum nocturnis graſſationibus converberatam faciem cum Thapſia, thure, & cera illiniret, ut ſequenti die contra famam cutem ſinceram circumferret, PLINIUS. Sugillata delere, in profundo latentia evocare, veteres omnes perhibent.

TIGLIÆ, ſeu TILLI GRANA *Off. Botanicorum* CROTON. Claſſis Incompletar.

CROTON *foliis ovatis, glabris, acuminatis, ſerratis, caule arboreo*, fert grana, cum periculo ſurſum deorſumve moventia, admodum ſuſpecta, cauſtica, mulo-medicis hinc inde frequentia: ad tænias cum effectu tamen uſus COHAUSEN, doſi granor. duor. trium.

TOXICODENDRON TOUR. RHUS LINN. Classis Natur. Fructiflorarum.

RHUS *radicans triphyllum, glabrum,* inter alias species JOSEPHO MONTIO *in Bononiensis scientiarum & artium Instituti Tomo III.* quod ne altori quidem optimo parceret, infame merito declaratum fuit. Mirum venenum planta habet; rudius contrectata, affricata corporis parti, pustulas nigras cum inflammatione, puritu, excitat, brevi per totum corpus diffusas; lac magis venenatum est, lædit & ipse halitus: remedium malo nondum inventum; nata in pustulis & maculis suppuratio auxilio fuit: ad dolores leniendos decocto foliorum malvæ cum sambuci extremitatibus utiliter usus MONTIUS.

An decocta planta minus venenatá? panis hac decoctione saturatus, felibus, gallinis, exhibitus innocuus, IDEM. Est adhuc in hoc genere venenatum Rhus *Vernix* fructu rhomboide, ipsa etiam, quæ ex inciso cortice exstillans crystallina lactea lacryma aeris contactu consistit nigra, vernix; tum Rhus *Toxicodendron* proprie dictum LINNÆO, de quo tamen nuper etiam retulit ex plurimis experimentis egregius ROSSI, nec totius plantæ succum nec illum lacteum, nec plantæ radicem ore assumptam, nec succum crurali venæ infusum canem interimere potuisse, vividumque perstitisse, etiam assumptis duabus radicis Toxicodendri unciis, gallum. *De nonnullis plantis, quae pro venenatis habentur, observationes Pisis.*



CLAS-

CLASSIS SECUNDA.

VENENORUM STUPEFACIENTIUM.

BELLADONNA *Offic.* ATROPA *Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Dollkraut. *Italis* Bella donna. *Gallis* Morelle Marine. *Anglis* Dwale.

ATROPA *caule herbaceo*, *foliis ovatis*, *integris*, ſolanum furioſum maniacum etiam dictum eſt. Radicis minor doſis ſpecies vanas, duplicata mentis alienationes, quadruplicata mortem adfert, DIOSCORIDES. A folii recentis particula oculo appoſita, pupillæ relaxatio, RAIUS, cæcitas, WEPFER. Baccæ vero primum maniacæ, dein lethales, & quidem præter experimenta MATHIOLI, LOBELII, adoleſcentulum unum mortuum ex eſu duarum, triumve baccarum BODÆUS A STAPEL habet; chirurgus medico, ne comederet, monenti, illudens, a tribus, quatuorve baccis comeſtis interiit. L. B. van SWIETEN. Lethalis baccarum alter effectus SCHUSTERO *Actis Phyſ. Med. Acad.* N. C. Vol. VI. deſcriptus eſt. Salus in vomitu, & aceto. Et hæc quidem hujus plantæ infamia eſt.

Verum etiam in laudem illius nonnulla dici poſſunt: oppoſita eſt diriſſimo cancro, & in eo malo ſpeciſi-

cifica dicta, ALBERTI, quanquam non ſemper aut innoxio aut felici eventu, HEISTERUS, HALLERUS. Et licet in lectione inaugurali ephemeridem perſanati carcinomatis ope Belladonnæ ſiſtat LAMBERGEN, id non obvenit ſine terrificis ſymptomatibus, ut dein non amplius remedio inſiſteret. Ultimo probavit novis experimentis ejus vim GATAKER, & peculiari adverſus cancrum virtute valere negavit, *Obſervations on the internal uſe af the ſolanum or Nicht-Shade 1757.*

Eſt tamen, ubi etiam nuperrimis in experimentis bene ceſſit, VANDENBLOCK *Journal de Medecine, Chirurgie &c.* T. XIV. 1761. & eo in caſu utilis deprehenderetur, ubi cicutæ vis nulla eſſet, ut demum judicioſe concludat *Cl.* Vir, nullum ſpecificum univerſaliter tale eſſe: cicutam, ubi in cancro putredo, gangræna adeſſet, belladonnæ præferendam: belladonnam contra, ubi acrimonia corrodens adeſſet, etiam fungoſa caro excreſceret, cicutæ anteponendam: Belladonnam ſubjectis ſenſilibus, delicatulis, hyſtericis, hypochondriacis, ſanguineis, bilioſis, terrifica inducere ſymptomata, vertiginem, caliginem, aliarum evacuationum ſuppreſſionem, his vero pituitoſos, melancholicos immunes eſſe, omnes oris faucium ſiccitate torqueri. Doſis grani unius, duorum: infunditur hæc in vaſculo theato aqua pleno; primis diebus jejuno ſtomacho vaſculum tantum unum ſumitur, dein ſi e re videatur, duo, tria. Majori etiam pondere datum medicamentum hocce fuit. Moniali cancroſæ a D. COLLIGNON ad drachmam de die in infuſo *Journal.* c. T. XIV. obſervat. I. *Cl.* MARTEAU vero ita præparatum exhibuit:

℞. Bel-

℞. Belladonnæ uncias quatuor, menthæ crifpæ uncias duas, croci orientalis drachmas duas, minutiffime concifa inde in matratium capaciffimum, fuperaffunde fpiritus vini libras duas, & fpiritus volatilis cornu cervi fine calce eliciti unciam femiffem, rite obturato pellicula ovina aut vitulina matratio, eandem pelliculam acu perfora, digere per quatuor dies balneo mariæ viginti quatuor gradibus ad thermometrum REAUMURII calido, cola, fortiter exprime, expreffum liquorem pondera, quantumque e duabus libris defiderabitur, tantumdem fpiritus vini expreffis herbis fuperaffunde, cola denuo, fortiter exprime, utramque colaturam mifce, goffypio filtra, vafe rite cooperto. Tinctura datur in infufo theiformi botris mexicanæ, vel alterius plantæ cordialis ad guttas octo, quæ grano uni æquivaleant, fic fenfim dofis augetur: ad grana undecim de die fubminiftrata eft ab autore, igitur data ad guttas octuaginta octo absque incommodo.

Cæterum jam olim baccarum fuccum in fyrupum coctum GESNERUS dyfentericis exhibuit, & infufum vinofum *Ephem.* N. C. Nonnulli infufus in fpiritu frumenti baccis afthmata curant. Innocuas in cuniculi ventriculum intrufas baccas, & in venas injectum fuccum, aqua dilutum, non infamem *Clariff.* MANETTI *Horto Florentino* teftatur, vidit etiam in imum ventrem infufum fuccum infontem effe, nec ullo inflammationis aut doloris figno perturbari aut canes aut gallos aut pullos aut aviculas, dum horum oculi pluma fucco madida tangerentur, ROSSI l. c.

CASSAVA Amara vel MANDIHOCA *Offic.* *Botanicorum* JATROPHA.

Radicis eſculentæ ſuccus venenatus experimentis HERBERT, qui diſſertationem inauguralem de ea ſcripſit; planta noſtris terris ignota, ut & venenum.

CICUTA *Offic. Botanicorum.* Claſſis Naturalis Umbelliferarum. *German.* Schirling. *Gallis* Cigue. *Anglis* Hemlock, or Common Hemlock.

CICUTA *maculata, caule maculato, ſeminibus ſubovatis ſtriatis.* Hujus plantæ confuſæ admodum apud obſervatores deſcriptiones, ſcrupulum non exiguum ratione effectuum obſervatorum injiciunt: jam enim hi medicamentum criminari, illi non adeo ſuſpicere, alii omni ſcelere abſolvere, ut ultimo, pleraſque de cicuta hiſtorias incertæ plantæ eſſe, poſt TREWIUM pronunciarit HALLERUS. Sed ea dicamus, quæ propriora cauſæ ſunt.

An omnibus in officinis adhibitæ cicutæ eædem? an officinales omnes venenatæ? quod non examinatum, licet cauſam dijudicare potuiſſet exploratum. Cicutæ in omnibus officinis adhibitæ eædem non ſunt. In Anglia cicuta *major* in uſu eſt, DALE, eadem in Germania habetur. *Cl.* VOGEL *Mater. Med. aquaticam* GESNERI officinalem facit, an non ex LINNÆO ſcripſit? dum cicutam *maculatam* (quam ex LINNÆO conium vocat) non cicutam *aquaticam* GESNERI, inter plantas officinales Germaniæ recenſet BLACKWELL T. 451, & nunc aquaticam GESNERI Gottingæ officinalem non eſſe mihi relatum eſt; ſed etiam cicuta

major

major ſeu *maculata* adhibetur in Galliis, GEOFFROY, & in Auſtria: cicuta vero *aquatica* GESNERI ſeu *viroſa* LINNÆI, *umbellis folio oppoſitis*, *petiolis marginatis*, in Sueciæ officinas recepta eſt, LINNÆUS. Adhæc cicuta minor petroſelino ſimilis C. B. ut & cicutaria aquatica quorundam I. B. effectuum cicutæ multam partem tulere; prior tamen Ethuſa *cynapium* eſt Botanicorum, & alterius generis planta, poſterior Phellandrium *aquaticum* ab his duabus diſtinctum, & hodie etiam in noſtris officinis ex Chærophyllo *temulo* Botanicorum, quod caulem maculatam, ut cicuta major, habeat, extractum parari & pro extracto cicutæ veræ divendi, certus novi, ut vel inde uni eidemque plantæ diverſarum effectus adſcriptos fuiſſe pateſcat.

Neque tamen id vel adeo mirabile videri poteſt, cum etiam hodie Materiæ medicæ ſcriptores cicutam *maculatam* cum *aquatico* GESNERI confundant. Quæ res vel ideo maxime notari meretur, quod ſic graviter in ſalutem proximi, ſi unam alteri ſubſtituerent, peccare & medicus, & Pharmacopœus poſſent, quod VOGEL capere non vult, ne proprium errorem videat, ſed etiam id illi per me licet.

Quod ſecundum ſpectat, venenatas omnes non eſſe, non ſolum mites, ſed etiam ſalutares de cicutis hiſtoriæ confirmant. Scrupulum unum, etiam drachmam ſemis radicis cicutæ in pulvere, vel infuſum drachma una etiam duabus factum, olim ad ſcirrhos viſcerum RENEALMUS propinavit: Drachmæ unius aſſumptæ doſi in iisdem morbis curationem abſolvi vidit ETMULLERUS. Repetito experimento certus unciam mediam dedit PETIVERIUS, & HENLEY integras quatuor uncias devoravit absque noxa *Transact.* *Philo-*

Philoſoph. ſunt adhuc alia hujus rei exempla, ut a crimine cicutam majorem vere abſolveret *Cl.* MILLER in *Botanico officinali anglico*, *London* 1722.

An radix ſolum venenata? confirmat caſus HEE in *Act. Phyſico Med. Acad.* N. C. Vol. X. Etiam proprio experimento *Clariſſ.* STOERCK. Sed an etiam vernali tempore magis anceps pharmacum? dubitari poſſet. An inde excitati, cicutæ vim adverſus elephantiaſim RATHLAVW, adverſus ſcirrhos & cancros STOERCK noſter, noviſſime probarunt? Equidem poſterioris fide digniſſimæ obſervationes, & factæ curæ aliis hodie abunde regionibus confirmatæ, aureis libellis de virtute cicutæ exſtant, quibus neminem carere poſſe putem. Summatim vero utilem eſſe cicutam vulgarem induratis malis, ſcirrhoſis, ſcrophuloſis, quæ vel reſolvit, vel ad benignam ſuppurationem redigit, cancro limites ponere, etiam acre cancroſum emendare, & ichorem in bonum pus convertere, etiam ſanare fiſtulas, & ſinus, ut & alia ulcera claudere, conſolidare; cataractas incipientes ſolvere, earum progreſſus impedire, matratia ſicca planta farcta aquæ, vel lacti incocta, peſſimæ gangrænæ progreſſum inhibere, corruptum etiam a ſano ſeparare, ſimilia fomenta dolores podagricos non ſolum, ſed & podagricos tophos diſpellere, rheumatiſmum, arthritidem curare, obſervavit.

Præſcriptionis pilularum hic modus. ℞. Herbæ recentis cicutæ quantum vis, exprimatur ſuccus, iſque recens lentiſſimo igne in vaſe terreo ſæpius agitando, ne amburatur, coquatur ad ſpiſſi extracti conſiſtentiam, hoc extractum ſ. q. pulveris foliorum cicutæ in maſſam pilularem ſubigatur, ut fiant pilulæ granorum

duo-

duorum. A minima dosi incipiendum ex prudentia suadet *Clariss.* Vir; mane, & vesperi pilulam unam, sensim ascendendo, observato effectu, etiam ad drachmam unam, vel unam semis de die dedit. Hodie ad unciam semis multi vorant: superbibitur infusum thee, vel aliud medicatum: potest etiam pulvis radicis cicutæ, s. q. mucilaginis gummi tragaganthæ in pilulas redigi, sed efficacius priori medicamentum, cautius dandum pronunciavit. Adhæc grana duodecim, viginti, extracti, aquæ stillatitiæ unc. sex, duodecim, diluta, forma mixturæ propinari possunt, ipsa etiam cicutæ infusio meraca in sinus, fistulas, injici.

Reliquum est, ut in laudem tanti inventi, quale Vienna nullum novit, candidissimo Amico id dicamus, quod olim BOYLE. „I. Esteem the discovering and „divulging useful things in physic, and the recom„mending good remedies, among the most extensive „acts of charity, whereby a man becomes really mo„re serviceable to the World, than by building an „hospital.„ Quodsi & Tua hæc erga proximum charitas livido petatur dente, an non noscis id HESIODI:

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ,
καὶ πτωχὸς πτωχῷ.

CICUTA Aquatica GESNERI. CICUTA L. SIUM HAL. Classis Naturalis Umbelliferarum.

CICUTA hæc *virosa umbellis folio oppositis, petiolis marginatis, obtusis* LINNÆO, *pinnis laciniatis, pinnulis trifidis, nervo non folioso,* HALLERO distin-

guen-

guenda, unanimibus fere omnium experimentis infamis, integro WEPFERO descripta libro est. Non est œnanthe cicutæ facie, succo viroso, crocante, ut ex MEADIO forte QUINCY, cui vires nostræ adscribit. Neque etiam observationes *Acad. Reg. Paris.* a D. JAUGON de funesta ex esu cicutariæ trium militum morte, de nostra hac planta esse videntur; essetne de œnanthe *fistulosa?* quæ foliis caulinis fistulosis, teretibus cognoscitur. A cicuta aquatica GESNERI pecudum luem Tornoæ LINNÆUS vidit: Et ex succo e foliis, & floribus expresso, in cuniculo ad semiunciam, & cane ad unciam dato, nullum effectum SPROEGEL. *Exper. VIII. IX.* E radicis vero succo vomitus, & tremores, non mortem, *Exper. X.* & e pulvere radicis salivæ viscidæ effluvium sequenti die in eodem cane. IDEM *Exper. XI.*

CICUTARIA Palustris Tenuifolia B. PHELLANDRIUM *Botanicorum.* Classis Naturalis Umbelliferarum. *Anglis* Cow-weed or Wild Cicely.

PHELLANDRIUM *foliis ad angulos ramosis definitum*, multum habitu, non infamia cicutis affine, medicatum plurimis habetur, scirrhis, cancris, etiam gangrænæ utile, BOERHAAVE, morbis malignis etiam KRAMMERO Patri opponitur. Seminum interne exhibendorum in abscessibus, ulceribus, dosim drachmam unam facit HEISTERI Filius *Acad.* N. C. *Vol. V*, quæ in initio nimia est. Quod phellandrium equis lethale & paraplegiam causet, LINNÆI est *in itin. West.* 46. testimonium; id bobus exquisitum pabulum *ibidem* censetur. Tamen etiam hujus extractum pro extracto cicutæ nostrarum officinarum datum, homini-

bus

bus nec obfuit, nec profuit, *the London cronicle for Juin 1761.*

CICUTARIA Pannonica CLUSII, vide T. I. p. 34.

DATURA *Offic.* STRAMONIUM *Botanicorum.* Claffis Pauci-ftam. *Germ.* Stechapfel. *Gallis* Datura, pomme epineufe. *Anglis* Thornapple.

STRAMONIUM *fructu erecto, calyce pentagono* cognitum, fua officinis femina, ob vim caput tentantem infamia, largitur. Minima horum dofis inebriat, aliquantulum mediocris memoriam tollit, & infaniam inducit, major convulfionem, fudorem frigidum, mortem infert. Funefto errore fæpe pro nigella divenditur, BRESLAVIENSES, & ita datum ad drachmam unam pharmacon fœminam occidiffe, ex HALLERO SPROEGEL excitat. Poma in lacte cocta etiam vertiginem, aphoniam, cum fenfuum abolitione, delirio feroci, & aliis peffimis fymptomatibus induxere, *Effays and obfervations before a fociety of Edimburgh* Vol. II. Unciam femis feminum fere absque noxa devoravit canis, SPROEGEL *exper. XIII;* ne ideo minus fufpecta femina funt. Veneno medicina acetum.

DORONICUM *Offic. Botanicorum.* Claffis Naturalis Compofitarum Radiatarum. *Germ.* Gemfenwurtz. *Gallis* Doronic. *Anglis* Leopard's bane.

DORONICUM *foliis cordatis, obtufis, radicalibus petiolatis, caulinis amplexicaulibus,* hodie vix in ufu

usu est, licet adhuc in Anglia frequenter ad ciendos menses in cerevisia, aut vino propinetur, BLAIR, etiam in nostris Alpibus colicæ adhibeatur. Vanissimum illum rumorem, GESNERUM hac planta ereptum, mascule refutavit HALLERUS. Sed quod suspectum tamen LINNÆUS dixerit, repetenda experimenta sunt.

DULCAMARA *Off.* SOLANUM *Botanicorum.* Classis Pauci-stam. *Germ.* Steigender Nacht-Schatten. *Gallis* Douce amere. *Anglis* Bitter-Sweet.

SOLANUM *foliis aliis trifidis*, *aliis simplicibus*, lignosum, scandens, reliquis solanis mitius, magis saponaceum mundificans, diureticum. Innocuum medicamentum pronunciavit HALLERUS, quod multum deprædicavit in phthisi, ubi nondum adesset humorum colliquatio, BOERHAAVE, etiam in contusione IDEM, & in lue venerea & ictero LINNÆUS, qui & stipitum dulcamaræ dosim facit unciæ unius, duarum. Adhæc in arthritide BUCHWALD laudavit, & decoctum ex herba paratum in arthritide vaga multum præstare, constantem experientiam esse, HAMNERIN *de viribus medicis plantarum indigenarum* asseruit.

HYOSCIAMUS *Offic. Botanicorum.* Classis Pauci-stam. *Germ.* Dollkraut. *Anglis* Henbayne. *Gallis* de la Hanebane.

HYOSCIAMI *foliis amplexicaulibus* radicem, herbam, & semina officinæ habent, & veterum, & recentiorum experimentis stupefacientia. De radicibus comestis tragicam admodum narrat historiam WEPFERUS,

RUS, hydrophobiam lethalem vidit, BARRERE. A foliorum manipulo femis enemati incocto, injecto, placidus, vir furere, & delirare cœpit ETTMULLER. A folo vapore temulenti facti, BOERHAAVE & amicus, dum emplaftrum pararent. A feminibus comeftis defipientiam MATTHIOLUS, vertiginem, deliria, fomnum profundum STEDMANN *Philofoph. Transact.* vifus obfufcationem, memoriæ eclipfin L. B. van SWIETEN proprio experimento: præfentem memoriam cum convulfionibus, *Effays and obfervations before a Society in Edimburgh Vol. II.* obfervarunt. Tum ab hyofciami nigri femine in quatuor pueris, fitis, vertigo, obfcuratio vifus, delirium furiofum cum profundo fomno, SLOANE *ibidem* T. III. A fumo feminum combuftorum mentis alienatio cum furore, imo etiam ab effluviis feminum eadem mala *Ephem.* N. C. vifa. Salus in vomitu. Tamen ex fucco foliorum ad unciam integram cani dato, nulla perturbatio, *Cl.* SPROEGEL experimento XII.

USUS internus non cognita falutari dofi fufpectus, nec etiam externus tutus. Seminum vapor in dentem cariofum edmiffus, tum Actorum Hafnienfium, tum aliorum teftimonio noxius. Oleum preffum congeneribus efficacius, LUDOVICI, externo innocuum ufu.

LOLIUM *Offic. Botanicorum.* Claffis Natur. Graminum. *Germ.* Lulch. *Gallis* Zizanie. *Anglis* Darnel. *Italis* Loglio.

LOLIUM *fpica ariftata*, temulentum cognominatum eft, ob dolores capitis, & temulentiam, quæ caufat. A lolio temulentia, & ulcera jam GALENO

memorantur. Somnum, temulentiam, vertiginem ab eo CAMERARIUS obſervavit. Lolium cereviſiam temulentam reddit, LINNÆUS: hæc vis in pane, qui in annonæ caritate inde efficitur, perit, IDEM; non eſt venenata, IDEM.

LAUROCERASUS *Offic.* PADUS *Botanic.* Claſſis Natur. Calycifloraruin. *Gallis* Laurier-ceriſe. *Anglis* Laurocerasus.

PADI *foliis ſempervirentibus, lanceolato-ovatis*, aqua ſtillatitia per plurima experimenta lethalis, BROWNE LANGRISCH integro tractatu *a Courſe of experiments with the Lauro-ceraſus in order to inveſtigate its effects on animal bodies.* Similia etiam experimenta habet DU HAMEL. *Traité des arbres* T. I. Ex quibus omnibus concluſere ambo Clariſſimi Viri, ſemper in nervos venenum agere. Bolus, acetum, auxilio non ſunt: in lacte ſalus *Philoſoph. Transact.* No. 418. in quo gratiſſima & ſalubria incocta folia, L. B. van SWIETEN, etiam contra phthiſin laudata, LINNÆUS.

NUX VOMICA *Offic.* STRYCHNOS *Botanicorum.* Claſſis Naturalis . . . *Germ.* Krähenaugen. *Gallis* Noix Vomique. *Anglis* Vomick Nuts.

STRYCHNOS *foliis ovatis, caule inermi*, fructus, certiſſimum animalibus, canibus, felibus, glyribus venenum, aliis ut & homini dicitur innoxium: tamen a granis quindecim interemptam puellam FR. HOFMANNUS habet; etiam temulentiam, & vomitum

tum ab electuario de ovo, quo recipitur, SORBAIT. Sed jam ante hos deleterium obſervavit fructum MATTHIOLUS. Contra hydrophobiam aliqui laudant eum amygdalis amaris, ſed doſim, & utendi modum non addunt.

OENANTHE *Offic. Botanicorum.* Claſſis Natur. Umbelliferarum. *Anglis* Hemlock-dropwort. *Gallis* Cigüe filipendule.

Etſi tota hæc familia ſuſpecta ſit, deleteria tamen maxime obſervata eſt œnanthe *foliis omnibus multifidis, obtuſis, ſubaequalibus*, tum illa *cicutae facie, ſucco viroſo crocante diſtinguenda.* Solo guſtu mors hominibus, BOERHAAVE, STALPART van der WIEL. Contrita calido die inter digitos folia, naribus ſuppoſita vertiginem inducunt, L. B. van SWIETEN. In acetariis aſſumentes vix evaſere, LOBELIUS. Ex octo juvenibus triginta annorum hanc edentibus, quinque cum motibus epilepticis mortui, alii miſere affecti, vix ſervati ſunt, *Transact. Philoſoph.* No. 238. item numero 480. alia fata habentur: Eximius chalcographus EHRET, dum plantam in aere incideret, vertiginem paſſus, *ibidem,* tum plures alios hac planta raptos, alios in ſummum diſcrimen deductos, BLAIRS *Miſcellaneous obſervations, London 1718.* in quo libro etiam aliarum plurimarum plantarum infamia dicitur: & recentiſſime ex triginta ſeptem militibus, radice paſtis, unum ſolum deſiderari vidit ROCHARD. *Journal de Medecine, Chirurgie &c.* T. IX. & X.

POMA AMORIS *Offic. Botanicorum* SOLANUM. Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Liebäpfel. *Gallis* Pommes d'amour. *Anglis* Love apples.

SOLANUM *caule inermi, herbaceo, foliis pinnatis, inciſis*, cum tota gente ſuſpectum, Italis ſale, pipere, oleo conditum eſitatur; comeditur etiam coctum, BAUHINUS, liberalius vero ingurgitatum periculo non vacat, IDEM. Aphoniam, apoplexiam, induxiſſe, in obſervatis eſt. Nonnulli ad epiphoram, eryſipelas, ignem ſacrum, externe laudant.

SOLANUM *Offic. Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Nachtſchatten. *Gallis* Morelle. *Anglis* Night-Schade.

SOLANUM *foliis anguloſis, undulatus, caule laevi*, pro atriplice in cibum ſumptum, venenatum edidit effectum, *Comm. lit. Nor.* Etiam a baccis gallinas periiſſe, & convulſos pueros fuiſſe, monet BOERHAAVE. Cæterum tamen externo uſu mite, inflammationi, paronychiæ, eryſipelati, cancro, cataplasmatis forma admovetur; ſolano furioſo interno uſu præferendum, doſi prima grani unius in uncia una aquæ ferventis, poſt duos tres dies repetenda, & ſolum ad grana quinque, ſex, augenda, GATAKER *l. c.* tunc illico deſiſtendum, ni vel perſpirationem, vel urinam, aut alvum medicamentum moveat: tali methodo hæmiplegia curata fuit, & quod urinam movet, etiam hydrops.

VENENUM LAMASCENSE, & TICUNASCENSE. Coctione extractum ex plantis, ab incolis Americanis ad inficienda tela adhibetur. Ingeniosissimus mortalium, de la CONDAMINE, in itinere suo Americano primam hujus mentionem fecit, dein experimenta satis periculosa instituit *Cl.* HERISSANT. Necat omnia quadrupedia, aves, carpiones, muscas; saluti saccharum, sal marinum, esse dicuntur: tamen saccharum fefellit in experimento *Transact. Philosoph.* No. 482. Sed esum animalium hoc veneno necatorum innocuum, de la CONDAMINE, L. B. van SWIETEN testantur.



CLASSIS TERTIA.

VENENORUM FOSSILIUM ACIDORUM.

Acida mineralia omnium cognitorum acidorum potentissima, & gravissima, concentrata, venena sunt caustica, cum corrosione, destructione partium viventium cito gangrænosa; quod quidem, quia multiplici hinc inde observatione innotuit, non probabo: Nec id inquiram, an a gravitate horum specifica, eorumque rigiditate is absolute pendeat effectus, id vero tantum, quod jam sæpius dictum, & retinendum, in medium adferam: tres acidorum mineralium diversas species esse, acidum nempe vitrioli, acidum nitri, acidum salis: horum potentissimum vitrioli, quod data uncia una proprii spiritus drachmas quinque grana tria acidi largitur; secundo loco acidum nitri, quod simili dosi spiritus nitri, drachmas duas, grana viginti acidi; tertio salis, quod drachmam unam grana tredecim concedit, ut experimenta docuere HOMBERGIUM *Acad. des Sciences 1700.* Veniunt igitur in censum hujus classis.

VITRIOLORUM Acida. *Spiritus & Oleum.*

Quæ ex vitriolo ad flavedinem calcinato, destillatione vel descensoria, vel laterali obtinentur: Et quidem spiritus nihil aliud est, quam acidum vitrioli majori quan-

quantitate aquæ, oleum vero minori, ut ſub forma fluida appareat, contemperatum: glaciale enim, dum magis dephlegmatum eſt, & conſiſtit, dicitur.

ALUMINIS Acidum, Vitrioli idem,

SULPHURIS Acidum, quod flagrante phlogiſto ſolum obtinendum ſub campana, ſpiritus ſulphuris per campanam dicitur.

NITRI Acidum. Spiritus fumans, ſeu aqua fortis, verus nitri ſpiritus, vitrioli acido, baſi nitri ob majorem affinitatem juncto, in deſtillatione expulſus, ſolemne argenti menſtruum, & facile, dum duæ partes ſpiritus uni parti argenti ſuperfunduntur.

AQUA REGIA acido nitri, & ſalis, vel nitri, & ſalis ammoniaci contemperatis exurgens, recens argentum ſolvens, adulta non attingens, verum auri menſtruum. Alia de nitro dicta ſunt parte II. *de attenuantibus.*

SALIS Acidum. Spiritus acido vitrioli expulſus efficacior, terris bolaribus ignavior, ſemper tamen corroſivus, ſi purus eſt; alia de ſale Parte II. Acidis mineralibus aſſumptis, ſpes in oleoſis, mucaginoſis.

Quantumvis vero hæc acida mineralia per ſe venenata ſint, horrenda tamen magis evadunt, ſi glebæ metallicæ juncta ſint: atque tales multæ metallorum ſolutiones habentur, ut auri, argenti &c.

AURUM *Omnium.* Classis Natur. Metallorum Nobiliorum, *Mineralogiae* W. *Germ.* Gold. *Gallis* Or. *Anglis* Gold.

Metallorum ponderosissimum, simplicissimum, aqua regis solubile, AURUM est: adhæc nec elasticum, nec sonorum, nec aere, aqua, igne destruendum, licet admodum malleabile, & ductile, deprehenditur, simul etiam tenacissimum sub aqua bilance hydrostatica ponderatum vigesimam fere sui ponderis partem amittit. Aqua regia mediante calore solvitur solutione transparente. Solutio auri in acidis fossilibus horrendi saporis omnia erodit, BOERHAAVE, ejusdem notæ etiam sal metallicum auri, aut crystalli solares habentur.

Solutio auri alcali volatili, fixo, aut terra absorbente præcipitata, exsiccata prudenter, *aurum fulminans* audit, quod pondere aurum in compositionem receptum superat, & in magna copia aquæ lotum, omni sale purgatum, non amplius fulminat, etiam simplici fusione in aurum resuscitari potest, MACQUER, nec opus est illi reducendo corpora inflammabilia, adjicere cum principium inflammabile non perdiderit, SPIELMANN.

Hoc compositum vim fulminandi habet, quam tamen oleum vitrioli affusum inhibet, MACQUER, & sulphur. Basil. VALENTINUS, & salis acidum ROLFINCK, & acetum SPIELMANN; quem vero sal ammoniacum in menstruo solvente receptum, aut alcali volatile ad præcipitationem adhibitum, constanter intendunt, WALLERIUS, & alcalina fixa supprimunt, STAHL *fund.* an inde ratio virtutis fulminantis quæsita evidens? nuper primus patefecit non satis laudan-

dus

dus Pharmacopæus MEYERS, eam a caustico dependere, & nunc facile intelligimus, affuso oleo vitrioli salis aut aceti acido, ipso addito sulphure, causticum mutari, & vim fulminantem hoc mutato tolli.

Ignorari vero non debet, hocce compositum non solum mediocri calore, sed etiam tritu, compressione validiori explodi, GAZETTE SALUTAIRE 1761. N. II. imo eum aliis pulveribus rudius tritum inflammari, HANNÆUS *ibidem* N. XLII.

Sed estne aurum fulminans medicina? facilis responsio. Aurum fulminans menstruis salibus gravidum suspectum, L. B. van SWIETEN, nec unquam Illi adhibitum salibus spoliatum omnibus, humanum corpus non mutat, nec ab eo mutabile metallum, tamen ut in officinis habetur præscriptum, quandoque miras anxietates fecit, periculosa etiam symptomata excitavit, ut non amplius in Anglia adhibeatur.

Croci, magisteria, radicales aliæ auri solutiones, in usum medicatum pariter vanæ sunt.

ARGENTUM *Omnium.* Classis Natur. Metallorum Nobiliorum, *Mineralogorum* W. *Germ.* Silber. *Gallis* Argent. *Anglis* Silver.

ARGENTUM *album, splendens, sonorum, elasticum, metallum,* in aqua forti crudum, in acidis vegetabilibus, aceti, succi citri, salis acetosellæ, præparatum solvitur, *Cl.* MARGGRAF, præcipitatum etiam sale alcalino, tum fixo cum sanguine confecto reseratur, tum volatili spiritus salis ammoniaci aquosi, IDEM.

Post aurum maxime ductile hoc etiam magis elasticum & sonorum & durum est; in igne perstans nec alteratur, nec ponderis diminutionem patitur, potissimum tamen arsenico & sale communi volatile redditur. Cæterum nec aquæ subjacet, in bilance hydrostatica unam undecimam fere ponderis sui partem amittit, spiritu nitri cum effervescentia & calore dissolvitur, solutione acerrima & cito deleteria. Sic etiam crystalli inspissatione ex hac paratæ, causticæ, lotæ sæpius, etiam dein siccatæ, adhuc amarissimæ, argentum hydragogum ANGELI SALÆ constituunt, vix tuti usus.

LAPIS INFERNALIS LUNÆ ex inspissata purissimi per ignem argenti meraca solutione, consistentiam nactus, aut etiam ex crystallis lunæ igne fusis, & in modulos conjectis exurgens, instar ignis caustici, corpus animale in escharam cito comburit, imo marmor destruit, WALLERIUS; est hujus lapidis multus chirurgis usus, & quidem omnium:

1. Ubi cultri, aut ignis usum ita abhorrent ægri, ut his visis animo deficiant.

2. In omni casu, ubi tumor exstirpandus ob loci difficultatem ferro tentari non potest, etiam ubi polypi, scirrhi reliquiæ consumendæ, ulceris in profundo siti callus auferendus, cancri venerei medicandi.

3. In phlegmonibus œdematosis lente suppurantibus, in tumoribus inflammatoriis malignis, quibus materies caustica inclusa est, ut bubonibus venereis, pestilentialibus, tum & in aliis a venenatorum animalium morsibus exortis, ut ipsum in labiis vulneris hærens

rens venenum citius, quam in ſanguinem ſuſcipi poſſit, deſtruatur.

4. Etiam in carie oſſium; in carie enim, quam ignis curare non potuit, lapis infernalis eximio ſeſe uſu probavit. Cæterum nec id ignorari debet, ruptorio communi chirurgorum, & oſſibus ab albedinem calcinatis, commixtis, aquam marinam deſtillatione in vaſe convenienti dulcem reddi, & potabilem, hocque inventum eſſe JOSEPHI APPLEBY Angli.

In eundem cenſum aliorum metallorum, aut ſemimetallorum ſolutiones acidæ revocantur; ex his enim plurima in tribus his acidis ſolvuntur: ita oleum vitrioli, ſpiritus nitri, ſalis, diſſolvunt cuprum, ferrum, ſtannum, zincum, plumbum: oleum vitrioli, & ſpiritus nitri adhuc cobaltum, & alias arſenici mineras; referat ſpiritus nitri mercurium vivum, regulum antimonii, quem etiam ſpiritus ſalis ſolvit, & quæ alia chemia docet.

BUTYRUM ANTIMONII *Offic.* Claſſis Præparatorum. Ordo Semimetallorum.

BUTYRUM antimonii eſt regulus antimonii mediante deſtillatione acido ſalis corroſus, conſiſtens, potentiſſimum cauſticum, in ponendo gangrænæ, cariei limite multum chirurgis in uſu, aliquibus etiam arcanum; interne terribile venenum. Vide *Acad.* N. C. *Vol. V.* Cicuratur alcalinis, oleo tartari p. d. *Acad.* N. C. *Vol. VII.*

De Venenis Mercurialibus vide Mercurium, Parte II. *de ſialagogis.*



CLAS-

CLASSIS QUARTA.

VENENORUM ALCALINORUM.

Salia alcalina in genere in fixa, & volatilia, tum priora in naturalia mineralia, vel in artificialia, dividuntur. Alcalina fixa naturalia mineralia in fontibus medicatis Egranis, Pyrmontanis, Sedlizensibus, Spadanis, thermis Carolinis, Tœplicensibus, aliisque demonstrabilia, etiam ex terræ gremio eruuntur: docet minera boracis orientalis Indiæ, quæ sal alcali fixum sale culinari mixtum habet, POTT *Observ. & animadvers. de Borace*, tum & in cellis efflorescit, *Cl.* MARGGRAF *script. chem.* p. 189. docet id aphronitrum. Hæcce salia alcalina mineralia, cum, aliis in his aquis nupta salubria, etiam separata, non uti lixiviosa, vel acria sint, vel caustica, in censum venenorum non veniunt: eductum enim ex sale communi alcali minerale MARGGRAFIO & alias longe ab aliis alcalinis vegetabilibus distinctas dotes habuit, & acre non fuit, l. c. 170.

Et in genere quidem Minerale alcali ab alcali vegetabili distinguitur:

I. quod acre non sit, dum causticam acrimoniam aliud semper habet.

II. quod in aere non liquescat.

III. quod crystallisatum crystallos exhibeat sali mirabili simillimos.

IV. quod

IV. quod cum vitrioli acido conſtituat ſal mirabile *Glauberi*, cum acido nitri Nitrum cubicum, ſal commune cum Acido ſalis.

V. quod cum acido vegetabili non faciat ſalem deliquium patientem ut terra foliata tartari ſolet, ſed cum acido aceti ſalem conſtituat medium, variis pro diverſa ratione factum cryſtallis, in aere ſiccis, in igne prioribus fixioribus, dum vegetabile acidum alcali minerali arctius quam lixivioſo nubit; tum demum cum cremore tartari ſalem exhibeat ſeignetti.

Minime tamen reticendum, quod jam dudum ſuſpicatus ſum, alcali minerale etiam cauſticum igne fieri poſſe, & ſalem conſtituere in aere deliqueſcentem; utrumque nuper, qui novam Chemiæ facem intulit, & vulgarem Inſtitutionum Chemicarum theoriam longe ſuperavit, laborioſiſſimus MEYERS, experimentis demonſtravit: ſcilicet primas, & aliquoties purificatas ſodæ cryſtallos alcali minerale mite, parum de ſulphure ſolvere, & hoc minorem magiſterii ſulphuris, quam alcali vegetabili, quantitatem obtineri; ultimum vero inſpiſſatum & cauſticum ſodæ ſalem majorem largiri: ſalem cauſticum purum ſodæ difficulter cryſtalliſari: inſpiſſatum in aere humeſcere, quod antequam cauſticum adderetur, in ſoda non obſervabatur, ut igitur quaſi ipſa ſalis alcali vel facilis vel difficilis cryſtalliſatio ſolubilitasque a cauſtico dependere videantur.

Alcalina fixa artificialia, etiam lixivioſa vocata, tam ex animalium, quam vegetabilium partibus, etiam ex tartaro, fœcibusque vini, ut & nitro, ſimplici combuſtione in his, calcinatione, vel detonatione in illis paranda, alcalina ab herba kali, quæ hæc maximo fœnore

nore largitur, dicta ſunt, licet tamen diverſis in regionibus diverſis ex plantis conficiantur: ita ex chenopodio Hiſpani, ex meſembrianthemo Ægypti, ex ſalſola Angli, tum ex vegetabilibus fere omnibus, majori ex his, minori ex illis quantitate, pro ſuis experimentis chemici parant, vix ulla tamen in omnibus diverſitate, ſi pura, quod ultimi ignis gradus eadem ſint producta, BOERHAAVE; quamvis in quæſtione prima, pro cathedra vacante Monſpelienſi, aliter ſtatuat *Cl.* VENEL. Atque hæcce forma vix cohærente, haud cryſtallina viſuntur; docuere tamen raræ obſervationes *Act. Moguntinorum* T. I. qui etiam in cryſtallos cogi poſſint, tum ſpiritus ſalis ammoniaci additione, tum ſimplici, ſed frequenti ſolutione, colatione, inſpiſſatione. Sal alcali minerale purum ſola ſolutione & colatione cryſtalliſari poſſe, jam ante MARGGRAF docuerat.

Salium Alcalinorum fixorum, ſeu ſtrictius lixivioſorum, hæ præcipuæ proprietates ſunt:

1. Sicca, inodora, acria ſunt, humeſcunt, in aere deliqueſcunt, & quadruplo fere ponderoſiora redduntur, unde ex ſpiritu vini aquam attrahunt, & in ea facile ſolvuntur, etiam pertinaciter hauſtam retinent, nec omnem in calore ebullientis mercurii dimittunt.

2. Cum oleoſis pinguibus commixta in ſaponem abeunt, peculiari tamen arte cum alcohole.

3. Etiam cum iisdem diutius digeſta, tum igni fortiori expoſita, volatilia fiunt. Convictio eſt in cineribus clavellatis, cum ſevo in vaſe clauſo tractatis: inde enim ſal volatile, quod in neutro ingredientium erat, elicitur. Simile ex omni ſale alcalino fixo, cui olei cujuscunque duplum, vel triplum admiſcetur, ſi

ſi ſubactis ſublimatio inſtituatur, obtinetur; ita etiam volatiliſatio ſalis tartari fit, & ex quocunque ſapone aliquid ſatis volatilis per deſtillationem elicitur, WALLERIUS in HIERNE, imo ſi cum ſimplici terra tractantur olea, ſublimatione ſal volatile producitur.

4. Cum ſale ammoniaco trita, adjecta aqua calida, odorem urinoſum fundunt, *Cl.* MARGGRAF jam ex hoc criterio judicavit, ſalem alcalinum fixum Rhinocerotis, qui illi examinandus ab Academia dabatur, ſalem alcalinum fixum non eſſe, *Acad. des Sciences de Berlin 1756.*

5. Præcipitant ſalia media in aqua ſoluta LEMERY *Acad. des Sciences 1727.* terras alcalinas in acidis ſolutas, non vero alcali minerale, contra WALLERIUM & VOGEL, *Cl.* vir MARGGRAF *Script. Chem.* p. 171. Minerale vero id alcali æque efficaciter in priores agit, IDEM p. 177.

6. Cum acido vitrioli in tartarum vitriolatum, nitri in nitrum regeneratum, ſalis communis in ſal regeneratum abeunt, quæ alia alcalina non faciunt: alcali nitri cum acido vitrioli arcanum duplicatum vulgo, alcali minerale ſalis cum eodem ſal mirabile GLAUBERI, alcali urinoſum cum eodem ſal ammoniacum ſecretum GLAUBERI facit. Item alcali minerale cum acido nitri nitrum cubicum, alcali volatile cum eodem nitrum flammans, alcali minerale cum acido ſalis ſal commune, alcali urinoſum cum eodem ſal ammoniacum conſtituit.

7. In igne admodum fixa ſunt, vehementiori tamen in fluorem rediguntur, & protractiori pro parte diſſipantur:

pantur: cinerum clavellatorum unciæ quatuor per quinque horas uſtæ, amiſere integram unciam, IUSTI.

8. Gummoſa reſinoſaque omnia aperiunt corpora, tum & ſulphurea, quæ tamen non diu ſuſtinent ſoluta.

9. Cum alcali ſanguinis bovini præparata varia metalla ſolvunt, ut aurum, argentum, mercurium, zincum, bismuthum, *Cl.* MARGGRAF *Scriptis Chemicis*, ultimo etiam omitti non debet, cum calce viva cauſtica magis fieri.

Hæ principes, aliæ aliis etiam communes dotes ſunt, effervescere enim cum acidis terrea, lapidea, teſtacea pariter, tum ſolutiones aluminis uſti, vitrioli albi, tartari emetici, præcipitare, adhæc etiam ſyrupum violarum movere, & viridi colore inficere ſolent.

PRINCIPIA horum I. multa terra, II. paucum ſal acidum, III. phlogiſton. Primum quidem ſale tartari alcalinorum, ſi bene præparatum ſit, principe, in meram terram abeunte, in experimento manifeſtum eſt: ſcire tamen etiam juvat, impurum ſalem tartari, in aqua pura ſolutum, evaporatione facta, ſal medium cryſtallinum ſæpius exhibuiſſe CARTHEUSERO, *Acta Mogunt.* T. I. Secundum ea tentamina declarant, quæ majorem alcali fixi quantitatem ex iis educunt, quibus copioſior acidi vis, minorem ex illis, quibus aut nulla, aut de induſtria ablata, tum & illa, quæ commonſtrant ipſum nitrum fixum, aperto vaſe carbonibus præparatum, ex ſuperfuſo oleo vitrioli fumum emittere nitroſum, WALLERIUS in HIERNE. Tertium inde petitur, quod phlogiſto deſtituta corpora alcali fixum non ſuppeditent. Cæterum proportio dici non poteſt. Diverſitas horum maxima eſt in effectibus, etiam figura, ab

ab admixtis. Sal ſodæ aquæ forti admixtum, eam in aquam regis commutare viſum; ratio quæſita eſt in ſale communi, illi, ut & aliis ſæpius immixto, & inventa.

Salia alcalina fixa in uſum medicum adhibenda, eodem modo præparata omnia, pura, parum diſtincta ſunt, ut adeo magnus horum in diſpenſatoriis catalogus ſuperfluus; ſed ne officinæ, quem intendunt, ex diverſis ſalem alcalinum fixum parant, cum acido ſulphuris vitient, & ſalem medium potius moliantur, ſapore amaricante magis, quam urinoſo cognoſcendum, & cryſtallina forma diſcrepantem: Methodo TACHENIANA facti differunt omnes, *Acta Petropolit.* T. V. GMELIN, non ideo tamen ſpecificam virtutem plantarum, unde parata, aut retinent, aut habent, IDEM.

SAL TARTARI, alcalinorum fixorum princeps, ſola tartari puri calcinatione obtentus, non illico in minima aquæ quantitate ſolvitur, licet exſiccatus in aere deliqueſcat brevi, ex eoque continuo humiditatem attrahat, dum tamen neque in eodem totus ſolvatur, remanente ſemper aliqua portione etiam in cryſtallos cogenda, quæ ad ſalem communem magis quam ad tartarum vitriolatum inclinet SPIELMANN *Inſtit. Chem. 1763.*

Solutus in aere Tartari ſal OLEUM TARTARI per deliquium ſatis improprie officinis vocatur. Hoc liquamen alcalinum ex pauca attracta ex aere humiditate exurgens, acrius longe eſt, quam illud, quod ex plurima aeris humiditate etiam exigua aquæ quantitate confectum eſt; atque id ipſum ratione virtutis & doſis hujus medicamenti conſiderandum eſt, quod etiam jam olim HENCKELIUS monuerat, prius tartari oleum acre magis Pharmacopæis recommendans.

VIS MEDICA deinde dicetur.

CINIS CLAVELLATUS COMMUNIS acido vitriolico imprægnatus, ſalis medii plurimas dotes habet, pro maxima tamen parte adhuc alcalinus eſt, BOERHAAVE, NEUMANN. In ſale centaurei minoris, hyſſopi, ſalviæ, & aliorum plurium, ſal commune repertum, in ſale fumariæ tartarus vitriolatus, in ſale agrimoniæ, chærophylli, ſalis urinoſi momentum, GMELIN, tum nuper in fœniculo nitri non parum & in Cochlearia ad ſalinos lacus creſcente multum ſalis marini invenit MEYERS l. c. Salia etiam fixa animalium, ſale communi, quod cubica eorum figura demonſtrat, imprægnata ſunt.

USUS aliorum alcalinorum.

SODA pariter multum impura & variis inquinata eſt; Alexandrina optima cenſetur, hanc Alicantina excipit, ultimo Carthaginenſis loco eſt. Genuina vix unquam ſale communi libera deprehenditur, ſæpiſſimeque ferro attenuatiſſimo oneratur, ut etiam filtra cæruleo Berolinenſi gravida deprehendantur, & cryſtalli obtineantur transparentes ſaphyrinæ, dum vitrioli acore ſoda ſaturatur in ſalis mirabilis confectionem.

Ex hac per elixiviationem ſal ſodæ paratur minerale, CARTHEUSER *Act. Mogunt.* T. I. inſpiſſatione, cryſtalliſatione, cryſtallis nitidis, haſtularum triangularium figuram referentibus, KAHL *Diſſ. de Sale Sodae.* priſmatum triangularium dimidiatorum, lateribus non acutis, *Cl.* MODEL. Sal ſodæ purum, non, ut ſalia alia lixivioſa, in aere deliqueſcit, nec humiditatem ex illo extrahit, CARTHEUSER, quod ſi facit, illi ſal commune ineſt, KAHL, ſed ſolum, uti alcalium fixorum mine-

ralium

ralium natura exigit, in materiem friabilem delabitur, IDEM, igne fixum eſt, & aucto ejus gradu liqueſcit, in aqua paulo tardius ſolvitur lixivioſis aliis, & majorem quantitatem aquæ poſcit, IDEM.

Solutum cum omnibus acidis efferveſcit, & in ſal medium concreſcit: cum acido vitriolico in ſal mirabile GLAUBERI, CARTHEUSER, KAHL, cum aliis in alia abit, cum acido aceti vaſis vitreis deſtillati in ſpeciem terræ foliatæ, ſed alcali minerali factæ, quæ vera terra foliata tartari non ſit, etiam minus acris, minus pungens, ſaporis grati cum leni amaritie, in aere non deliqueſcat, & pulveris forma exhiberi poſſit.

Sal ſodæ purum acidis junctum ab alcalinis fixis vegetabilibus præcipitatur facile, quod minus firmiter cohæreat, KAHL. Cum ſale ſodæ, & ſale ſedativo borax regeneratur. BARON d'HENOVILLE *in Tractatu de Principiis Boracis*, *Cl.* KAHL *laudata Diſſert.* & ſal ſodæ æque bene, ac ſal alcali vegetabilis ſulphur recipit SPIELMANN l. c.

VIS MEDICA ſalium alcalinorum fixorum, acidum domans, in morbis ab acido utilis, glutinoſa dividens in glutinoſo ſpontaneo: eſt in hydrope eximia, SYDENHAM, qui infundit cinerum geniſtæ libram unam, libris quatuor vini Rhenani. Externo uſu ſolutio ſalis tartari fomento applicata tumoribus lymphaticis, gelatinoſis ſcrophuloſis ſæpe, lacteis ſemper profuit; etiam hic ſal tumorum venereorum verus lapis lydius inventus, LEVRET.

Interno uſu ſal ſodæ aliis præferendum, lentius agit, & pulveriſari poteſt: doſis gran. quinque, decem, quin-

 decim.

decim. Tinctura salis tartari in torminibus tenellorum ab acido, ad convulsiones usque increscentibus, ad guttas sex in lacte nutricis data, habetur anodyna DETHARTINGINIO *Ephem.* N. C. Eadem cum balsamo copaivæ maritata digestione, egregia in calculo & renum affectibus inventa: sic si tincturæ tartari unciæ uni semis, balsami hujus drachmæ tres sensim instillentur, digerantur, & guttæ octo sumantur, mira sæpe præstat *Ephem. Decad.* 3. Anno 3.

Alcali fixum purum, venenum est rodens, causticum, inflammans, calce viva paratum acerrimum, venis susceptum sanguinem dissolvens, & in putredinem disponens. Salus ab acidis, oleosis. Sal tartari cum tripla copia calcis vivæ factus, in aquæ stillatitiæ florum rosarum, aut sambuci &c. tali quantitate solutus, ut solutio gustata nullum linguæ dolorem faceret, vel notabilem saporis molestiam, pulchri contra podagricos tophos, & exostoses, & alios difficiles tumores, effectus inventus L. B. van SWIETEN. *Comment.* T. IV.

SALIA ALCALINA VOLATILIA, etiam urinosa dicta, e triplici naturæ regno, vel putrefactione, vel igne elicienda in nostros usus, a prioribus ratione principiorum haud distincta sunt; horum enim sola eaque a prioribus recedens proportio, eam, quæ tum a mobilitate, aliis proprietatibus, & effectibus dependet, varietatem inducit: experimenta dicta sunt, nec tædiosa probatione opus, alcalina volatilia majorem vim oleosi principii, fixa terrei habere.

Ex animalium omni parte putrefactio & ignis, ex vegetabilium omnis putrefactio, raro ignis, ex mineralibus ignis fere solus sal volatile producit. Insintne natu-

naturaliter quibusdam ſubſtantiis vegetabilium? hi affirmant, alii negant; fracta ſinapi ſemina ſalem volatilem alcalinum ſpirant, cum aceto acerrimo trita effervéſcunt, BOERHAAVE, ſed etiam ſedi minoris ſuccus ſine igne volatilis ſalis alcalini indicia præbet, WALLERIUS in HIERNE, iſatis absque ignis adminiculo ſola fermentatione ſalem volatilem largitur, GEOFFROY *Acad. des Sciences 1717.* Eadem in ſanguine, urina, ſale foſſili ammoniaco, eſſe principia naturaliter, eſt in omnium experimentis.

In ſalibus alcalinis volatilibus etiam id, quod in alcalinis fixis, mirabile; ex diverſiſſimis enim ſubſtantiis, diverſis etiam præparationibus, iidem ſunt, nulla differentes nota, ſi ſublimatione defæcati, ut alcali volatile tantum unum, in rerum natura, quoties ſincerum; quod in quæſtione pro cathedra vacante propoſita, *an alcalina volatilia, e quacunque ſubſtantia eliciantur, ſint una eademque ſubſtantia*, etiam aſſumpſit *Cl.* ESTEVE. Unde officinarum multiplex in ſpiritibus, ut & ſalibus volatilibus peccatum, venia tamen dignum, quod exquiſitam *Cl.* GEOFFROY, & BOERHAAVE rectificandi methodum non adhibeant. Sal volatile ammoniaci omnium volatilium puriſſimum eſt, etiam fixa volatiliſans.

Specificæ horum volatilium dotes ſunt:

1. Quod volatiliſſima, etiam calore corporis fugacia reddantur.

2. Acidis mixta non ſal ſalſum, ſed volatile conſtituant.

3. Solutum mercurium ſublimatum in aqua, in pulverem album præcipitent puri, impuri in rubrum.

4. Solutionem cupri cæruleam reddant.

5. Olea ætherea in ceræ conſiſtentiam fere cogant.

Cæterum vi ignea, cauſtica, exulcerante, infamia, aſſumpta, diluentia, oleoſa, terreſtria, pinguia, acida poſtulant; diluta vero etiam medicamentoſa evadunt, ſudorifera, ſtimulantia, diſcutientia; quanquam humores lymphaticos gelatinoſos coagulent, *Acad. de chirurgie de Paris*. T. I. Sunt in gangræna ſphacelo venenata, PRINGLE *experiments upon ſeptic and antiſeptic Medicines*, ſpecifica in morſu viperarum *Acad. des Sciences 1747*. forte etiam in rabie, LE CAMUS. DARLUC, *Journal de Medicine &c.* T. XIV. Avril. 1761.

USUS MEDICUS in affectibus ſoporoſis, apoplexia, aſthmate, aliis etiam morbis pituitoſis, paralyſi, convulſionibus, ab iisdem cauſis ortis, proficuus: item in omni cauſa acida; ſic & in podagra ab hac labe laudat WINTRINGHAM *Works London 1752*. T. II. *de Podagra*, *latine*. doſi exigua, cum vehiculo aqueo largiori ſemper, data, in eodem morbo ab hac cauſa dudum *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN exhibuit granor. VI. doſi in theato Saſſafras, omni mane bene tectis pedibus.

Sunt etiam, qui in ſcorbuto ſalia alcalina volatilia adeo ſpecifica habeant, ut corticem peruvianum in febribus, ſulphur in ſcabie, Mercurium in lue venerea. *Gazette Salut. 1762*. No. XLIII. ſed quia hæc ſententia non omnibus recepta eſt nec in omni ſcorbuti ſpecie recipi poteſt, de hac hic ulterius nihil dicemus.

Cæ-

Cæterum diverſa ſalia alcalina volatilia diverſis doſibus dantur.

Salis ammoniaci volatilis a granis duobus ad ſex, aliorum impuriorum ad grana quindecim in vehiculi unciis tribus quatuorve doſis eſt; ſpirituum vero, ut ſalis ammoniaci, a guttis duabus ad guttas decem, aliorum paulo major: Oleoſorum balſamicorum, quod ſtimulantiora, longe iterum minor; ut ſalis oleoſi SYLVII, & ſimilium: oleoſo-acidorum vero, ut liquoris cornu cervi ſuccinati, guttarum decem, quindecim, viginti, triginta, liberalior. Externe etiam naribus admoventur excitandi fine.



CLASSIS QUINTA.

VENENORUM DRASTICORUM.

AES ſeu CUPRUM *Offic. Mineralogorum.* Ordo Metallorum poſt ignitionem liqueſcentium W. *German.* Kupfer. *Gallis* Cuivre. *Anglis* Copper.

CUPRUM *metallum eſt imperfectum coloris rubri, ſonorum, ferro mollius, admodum ductile, in omnibus fere menſtruis ſolubile, in aere, aqua, ſpiritibus, ſuccis, oleis preſſis,* quale memorabile exemplum *Cl.* MONTET *Acad. des Sciences 1750.* ut viride æris obtinuerit; patet etiam oleis ſtillatitiis, ſalibus alcalinis, acidis, & mediis, ut non immerito chemicis venus dicatur. Inter omnia tamen menſtrua, quod præſentiam cupri indicet nullum eſt, quam ſal alcalinum volatile cum aëre agens; experimentum attentione dignum eſt, ſi limaturæ æris phialæ inditæ ſuperfundatur ad plenitudinem ſpiritus ſalis ammoniaci, vaſque claudatur, ſpiritum nullo colore infici, aperto vaſe, demptaque ſpiritus aliqua portione, reliquam maſſam illico cæruleſcere; aliud phænomenon itidem ſatis curioſum eſt, cuprum acido ſolutum præcipitari ſalibus alcalinis exigua quantitate additis, maxima minime. Ratio adeo evidens, ut dici non debeat.

Inter reliqua vero metalla ferrum & cuprum hoc habent, quod dum una pars limaturæ horum, cum duabus ſalis ammoniaci miſcetur, & igne urgetur, ut in con-

confectione florum ſalis ammoniaci martialium, & entis veneris obvenit, una ſaltem, licet minima ſalis ammoniaci portio in ſpiritum fugacem, & cauſticum ſalis ammoniaci concedat, ut addita calce ſolet; ratio genuina non ſatis laudando MEYERS dicta eſt, dum VOGELIUS ſolum phænomenon recenſeret, nec rationem indigitaret. Cæterum inter manus tritum cuprum etiam odorum, & ſapidum eſt, præ aliis metallis maxime ſonorum, poſt aurum & argentum maxime ductile & malleabile, quod ſub aqua bilance hydroſtatica ponderatum nonam fere ſui ponderis partem amittat.

PRINCIPIA ſunt

1. Vitreſcibilis brunno-rubra terra, ſpecifica cupri vocata: convictio eſt in experimento ſpeculi uſtorii ſolaris.
2. Phlogiſton. Calx æris addito phlogiſto in verum æs reſuſcitata documento eſt.
3. Principium mercuriale, quod hydrargyrum ex hoc ſemper elicitum, multi ſtatuunt, an evictum?

Venenata vi infame ab uſu medico ſemper remotum fuit: Artifices hoc metallum tractantes aſthmate, phthiſi obnoxii deprehenduntur, quin in uſus domeſticos vaſa ex cupro confecta ſtanno obducuntur, ne adeo facile ſolubilis ſalibus venus rodatur, noxiaque evadat. Horrendas ab hac ſtrages omnes recenſent: poſtremo damnavit QUELMALZ, & noviſſime ejus noxas narrat COSNIER *Recueil periodique* T. III. & demonſtravit *Cl.* TRAVIS cuprea vaſa præcipuam in navibus ſcorbuti cauſam exiſtere, licet vaſis cupreis utentes metu liberare jam voluerit LEMERY *Acad. des Sciences*, tum nuper *Cl.* ELLER *Acad. de Berlin.*

Etiam rasuram cupri ad grana decem panis frustulo, cui butyrum esset illinitum, inspersam, & per tres continuos dies assumptam in morsu canum rabidorum, hydrophobiam arcere absque noxiis symptomatibus medicamenti, vidit *Cl.* COTHENIUS, dummodo læsio ante tres horas accidisset.

Ex cupro Adeptos efficacissima remedia parasse *Illustr.* L. B. van SWIETEN asserit, artemque solam in eo esse, ut quodam menstruo, vel peculiari encheiresi, educatur ex cupro medicamentum, quod emeticum non sit, valide tamen corpus commoveat. Recenset talia in chemia BOERHAAVE, recensent & alii. Dum granum vitrioli Cupri in uncia media aquæ solutum per nares attraheretur, insecta, in sinubus frontalibus nidulantia, dolores sævos, & vertiginem molestissimam producentia, enecta, & expulsa fuisse, vidit L. B. van SWIETEN *Comment*. T. IV.

Ens veneris BOYLEI, sunt flores salis ammoniaci venerei, seu sulphur anodynum vitrioli. Tincturam veneris cum sale alcalino factam summe aperientem, & diureticam, a guttis tribus ad viginti quatuor in oxymelle exhibitam, hydropicum curasse, NEUMANN, etiam externe adhibendam in gonorrhœa, cum præcautionibus infallibilem, QUINCY.

PRÆPARATA sunt

CALX ÆRIS seu CALX VENERIS vel CROCUS, est æs in calcem metallicam, vel in furno reverberii simpliciter, vel adjumento sulphuris, vitrioli, salis marini, in crucibulo magno igne exustum.

USUS

USUS internus, licet DIOSCORIDI laudatus, ſuſpectus: externus ad reprimendam luxuriantem carnem, ad abſumendos fiſtularum callos, ad ſtringendum plorans ulcus, adjectis aliis ſtipticis utilis, & forma unguenti commodus.

AERUGO calx eſt æris per acidum vegetabile corroſi, atque hæc factitia eſt; eſt enim & nativa alia, cujus non ſatis cognitum menſtruum ſit.

USUS externus idem eſcharoticus ingreditur unguentum ægyptiacum, viride apoſtolorum, Felic. Wurtzii: ſed etiam contra luem veneream laudatam ærugінem invenio *in Ephemeridibus* N. C. *Centur. VI.* Fit ex ærugine, improprie dicta *aerugo deſtillata*, ſeu ſal veneris, dum ærugo ſoluta, inſpiſſata, ad cryſtalliſandum reponitur. Ex his cryſtallis ſpiritus æruginis ſeu *acetum eſurinum* deſtillatur, particulis venereis, quod ſedimentum demonſtrat, dives, miris laudibus elatum, etiam contra epilepſiam laudatum *in Diſpenſatorio Brandeburg.* Sunt adhuc *flores* æris, *ſquamma* æris, æs *granulatum*, hodie haud uſitata præparata.

AQUÆ CUPREÆ per ſe venenatæ ſunt.

ANTIMONIUM ſeu STIBIUM *Off. Mineralogiae* Claſſis Natur. Minerarum. Ordo Semimetallorum. *Germ.* Spieſglas. *Gallis* Antimoine. *Anglis* Antimony.

STIBIUM fibris capillaribus ſeparatis, ſemimetallum eſt friabile, ponderoſum, igne volatile, rapax; factitium omne eſt, quod in uſus noſtros adhibetur, licet & naturale ſit. Quod vitrum largitur pallide flaveſcens, non hyacinthinum, ferro mixtum eſt, quale

hodie

hodie ex Arvennia habetur, *Cl.* GEOFFROY *Acad. des Sciences 1751.*

PRINCIPIA. I. Sulphur. II. Pars metallica regulina: Primum quidem, quod prunis inſperſum antimonium odorem & flammam ſulphuris communis præbeat: in aqua regis ſolutum verum ſulphur exhibeat: combuſtum ſpiritum largiatur acidum, ſpiritui ſulphuris per campanam ſimillimum, *Acad. des Sciences*, tum quod ſulphur vulgare regulo additum in fuſione iterum regeneret antimonium, ſatis ſuperque demonſtratum habetur. Verum ſulphur hoc a vulgari ſulphure vix diverſum eſt, BOERHAAVE. HOFFMANN. GEOFFROY.

Alterum principium regulus oſtendit. Sed adhuc ipſe regulus ſuo gaudet ſulphure metallico, quo ſi in integrum ſpoliatur, iners, non amplius virulentus eſt, actuandus tamen de novo addito phlogiſto, & adeo virulentum & emeticum jam conſtituens pharmacon, quam ille, qui nunquam calcinatus fuit. Eſt hoc phlogiſton, quod regulum facit, antimonio malleabilitatem tollit, & ejus naturam velat. Quodnam metallum regulum Antimonii conſtituat? huc usque dici non potuit.

Calcinatus lente ſolari antimonii regulus pondere augetur *Acad. des Sciences 1666.* etiam augetur igne chemico, *Cl.* GMELIN in *Actis Petropol.* T. V. ita tamen, ut ultimo dubitet IDEM. Sed etiam in diverſis operationibus pondus diverſum eſt, *Cl.* SECONDAT. *Obſerv. de phyſique & d' Hiſtoire Naturelle.* Quæſita phænomeni ratio eſt, nondum inventa. In bilance hydroſtatica ſe habent gravitates ſpecificæ aquæ, & reguli

guli antimonii non calcinati, ut 1000 ad 6200. aquæ & reguli calcinati, ut 1000. ad 4428. hinc gravitates ſpecificæ reguli non calcinati, & calcinati, ut 6200. ad 4428. IDEM. Verum etiam aliis phænomena diverſa viſa: antimonio igni expoſito ſolenne eſt decrementum pati. *Cl.* VOGEL in programmate *de incremento ponderis corporum calcinatorum Goettingae 1753.* Repetenda experimenta ſunt.

Sed eſtne antimonium crudum venenatum? purum uſtulatum allii odorem non habet, HUXHAM. Antimonii crudi pulvere, ſe ſe rheumatismo, & quartana liberavit KUNKELIUS, in paralyſi, podagra, fluore albo, ſcabie, hodie alii feliciter exhibent, & in doloribus rheumaticis, arthriticis, iſchiaticis, ſcorbuticis, antimonii effectus miratur *Clar.* COHAUSEN, & vidit HEINSENIUS *Nov. Act. Acad.* N. C. *Vol. I.* Contra ſcabiem ſuum, & cancrum armentorum, farinæ hordei permixtum, linguæ impoſitum, & loco affecto applicatum PROMPTUAR. HAMBURG. T. X. & ſanguinem purificare, & equos pinguefacere *Transact. Philoſoph.* No. 39. Teſtatur etiam HUNDERTMARK, antimonii crudi in curanda arthritide, ſi corpus bene præparatum fuerit, ſtupendam quandam, & quam vix quis niſi ipſe expertus, crederet, eſſe vim atque efficaciam, præcipue, ſi id cum calce certa quadam conjunxeris, ejusdemque per aliquod tempus continuaveris uſum; ſed cur arcanus? Adhæc innocuum BOERHAAVE, HOFFMANN, dicunt, etiam drachmæ unius pondere pro doſi HUXHAM. Arſenicale antimonio principium ineſſe, ejus virulentiam inde dependere, demonſtratione aſſerentibus probandum.

Eſt tamen ubi ſummæ virulentiæ effectus edit, acido in primis viis ſtabulante ſolutum, unde ex pruden-

tia

tia minimam dofim, eamque adhuc triplo aut quadruplo abſorbentium pondere temperatam, primo præſcribendam PARISIENSES contendunt, experimento & periculo *Cl.* MALOUIN, qui antimonii crudi in vino digeſti ſolutione auſtera, deguſtata vexatus fuit. Præſcribitur etiam absque abſorbentibus cum aliis; ita minimis doſibus cum cortice Winterano feliciter datur COHAUSEN.

Solvaturne in aquoſis, multa diſputatio. Principia deſunt, & neſcio an ſurrogata in decoctis præſcribentium ſatis fida obſervatio? Sed compulſis experimentis, veritas patebit: In decocto exhibendi antimonii crudi modum experimento improbavit MENGHINI in *Comment. Inſtit. & Acad. Bonon.* T. II. P. II. aqua enim ad tertiæ partis conſumptionem cum antimonio cocta tantum pauxillum terræ calcareæ, nihil ſulphuris continebat. Aqua ſolvit nihil, ſolvit nihil ſpiritus HUXHAM. Saponacea plantarum aciditas in ambo principia agit, & levem tartarum emeticum extrahit IDEM, etiam aqua pluvia, tum fluviatilis, in calore moderato digeſtionis, cum antimonio lacteſcit, & ſulphur ſapit, IDEM. Sic quæſtio judicata eſt. Quid quod cum aqua diu tritum, agitatum antimonium, ſalem dederit acidum, *Chymie Hydraulique.*

USUS MEDICUS a minima doſi incipiendum præcipit, grana exhibens tria, quatuor, ad decem, viginti, cum lapidum cancrorum ſcrupulo, drachma ſemis: Valet in ſcabie, gonorrhœa, arthritide, morbis ſaturninis &c. in petia ligatum ſuſpenditur in decoctis antivenereis, HOFFMANN.

PRÆ

PRÆPARATIONES.

ANTIMONII VITRUM, antimonii calcinati cinis eſt, in vitrum fuſus, vehementiſſimum emeticum, quod cum vino digeſtum aqua benedicta RULANDI audit, addito ſaccharo inſpiſſatum ſyrupus emeticus ANGELI SALÆ. Aquæ hujus benedictæ doſis a drachma una, duabus, ad unciam ſemis. Eſt eadem ſyrupi.

Hoc vitrum antimonii hyacinthinum colorem a ſulphure habet, quem in foco ſpeculi uſtorii calcinatum perdit, & innocuum evadit antimonium diaphoreticum HUXHAM. Tum ex vitri antimonii pulvere, cum oleo vitrioli fumante & aceto frigore concentrato, acetum lithargyrii, quod alteri compoſitioni ex ſulphure aurato antimonii, primæ & ſecundæ præcipitationis, cum oleo papaveris ad ſufficientem ſolutionem cocto, ſeparatis, cum emplaſtro diapompholigos mixtis, unguentum nutritum confecit cancroſis utile *Cl.* JACOBI *Nov. Act. Acad.* N. C. *Vol. I.* Cicutæ extractum ſimplicius eſt.

ANTIMONII VITRUM CERATUM, paratur, dum ceræ flavæ drachmæ uni in cochleari ferreo fuſæ uncia una vitri Antimonii in pulverem tenuiſſimum redacti, additur, & totum leni igne liquatur, & ſpatula continuo actum per ſemi horam in pulverem tabacæ hiſpanicæ æmulum redigitur. In operatione nec ad ignis gradum attendendum, nec ad tempus reſpiciendum eſſe YOUNG, non bene.

USUS MEDICUS in dyſenteriis omnibus ſpecificus, omni ætati, conditioni, etiam prægnantibus, & pueris utilis: lactantibus, doſis granum ſemis, trium, aut

aut quatuor annorum pueris, grana duo, tria, *Society of Edimburgh*, infantibus grana quatuor, adultis quinque ad decem, duodecim *ibidem*. Sed lactantibus, & aliis infantibus, cum circumſpectione exhibendum, hi enim acido ſæpius laborant. Difficile etiam admodum in aliis rectum doſeos punctum aſſequi, PRINGLE edixit. Effectus violentos, & cautelas lege in *Actis Edimburg.* Ignorari vero non debet lapidum cancrorum pulverem huic additum violentos effectus plerumque præcavere, ſicque tutiſſime in dysenteria exhiberi, nilque duarum triumve horarum ſpatio ſuperpotandum eſſe, eſſe etiam ab omnibus acidis maxime abſtinendum, hinc etiam admodum male cum oximelle dari, brevi nauſeas, vomitum facturum non criticum.

In officinis aſſervatum de novo haud terendum, HUXHAM, nec cum aliis multum comminuendum, IDEM. Saccharo tamen, quod conſtanter admiſcet, vim antimonii temperari, ſuſpicatur *Cl.* BASTER *Comment. Societ. Scient. Harlemens.* p. II. In aliis morbis adhuc varii varie laudant, ad omnes alias evacuationes GMELIN, in hæmorrhagiis quibuscunque GEOFFROY *Acad. des Sciences 1745.* in colica Pictonum IDEM. Nuperrime etiam in epilepſia, & mania tentatum, cum ſucceſſu quinquaginta vicibus exhibitum, *Gentleman's Magazine*, & quinque granorum doſim catharri ſuffocativi paroxyſmum ſuſtuliſſe obſervavit *Illuſtr.* BUCHNERUS *diſſert. inaugur. de viribus vitri antim. cerati 1757.*

ANTIMONII REGULUS ex antimonio, vel per ſe ſola fuſione, vel ſalibus fuſoriis additis factus, duplex, prior ex ſola præparatione nomen habet, alter

ter a figura ſtellatus audit. Uterque potenter emeticus, aceto adhuc actuandus. Fiunt ex aliis antimonio additis, reguli alii: addita limatura ferri cum nitro martialis, ſtanni cum nitro jovialis, & his commixtis regulus metallorum, adjecto vero ſale communi cum ſale tartari medicinalis, vix certæ omnes efficaciæ. Regulus martialis de marte habens nihil, edulcoratus diaphoreticum martiale LUDOVICI audit, haud prioribus præſtantius. Similem proponit *Cl.* HUXHAM, ex antimonii puri partibus duabus, limaturæ ferri parte una, nitri puri parte fere una; ſcorias pulveratas edulcoratas efficaces habet in fluore albo & leucophlegmatia.

ANTIMONII HEPAR ex antimonii crudi, & nitri anaticis portionibus per detonationem exurgit. Hoc hepar edulcoratum, ſiccatum, CROCUS METALLORUM, ſeu terra ſancta RULANDI, audit, non ſemper bene præparata, ut tuto exhiberi poſſit; hinc in tanta præparatorum antimonialium incertitudine, longa edoctus praxi vinum emeticum ex puro elicitum vitro præfert HUXHAM, quod ſequenti modo faciendum ſuadet: Bene præparati vitri antimonii uncia una pulverata, infundatur libris duabus boni vini Hiſpanici albi calidi, digerantur decem, duodecim diebus, interdum concutiantur, ultimis diebus ſubſidentibus partibus, decantetur vinum, per chartam emporeticam coletur, vaſe clauſo ſervetur. Doſis pro infantibus unius, duorum annorum, a guttis decem ad triginta, pro adultis uncia ſemis, una, ad duas, ſcopo vomitorio; alterante vero, aperiente, & ſudorifero, adultis a guttis triginta, quadraginta, ad ſexaginta in ſero lactis, potu theiformi, idque bis vel ter de die in morbis cutaneis, inteſtinorum, viarum urinæ, & ner-

nervorum, præcipue in ſcorbuto frigido, aſthmate, leucophlegmatia, ictero, cephalalgiis rebellibus, vertigine, epilepſia, mania, febribus intermittentibus tergiverſantibus, catarrhalibus, etiam inflammatoriis, pulmonum ſuppreſſis ſputis, felici cum ſucceſſu ſæpius exhibuit Anglorum Æſculapius. Reiterata Viennæ experimenta ſunt, infuſione facta in vino Tocavienſi, ſcopo alterante guttæ ſex datæ, & hæ ſatis efficaces inventæ: nonne in vinis eſt differentia? etiam vis emetica increſcit pro tempore, quo infuſio protrahitur, BRADLEY *a Courſe upon the Materia Medica.*

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM detonante tripla parte nitri ſupra unam antimonii producitur. Vera reguli antimonii calx nitro facta, & nitroſo ſale imprægnata, quæ ſi non abluitur, edulcoratur, ſtibium diaphoreticum, non ablutum audit, ſin contra, antimonium diaphoreticum, non abluto ignavius longe, quod lixivium evaporationi, & cryſtalliſationi traditum, præter alia manifeſtius docet, cum cryſtallos ſuppeditet nomine nitri antimoniati notas: Ne ideo tamen omnimode effœtum, quod acido nitri ſale adhuc dives inveniatur, atque id ipſum clarius hujus cum duabus ſaponis nigri partibus detonatio, flammaque *Acad. des Sciences*, auctum compoſiti poſt edulcorationem pondus, MEUDER, tum ex inſtillato vitrioli oleo rubri vapores *Cl.* VOGEL, declarant, obſervationes etiam practicæ confirmant. An ab aere arcendum antimonium diaphoreticum? qui vim emeticam illi conciliare perhibetur, BRADLEY *a Courſe of lectures upon the Materia Medica*, rara obſervatio!

An-

Antimonium diaphoreticum purgantibus mixtum, ſenſibiliter horum vires acuit, manifeſto in pulvere cornachini argumento, BOERHAAVE, abſorbens eſt IDEM, & diaphoreticum: doſis a granis decem ad quadraginta. Stibium diaphoreticum non ablutum incidens, expectorans, in glutine pulmonum utile, & in morbis cutaneis non ſpernendum. Doſis a granis decem ad triginta, etiam major.

ANTIMONII ÆTHIOPS *Cl.* HUXHAM fit ex crudi antimonii tenuiſſime pulveriſati tribus partibus, depurati argenti vivi quatuor, & florum ſulphuris partibus duabus, in tenerrimum pulverem commixtis; laudatur in morbis cutaneis, obſtructis colli glandulis, defluxionibus. Doſis eſt a granis decem ad quadraginta.

TARTARUS EMETICUS diverſis in locis ex diverſis antimonii præparatis confectus, ex croco metallorum, & cremore tartari apud nos, operatione non in integrum probata, quod adhuc calidus liquor filtretur, & ad cryſtalliſationem reponatur, paratur. Cæterum ope cremoris tartari, & croci metallorum paratum, optimum putat *Cl.* ESTEVE in *Quaeſtione IV. pro vacante cathedra Monſpelienſi*, ſed ſolum ad ſiccitatem evaporandum, non vero cryſtalliſandum, quod imbecillior longe fiat, ſuadet IDEM. Sed etiam non cryſtalliſatus in aere quandoque humeſcere ſolet, quod non leve incommodum.

Reguli in diverſis tartaris emeticis quantitatem reſuſcitatione docuit in *Acad. des Sciences* GEOFFROY. Tartari emetici debiliſſimæ virtutis unciam unam, reguli drachmam unam, & grana octodecim, mediæ

virtutis drachmam unam cum ſemiſſe, maximæ drachmas duas, & grana decem continuiſſe viſum, ut regulinæ partis in tartaro emetico doſis pateſcat.

Sed adhuc alia operationis momenta ignorari non debent; vitrum antimonii in pulverem impalpabilem redactum abundantius ſolvi groſſiori, BAME *Journal de Medecine &c. Avril 1761.* libras duas cremoris tartari ſolvere ex anatico pondere impalpabilis pulveris vitri antimonii, uncias viginti tres & drachmas ſex, & ſuppeditare uncias tres ſulphuris aurati, IDEM. Longa nimis ebullitione tartarum emeticum inertiorem reddi, HOFFMANNUS: Tartarum emeticum ebullitione antimonii crudi cum cremore tartari tentari poſſe, & ſic confectum debilem admodum eſſe, GEOFFROY, in vaſe ferreo excoctum deliqueſcere, vix cryſtalliſari, contra vero in vaſe argenteo, BAUME; anaticas partes cremoris tartari & vitri antimonii aquam viridem efficere, deficiente una citrinam fieri, IDEM. Noſtratibus doſis granum unum ad tria per ſe, actuandorum aliorum cauſa granum ſemis, unum, adjicitur.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII, nihil aliud eſt, quam ſulphur antimonii alcali ſolutum, acido præcipitatum, regulo dives, idque obtinetur detonatione hepatis antimonii ex nitri, & antimonii æqualibus partibus conflati, vel ſcoriarum flaveſcentium reguli antimonii ſimplicis coctione, & præcipitatione per acetum, & id quidem ſulphur antimonii auratum primæ præcipitationis vocant; dum vero denuo inſtillato aceto demittitur pulvis, is præcipitationis ſecundæ, & ſic porro habetur.

Primæ

Primæ & secundæ præcipitationis sulphur auratum, violenter emeticum, tertiæ vero mitissimum, deprædicant in catarrho suffocativo præstantissimum, licet tamen etiam primæ præcipitationis tale confecerit ex regulo, nec vomitorium, nec purgans DRENDELIUS, & hujus quidem encheiresis cardo in eo verti dicitur, ut ad confectionem reguli antimonii parva nitri quantitas sumatur, prioribus rebus non commisceatur, sed his superinjiciatur. Repetenda experimenta sunt, & quærenda inventorum ratio.

Cæterum virtus sulphuris antimonii aurati antivenerea probata in *Ephemerid. Acad.* N.C. KLAUNIG, & sulphur antimonii auratum ultimæ præcipitationis multum UNZERUS *Biblioth. Raison.* in catarrho suffocativo, in spasmis, convulsionibus, hypochondriacorum hystericarum, in tussi infantum, in febribus intermittentibus laudat.

Ex sulphure aurato antimonii, & calomel multoties sublimato alterantem suum pulverem in porrigine capitis, aliis morbis cutaneis, faciei, bubonibus, gonorrhœa, gran: quindecim de die partitis dosibus utilem, componit *Clar.* PLUMMER *Society of Edimburg.* T. I. in ischiade pertinaci, & morbis ex impuris, & viscidis humoribus *Nova Acta Acad.* N. C. *Vol. V.* laudant; non minoribus ornatur encomiis a *Cl.* WERLHOFF in *Act. Medic. Edimburg. speciminibus duobus*, *Hanoveranae 1735.* sed minori dosi dandum monet, a grano uno ad tria pro dosi, continuato per plures hebdomades usu, additis etiam pro re nata aliis, siquidem majorem sulphuris antimonii dosim facile vomitum, calomelitis continuati salivam ciere dudum expertus sit; adhæc jam *Illustr.* HU-

GONEM tineam chronicam, achoras, ſcrophulas, ſimili medicamento ex ſuccino, exigua doſi mercurii dulcis, & ſulphure antimonii GLAUBERI, curaſſe, ita etiam martialia cum ſulphure antimonii miſcuiſſe HOFFMANNUM, & auctam horum efficaciam in morbis chronicis adinveniſſe, *Diſſert. Epiſtolari Actis nexa* p. 26. monet IDEM.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII liquidum in *Actis Acad. Mogunt.* T. I. præparatum eſt, quod in leproſo profuiſſe dicitur.

KERMES MINERALE alias etiam pulvis carthuſianorum, eſt ſulphur antimonii auratum, alcali ſolutum, ſola ebullitione paratum, ſulphuri aurato antimonii ſimile, licet alia operatione paratum, HUXHAM: obtinetur, ſi antimonii crudi una pars, olei tartari p. d. una quarta, & duplum aquæ pluviæ per duas horas ebulliant, filtrentur, & de novo eadem quantitas aquæ & nitri fixi addatur, GEOFFROY *Acad. des Sciences.* Totum antimonium fere in kermes redigi poteſt, IDEM, & poſt ſeptuaginta octo vices adhuc extraxit IDEM, quod etiam repetens experimentum *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN, ad finem demum perducere non potuit ita, ut nullum amplius kermes obtineret, ut ex facili in *Quaeſtione VI. pro Cathedra Medica Monſpelienſi vacante: an tota ſubſtantia Antimonii in Kermes Minerale verti poſſit?* affirmet *Clar.* ESTEVE. Drachma una ſic præparati, & edulcorati kermes mineralis continuit ſedecim, ſeptemdecim grana reguli, tredecim, quatuordecim grana ſalis alcalini, quadraginta, & quadraginta unum ſulphuris communis, in experimento *Cl.* GEOFFROY *Acad. des Sciences.* Majori quantitate reguli imprægnatum, violentius emeticum,

ticum, coctione rectificandum in phiala ampla, nova æque, & olei tartari per deliquium dosi, IDEM; potest etiam kermes minerale fusione parari, IDEM.

USUS MEDICUS in glutinosis, pituitosis, pulmonum affectibus, universalis, in pleuritide, peripneumonia ubi aut lentius sputa procedunt, aut suppressa sunt, in tussi ferina infantum cum spermate ceti eximius, in morbis cutaneis, aliisque ex emunctoriorum obstructione ortis, in ipsis febribus autumnalibus, chronicis, HOFFMANNUS, sunt, qui etiam in epilepsia, & spasmodicis affectibus, vel a glutinoso, vel a dyscrasia sanguinis exortis, plurimum deprædicent: Infantibus granum unum cum lapidum cancrorum scrupulo uno, in tres doses dividitur, etiam mellis unciæ semi immiscetur; & de die propinatur: pueris eadem dosis bis de die datur. A granis duobus ad quatuor conceditur adultis, & diei naturalis spátio triginta sex grana pleuritico dedit LEMERY filius: si vero kermes nauseas facit, oleosis, anodynis, balsamicis temperatur, quibus semper maritandus, HUXHAM. Scopo autem diaphoretico in morbis cutaneis omnium optime in vehiculo calido theiformi matutino tempore datur, HOFFMANNUS.

Verum adhuc scire juvat a minori semper dosi incipiendum; variat enim multum medicamentum pro varia præparatione, HUXHAM, abstinendum ab acidis decoctis, vel acescentibus, IDEM. Kermes mineralis drachmam unam cum farinæ liquiritiæ viridis optimæ drachmis sex, exacte miscet, & hunc pulverem granorum viginti, ad viginti quinque dosi, omni trihorio, aut

aut qnadrihorio exhibet, & laudat in *Comment. Societ. Scient. Harlemens.* p. II. *Cl.* BASTER.

TINCTURÆ ANTIMONII variæ diverſis in officinis uſitatæ, nobis illa ZWOELFFERI ſolum habetur.

FLORES ANTIMONII cum ſale ammoniaco factos, in potu aquæ ſimplicis, per intervalla adhibito nitro antimoniato cum radice hellebori nigri, rabioſos plurimos ſanare, STEURLINUS *Ephemerid.* N. C. *Cent. I. Obſerv. 84.*



CLASSIS SEXTA.

VENENORUM MECHANICORUM.

Quæ acutis ſuis ſuperficiebus ſolutionem continui efficiunt, partesque deſtruunt, venena mechanica dicuntur.

ADAMAS *Offic. Mineralogiae* W. Claſſis Naturalis Lapidum. Ordo Gemmarum. *Germ.* Demant. *Gallis* Diamant. *Anglis* Diamand.

Nullis remediis emendari rigidiſſimum hoc venenum poſſe, quod THEOPHRASTUM PARACELSUM e medio ſuſtulit, diſcipuli aſſerunt; primum quidem verum, poſterius forte dubium cenſeri poteſt. Alia exempla haud exſtant.

ALUMEN PLUMOSUM.

CRYSTALLUS MONTANA *Offic. Mineralogiae* W. Claſſis Natur. Lapidum. Ordo Gemmarum. *Germ.* Bergkryſtal. *Gallis* Cryſtale de roche. *Anglis* Cryſtal.

Groſſiuſcule contrita vulnerat, in pollinem redacta innocua eſt, MONTI proprio experimento: præpa-

rata inutilis; laudat tamen contra infantum epilepſiam CRUGERUS *Ephemerid. Acad.* N. C. violenter calcinata acidum bibit, quod igne non vexata reſpuit, GEOFFROY *Acad. des Sciences 1746.* Sed neque obſervare primum MONTIUS potuit *Bononiens. ſcient. & art. Inſtitut.* T. I. An tanto molimine quærendum remedium abſorbens?

VITRUM *Offic.* Claſſis Natur. Artefactorum. Ordo Lapideorum. *Germ.* Glas. *Gallis* Verre *Anglis* Glaſs.

Vitra ex lapide, vel arena vitreſcente cum ſale alcalino colliquatis conflata, diffracta ſuperficies inſtar cultrorum ſcindentes habent, unde etiam rudius trita corpus deſtruere aſſumpta poſſunt.



CLAS-

CLASSIS SEPTIMA.

VENENORUM EXSICCANTIUM &c.

CALX VIVA vide P. II. p. 145.

GYPSUM *Offic. Mineralogorum.* Claſſis Naturalis Artefactorum. Ordo Terreorum. *Germ.* Gips. *Gallis* Platre. *Anglis* Parget.

De lapide gypſeo, igne exuſto, præparatum hoc terreum, album, a calce admodum diſtinctum eſt; in aere enim non fatiſcit in pulverem, nec in aquam demiſſum effervescentiam excitat, ſed illico in lapidis ſpeciem, *plaſtrum* vocant, concreſcit, quod nulla calcinatione in priorem calcem redigi poſſit, *Cl.* IUSSIEU *Acad. des Sciences 1719.* & tamen huic calci nihil niſi aqua acceſſit. Gypſum noſtris viſceribus irreſolubile venenum eſſe, intelligimus ex ingenti totius Germanorum exercitus ſtrage, qui gypſo farinæ admixto periiſſe fertur. Salus in aceto. Podagricos dolores ſuos ſolo pulvere alabaſtrino leniiſſe, PAULLINUS, KELLNERUS, teſtantur.

PLUM-

PLUMBUM *Offic. Mineralogorum.* Classis Natur. Metallorum. Ordo Molliorum ante ignitionem liquescentium. *Germ.* Bley. *Gallis* du Plomb. *Anglis* Lead.

Metallorum omnium cognitorum infimum, *maxime malleabile, non elasticum, nec timiens, coloris ex caesio grysei* PLUMBUM, fusum in superficie nebulam contrahit, quam adeo pertinaciter regenerat dum ablata est, ut etiam totum in hanc fatiscat; hæc *calx plumbi* dicitur, quæ vehementiori igne flavescens *Cerussa Citrina*, intensiori rubra facta *Minium*, & de novo majori igne vexata, fluens, & refrigerata, *Lithargyrus* vocatur.

Ab aere, aqua, rubiginem non adeo facile contrahit plumbum, ut ferrum, & cuprum, sed tantum magis nigrescit, & temporis diuturnitate in cerussam vertitur: oleis non solvitur, licet cerussa, & minium oleis pressis, oleo terebinthinæ, coctione solvantur, & balsamum saturni, vel vernisci constituant. Cæterum patet plumbum tum in coctione, tum in fusione salibus alcalinis fixis, etiam sine his adminiculis salibus urinosis, spiritui salis ammoniaci, cum quibus in mucaginem albam deliquescit. Acida vero maxime hoc metallum referant, quod corrodunt in calcem, solvunt, unde plurima præparata saturnina fiunt dulcia, & in genere omnibus patet menstruis plumbum etiam adipi.

Cæterum imperfectum hoc metallum odorem & saporem habens omnium mollissimum est & sub aqua bilance hydrostatica ponderatum duodecimam fere sui ponderis partem amittit.

PRIN-

PRINCIPIA

1. Terra vitreſcibilis; docet vitrificationis facilitas.

2. Phlogiſton, quod ex calcinatione plumbi manifeſtum, uti etiam cineris addito phlogiſto reſuſcitatione.

3. Mercuriale, quod ſpecifica plumbi gravitas, in igne fluxus, pernicioſi vapores, mercurii ex plumbo eductio, confirmant; ut vel ex hoc poſteriori principio venenati plumbi effectus clarius intelligantur, & jam facile dictu, cur huic metallo multum illaborantes colicam Pictonum, paralyſes, contracturam, tabem patiantur: cur vaſis plumbeis utentes, ut etiam vina nefaria arte per lithargyrium mangonizata ſumentes, ſimilibus afficiantur. In prophylaxi ſalus in pinguibus, oleoſis: In curatione in lacte, emollientibus, nervinis, anodynis, ASTRUC. Acida obſunt. Externe lamellæ plumbi vel ſolæ, vel mercurio obductæ, cancris occultis a nonnullis imponuntur.

PRÆPARATA præcipua ſunt:

MINIUM, calx plumbi igne reverberii in pulverem coccineum, cinnabari æmulum acta; atque in hac præparatione, & minii in plumbum reductione, duo ſatis curioſa obveniunt phœnomena, quod ponderis abſoluti in calcinatione incrementum minium aſſumat, ex centenario viginti librarum WALLERIUS, decem librarum MULLER; id ipſum vero in reductione iterum amittat. Ignis, aut ejus pabulum hoc augmentum facit, HIERNE, bene, quod hodie a cauſtico ſ. acido pingui repetit egregius Vir MEYERS.

Mi-

Minium ad ufus externos in unguenta, & emplaftra recipitur, ulceribus prurientibus, humidis, fcopo exficcante, refrigerante, conftringente, utile. Eft emplaftrum de minio officinis.

LITHARGYRUS fpuma plumbi femivitrificata, a purificatione metallorum refidua, a colore, quo ludit, vel auri, vel argenti, chryfitis, vel argyritis dicta, lævigatur, edulcoratur, exficcatur in ufus medicos; moderate exficcans, adftringens, ad loca excoriata, femorum intertrigines, laudatur. Proftat in officinis unguentum de lithargyrio, quod alias etiam nutritum audit, quia epuloticum, eft cum aceto lithargyrii & oleo olivarum factum; ad ambufta laudatur.

Cæterum & hic loci dici merentur ex lithargyrio, & aceto concinnata ea medicamenta, quibus egregius GOULARD rebelles urethræ morbos curavit, *in libello Memoire fur les maladies de l'urétre, & fur un remede fpecifique pour les guerir, a Montpellier 1751.* Recipit vero medicamentum lithargyrii totidem libras, quot pintas aceti, quæ in aheno per horam vel quinque horæ quadrantes, continuo, agitata fpathula lignea, ebulliunt: ab igne fepofita quiefcit materies, liquor fupernatans fedimento per inclinationem effunditur, & lagenis fervatur; hujus uncia femis ceræ fufæ libræ uni continua agitatione incorporatur, mifcelæ debite factæ tenuia lintea in formam linguæ exfecta immerguntur, convoluta in candelulas effinguntur, urethræ infinuanda.

Sunt vero, quæ in hoc proceffu notes, plurima; primo quidem, lintea debere effe tenuis texturæ, Hollandica, extenfa, lente liquido, nec nimis calido, nec ni-

nimis frigido immergenda, immerſa lente iterum & per gradus educenda, obducta rite, nec guttas amplius ſtillantia, ad refrigerandum reponenda, tum in obliquas linguas conſcindenda, longitudine varia, novem pollicum maxima; convolvuntur in candelulas exiguas, quæ carnoſitatibus ordinariis fundendis ſufficiunt.

Quodſi vero annoſiores, calloſæ etiam ſint, aut fiſtula perinæi ſtipatæ, actuari ſequenti medicamento candelulæ debent. Id vero recipit ceræ uncias ſex, præcedentis liquoris unciam unam ſemis, duas; Huic jam, ſub continua, ut prius, cum ſpatula agitatione, immiſcetur cera, tum remotis ab igne, ut prius, candelarum extremitatem tenuiorem aliqua altitudine immerge, refrigeratam inter duo marmora in cylindrum coge, & utere. Eſt adhuc candelularum ſimplicium, is in caſibus præmittendarum, ubi urethra ſenſibilior, dolentior, formula alia, quæ præcipit, ut ceræ granulatæ libris ſex, ſevi vervecis libræ ſemis, fuſis, olei amygdalini ſine igne preſſi libra ſemis, agitata ſpatula commiſceatur ad perfectam miſcelam, ab igne remotis lintea ut prius intingantur.

Ex aliis conficere cereos docuit L' OLIVE Chirurgus Barcelonenſis; prima pro carunculis conſuetis formula eſt: ℞. Mercurii dulcis drachmas duas, antimonii crudi unciam ſemis, tutiæ præparatæ drachmam unam, rite mixta cum oleo amygdalarum redigantur in formam unguenti. Secunda pro durioribus: ℞. Pulveris ſabinæ drachmas quatuor, aluminis uſti drachmam unam, exacte miſcendo fiat pulvis ſubtilis, in quem cereus aqua gummi tragaganthi gravidus immergitur, qui ſiccus oleo amygdalarum oblinitur, & in urethram immittitur. Candelulæ D. GOULARD præferendæ ſunt.

CE-

CERUSSA, plumbi rubigo, ſeu acido roſa calx alba plumbi, aliis plumbi præparatis valentior, jam DIOSCORIDI vi refrigerante, excreſcentias reprimente nota; eſt cosmeticum familiare mulieribus, nec longo uſu tutum, nec, quod faciem magis denigret, & corruget, utile: Unguentum album ſimplex, aceto ſoluta ceruſſa, addita axungia exurgens, locis excoriatis, ambuſtis, prurientibus proficuum.

ACETUM SATURNI eſt acetum ceruſſa dives.

SACCHARUM SATURNI. Eſt *inſpiſſatum in chryſtallos ſaturni acetum*, verum ſal plumbi, ſaporis dulcis, & adſtringentis. Saccharum ſaturni ex ceruſſa factum facile cryſtalliſatur, ex Minio aut Lythargyrio confectum vix ſi unquam rationem cauſtici ſuppeditat. MEYERS l.c.

USUS externus chirurgis ſemper multus in purganda a maculis cute, ulcuſculisque varii generis abigendis, BOERHAAVE *Chem.:* tollenda partium inflammatione, IDEM; repercutit enim, & refrigerat in ophthalmia, ST. YVES; in ambuſtionibus, MICHAELIS; in coercendo ſcirrho, ne in cancrum eat, BOERHAAVE, HEISTERUS: at hodie cicuta felicius opitulatur. Saccharum ſaturni gangrænam partibus, quibus applicatum, ſæpe inducit. QUESNAY *de la ſupuration.* Internus ſemper ſuſpectus uſus; datur tamen hinc inde ſub finem in gonorrhœis. Sunt qui in phthiſi laudent, ſunt qui in febribus inflammatoriis cum camphora, nitro, aliis, extollant, vide HUNDERTMARK *de ſaccharo ſaturni.*

BAL-

BALSAMUS SATURNI. Eſt ſaccharum ſaturni oleo terebinthinæ ſolutum, in ulceribus ſordidis, atque cancroſis utile, ETMULLER, JUNCKEN, imo & plumbi balſamum cum oleis expreſſis vel ſtillatitiis valere in his, BOERHAAVE in *Chem.* contendit.

PLUMBUM USTUM. Eſt calx plumbi cum ſulphure, calcinatione parata, edulcorata, ſiccata.

STANNUM *Offic. Mineralogorum.* Claſſis Naturalis Metallorum. Ordo ante ignitionem liqueſcentium. *Germ.* Zinn. *Gallis* Etain. *Anglis* Tin.

Metallum imperfectum *cum livore ſplendens*, *fragile*, *ſonorum*, *omnium leviſſimum* STANNUM, ut plumbum in calcem, vitrum, etiam in auras abit, accenſum odorem ſulphureum, alliaceum habet, aliis metallis, recipit vero omnia, ductilitatem demit immixtum.

Etiam hoc inter manus fricatum odorum, tum ſapidum eſt & ſub aqua bilance hydroſtatica ponderatum unam ſeptimam ſui ponderis partem amittit.

PRINCIPIA ſunt

1. Terra alba, alcalinæ indolis, OMNES, ſpecificæ WALLERIUS in HIERNE, difficulter vitreſcibilis, docet vitrificatio.

2. Principium ſulphureum inflammabile, quod etiam per ſe absque addito inflammetur, GEOFFROY *Acad. des Sciences 1738.* quod cum nitro fuſo detonet & deſtillatione ſulphur addito vitrioli oleo largiatur. Cæterum vix non ſemper ſtanno arſenicum ineſt HENCKEL,

GEOFFROY, *Acad. des Sciences 1738.* licet de ejus natura non ſit, datur enim etiam arſenico liberum, MARGGRAFF *Acad. de Berlin.* T. III. ſed vix ad uſum communem tale adhibitum invenitur. Uncia ſemis ſtanni Indici vix non drachmam dimidiam arſenici continet, in Anglico major, maxima in Saxonico ejus proportio eſt. IDEM. *Acad. de Berlin.* Ut merito concludatur perpetuum vaſorum ſtanno obductorum uſum noxium eſſe, maxime ſi acida per noctem in his vaſis ſerventur. Stannum enim venale, ſemper plumbo infectum, acidis etiam debilioribus patet, tum ob plumbum, tum ob propriam ſubſtantiam, purum enim ſtannum etiam his ſolvitur, IDEM. Luculentiſſima experimenta ſtanni Indici, Anglici, & Germanici acido ſoluti, vide *Ibidem.*

USUS in medicina vix multus. Stanni puriſſimi raſi drachmam unam, bis de die cum conſerva vorandam, ad tæniam expellendam nonnulli laudant. Stanni raſi, coralliorum rubrorum, ana drachmam unam, cum conſerva abſynthii, bis de die ſumendam MEAD, & ſtanni pulverem ad unciam ſemis bis in die dari poſſe *Pharm. pauperum in uſum Noſocomii Edimburgenſis*, præcipit, tum contra tæniam primam PLATERI ſtanni unciam unam, theriacæ uncias quatuor pro prima doſi, pro ſecunda altero die exhibenda unciam ſtanni dimidiam, theriacæ uncias duas & pro tertia eandem quantitatem recommendavit & probavit ALSTON *Society in Edimburgh Vol. V. P. I.* In hac vero præſcriptione id ex utilitate & neceſſitate animadverto, *Cl.* virum theriacam Andromachi intelligere non poſſe, ſiquidem in prima doſi unciarum quatuor continentur opii grana viginti novem ad minimum, ipſo *Cl.* viro docente in commentario *de opio* eodem volumine contento, ſed intellige-

igere theriacam Edimburgensem posse, quod, ne alii n errorem inducerentur, addi debuerat. Item mili-tem leprosum brevi tempore scrupulo uno amalgamatis stanni, singulis diebus sumpto, curatum in nosoc. mi-lit: Londinens. in *Recueil Period.* habetur. Datur etiam contra hydrophobiam, perperam tamen, L. B. van SWIETEN.

PRÆPARATIONES sunt:

SAL JOVIS. Crystalli calcis stanni aceto poten-tissimo solutæ, inspissatæ, inutiles.

MAGISTERIUM STANNI. Stanni pulvis acido solutus, alcali præcipitatus, absurdus.

ANTIHECTICUM POTERII calx antimo-nii iners cum calce stanni, omni absorbente deterior, periculosior, STAHL.

SYNOPIS seu RUBRICA FABRILIS *Off. Mineralogor.* OCHRA. Classis Natur. Ter-rarum Ferrearum. Ordo non mineralisatarum. *Germ.* Röthel Kreide. *Gallis* Craye Rouge.

OCHRA *rubra cretacea* WALL. Martialis, sic-cans, & adstringens est; vires in ea laudavit DIOSCO-RIDES emplasticas, conglutinantes, vulnerarias: Ovo sumptam, ut & clysmate injectam, alvum sistere etiam reliquit. Usus hodie solum externus, & is par-cus. Venenata qualitas experimentis non adeo con-firmata est.

His adde venena alia molesta, glutinosa.



VEGETABILIA.

CYNOSBATI ſpongia *Offic.* ROSÆ Sylveſtris *Botanicorum:* Claſſis Naturalis Calycifloratum. *Germ.* Dürre Hieſſen. *Gallis* Eponge d'Eglautier. *Anglis* Spunge of Heps.

CYNOSBATI ſpongia nidus inſectorum eſt, villoſus, hirtus, aqua maceratus tumidior, canum ordinarium venenum, quod aſſumptus expanſus ventriculi orificium ſuperare non poſſit, ſic anxietates, mortem inferat. Multi tamen etiam medicatum faciunt; experimenta deſunt. Fructuum dilutius decoctum in iſchuria, *in Actor. Helv.* Tom. II. laudat HOFERUS, dubio tamen, ut ipſe fatetur, experimento.

FUNGI. *Offic. Botanicorum* Claſſis Natur. Cryptantherarum. *Germ.*Schwämme. *Gallis* Champignon. *Anglis* Mushrom.

FUNGORUM natura jam veteribus ſatis perſpecta fuit; teſtatur DIOSCORIDES, qui fungos alios noxios, alios eſſe eſculentos pronunciavit, & PLINIUS, cibo hoc ancipiti integras familias periiſſe, & jam tum veneni loco uſurpatos fuiſſe reliquit: Tum CLAUDIUM Cæſarem boleto interfectum narrat, NERONEMque Deorum bromam, ſeu eſcam, fungos vocare ſolitum, quia CLAUDIUS, cujus ſucceſſor NERO fuit, inter Deos, a fungo peremptus, eſſet relatus. Noſtrorum temporum monumenta plurimas de venenatis fungis ſtrages habent, imo ex ſolo odore venenati fungi convulſiones, & motus epilepticos, dein mortem, enarrat

rat FORESTUS, ab eſu ſtultitiam IDEM teſtatur, diriſſima mala alii. Salus a vomitu, ſaponaceis, mellitis, anodynis.

PSYLLII Semen *Offic.* Semen PLANTAGINIS *Botanicorum.* Claſſis Pauci-ſtam. *Germ.* Flohſaamenkraut. *Gallis* herbe aux puces. *Anglis* Flee ſeed.

PLANTAGO *caule ramoſo erecto;* Nigrum, pulicibus ſimile ſemen, admodum mucilaginoſum eſt. Vis venenata haud poſt DIOSCORIDIS ſententiam certa, mucilaginoſa ad loca excoriata, ambuſta, ad rigidas, induratas partes emolliendas, utilis. Raro interne datur.

VISCUM QUERCINUM *Offic. Botanicor.* Claſſis Natur. Incomplet. *Germ.* Eichel Myſtel. *Anglis* Miſeltoe of the oak.

VISCUM *Album, foliis lanceolatis obtuſis, caule dichotomo, ſpicis axillaribus.*

Paraſitus frutex ex fraxino, tilia, maxime quercu enaſcitur, delato in has arbores ſemine. Baccas habet candidas, tranſparentes, ſucco tenaciſſimo præditas, unde gluten aucuparium conficiatur, nobis indomabile venenum. Viſcum emollire, diſcutere, extrahere parotidas, tubercula, cæteraſque collectiones ad maturitatem ducere, reſinæ & ceræ mixtum, DIOSCORIDES. Uſus hujus in medicina nullus, ſed ligni ad epilepſiam plurimorum repetitis experimentis deprædicatur, & nuper adhuc ſex epilepticos hoc remedio percuravit JACOBI.

Dosis in pulvere gran. triginta, etiam major, omni trihorio, superbibendo uncias aliquot infusi ejusdem; laudatur infusum adhuc in arthritide, laxitate, solidorum languoribus *Act. Physic. Med.* N. C. *Vol. I.* In hystericis affectibus, & nervorum morbis, convulsione, paralysi, stupendi effectus, BRADLEY; in gravedine, morbis catarrhosis vis visci quercini errhina multum deprædicatur, *Act. Physic. Med. Acad.* N. C. *Vol. VIII.* Per os pota urinam turbidam reddit, & sudorem particularem excitat. *Ibidem.*



CLAS-

CLASSIS OCTAVA.

VENENORUM HETEROCLITORUM ANIMALIUM.

ARANEA *Offic. Entomologorum.* Claſſis Naturalis Inſectorum Apterorum. Ordo, pedibus pluribus, capite cum thorace unito, donatorum. *Germ.* Spinnerin. *Gallis* Araigne. *Anglis* Spider.

Venenatæne ſint in noſtris regionibus Araneæ? vix certis evictum experimentis: HARVÆUS nihil invenit, deſunt aliorum tentamina: In araneæ puncturæ tamen, & hanc ſequente gangræna, eſſentia caſtorei, & ſpiritus ſalis ammoniaci BORNERO laudantur. Ex telis ſericea opera tentata in Galliis, non approbata REAUMUR, easdem ad recentia vulnera, ſanguinis ſiſtendi cauſa vulgus adhibet. De aranea viva ex amuleto ſuſpenſa in febre quartana, ut & de lapide araneæ, non certa fama eſt. De aranearum telæ accenſæ, tumentes extus hæmorrhoides diſſipante vapore, experimenta certiora. An quia ſale volatili gaudet? Sed quibus diſſipandæ, videndum.

TARANTULA araneæ ſpecies, cujus maxima in Apulia, Barbaria, Oriente, frequentia eſt, quæ ſub canicula furioſa aſſultim aggreditur homines, & morſu peſſime nocet, & cum lethalibus ſymptomatibus ta-

rantismum inducit, musica sanabilem. Ita quidem BAGLIVIUS, alii factum negant, & hunc morbum hodie Calabriam afficere, nomine *coccio maligno*, alii statuunt. Est adhuc aranea avicularia, quod aviculis insectis morsu diro serpentino minetur, dicta, haud tuta.

BUFFO *Offic. Amphibiolog.* RANA. Classis Natur. Amphibiorum. Ordo Reptilium. *Germ.* Kroth. *Gallis* Crapaud. *Anglis* Toad.

RANA *Buffo* venenata est, tactu, halitu, potu, maxime vero verrucis lactescentibus, LINNÆUS. Cognoscitur corpore ventricoso, verrucoso, lurido fuscoque: Rana esculenta vero, corpore angulato, dorso transverse gibbo, abdomine marginato. Posteriror recte in cibum, prior præpostere in medicinam vocatur, licet in pharmacopœa Leidensi æthiops animalis pulvis buffonis usti dicatur, & specificus contra variolas deprædicetur.

CANTHARIS *Offic. Entomologorum.* Classis Natur. Insectorum Cleopterorum. Ordo Antennis setaceis. *Germ.* Spanische Mucken. *Gallis* Mouches Cantharides. *Anglis* Spanish Flies.

CANTHARIS *caeruleo-viridis, thorace teretiusculo, foetens,* etiam nostrarum regionum incola, omnium temporum medicis suspecta, jam DIOSCORIDI infamis fuit, & septicum venenum, viis urinariis quam maxime infestum, plurimorum morte notatum, monumenta hodierna satis superque testantur. Omni insecti parti vis caustica urens, & capiti, & alis, & pedibus, & corpori.

Estne

Eſtne camphora hujus antidotum? laudat GREENFIELD, multis perſuadet; ſuntne acida? ita TULPIUS & *in Acad. des Sciences* HOMBERGIUS, & hi ſuos fautores habent. At ſal illud cauſticum, quod reſinoſæ parti maxime ineſt, per experimenta nondum determinatum eſt, etiam poſt tentamina COCKBURN in *Transact. Philoſoph.* quid! quod etiamnum multi acidum habeant: an forte inde cum ſale alcalino dedit hydropico grana aliquot cantharidum GRAINGER? Mirum eſt, cantharides cum acidis foſſilibus efferveſcere diu, ſæpe etiam poſt annum concuſſo liquido efferveſcere de novo, nec unquam ſaturationis punctum aſſequi, aut ejus productum dare. L. B. van SWIETEN. Cæterum cantharides ſanguinem coagulant multiplici experimento, *Cl.* VERATTI *Bononienſ. ſcient. & art. Inſtituti* T. II. P. I. ſerum vero ſanguinis non mutant; extractum veſicans non eſt, nec eſt veſicans ex infuſione reſiduus pulvis: Eſt tamen ubi extractum ſpiritu vini ſolutum rubefacit, IDEM *ibidem.* Sed neque arte chemica ex Cantharidibus obtentus ſal volatilis, ſeu extus ſeu intus detur proprias Cantharidum vires exerit PROBST *diſſert. 1759.*

Cantharidum libra una ſpiritus alcalini uncias tres cum dimidia, olei rufi drachmas ſex, ſalis volatilis uncias duas dimiſit in examine chemico SPIELMANN. l. c.

Internum uſum multi horrent, alii arcanum habent; GREENFIELD tuta praxis Anglis plurimis hodie probata eſt, etiam familiaris in ulceribus viarum urinariarum, harum calculis, in podagra, lepra ob vires diureticas & aliis morbis; tincturam cantharidum extemporaneo uſui proſtare in Noſocomio Regio Edimburgenſi video, & pulverem tenuiſſimum cantharidum, a granis

quatuor ad decem, in aceti optimi unciis duabus coctum, calide epotum, specificum in hydrophobia a KRAMMERO *Commerc. Norimb.* 1735. laudari intelligo; sed experimenta desunt! Quatuor grana cum dimidio, demptis capite, alis, pedibus, cum totidem camphoræ, & conservæ momento, duobus in bolis dedit in urinæ suppressione YOUNG, *Transact. Philosoph.* No. 280. tum ibidem aliis in casibus, ℞. cantharidum præparatarum No. III. Trochisci e myrrha scrupulum semis, seminis Amei grana quatuor, Rob Cynosbati q. s. laudant & in hydrope alii infusas, præscriptione scrupuli unins in unciis quatuor, quinque vini diuretici, juniperini, addito colaturæ syrupo simili assumptione dimidiæ unciæ pro dosi.

Externo usu ad rubefaciendum, vesicandum, omnibus receptus pulvis revellendi scopo in apoplexia, lethargo, cephalalgia, hemicrania, anginis, doloribus arthriticis, ischiadicis &c. Asthmaticorum salutem in vesicatoriis semper invenit in subjectis pituitosis & senibus KLAUNIG *Ephem.* N. C. Eadem delirantium hypochondriacorum certam medicinam esse, Anonymus Obs. I. *Prod. Act. Havniens.* tum & in morsibus venenatis applicata vesicatoria laudantur *Act. Nov. Acad.* N. C. *Vol. I.* & crudelissimo rheumatismo inter scapulas nihil magis prodest, quam vesicatoria superimposita, HUXHAM *de morbo Colico Damnoniorum;* etiam in ulceribus manantibus capitis exsiccatis, & inde orta epilepsia, mitiora, v. g. ex emplastri de meliloto vel laudano uncia una, vesicatorii drachma una, raso capiti applicata laudat *Illustr.* L. B. van SWIETEN.

Cæterum Cantharides contusæ rubefaciente, vesicante scopo varia dosi per se miscentur pastæ, fermento panis, emplastris variis, tali tamen proportione ut in

summa

ſumma ad emplaſtri unciam dimidiam Cantharidum drachmam, in media drachmam dimidiam, & in minima grana quindecim recte præſcripſeris. Ipſa vero veſicantia emplaſtra adplicantur diverſis corporis humani partibus, & ſuris, & femoribus, & brachiis, & nuchæ, & tergo inter homoplatas, quandoque etiam utrique proceſſui maſtoideo, & olecranio; quibus in caſibus ſuper varias corporis humani ſedes dari debeant, hæcque illa convenientior ſit, & reſcindi queat, ex judicio practico peti debent:

Et indicantur

I. ubi generali ſtimulo ad augendam ſanguinis circulationem opus.

II. ubi retrocedentibus variolis orthopnœa, anxietas delirium, aut ſuppreſſa evacuatione alia mala oriuntur, hinc ubi in partem nobiliorem metuendus humorum decubitus.

III. ubi decumbens jam in parte materia evocanda ut in fluxionibus rheumaticis, pleuritide &c.

Contra indicantur

I. ex vehementia febrilis ignis.

II. in ſopore variolarum, qui ex vi febris & turgore vaſorum oritur TYSSOT *de variol.*

III. in vehemente ſuppurationis varioloſæ febre IDEM.

Cæterum in hac tractatione id adhuc ſcire convenit ſimul emulſiones, vel decocta emollientia, mucilaginoſa, intus danda, ne viæ urinariæ, quas frequenter læ-

lædunt, offendantur, alias enim urina cum ſummo dolore redditur, & nonnunquam cum ea ſanguis deſcendit, quibus rebus & lac & emulſiones antea dictæ pariter opitulentur, certiſſime vero eæ levamen ferant emulſiones, quæ cum camphora factæ BALDINGER *de militum morbis 1763.*

LACERTA *Off. Amphibiologorum.* Claſſis Naturalis Amphibiorum. Ordo Reptilium. *Germ.* Salamander. *Anglis* Lizard-Salamandre. *Gallis* Salamandre.

LACERTA *Salamandra* Europæ incola, cognoſcitur *cauda tereti, brevi, digitis muticis, corpore poroſo nudo:* In igne vivere antiquitus ferebatur; confirmaverat experimentis Eques CORVINUS. Sed *Cl.* MAUPERTUIS in *Acad. des Sciences* omnes riſit. Animal corpore poroſo lac fundit, quod igne in formam perlæ induratur, IDEM. Hoc lac acrimoniæ eſt ſtypticæ, & tithymalum animale vocat *Cl.* MAUPERTUIS, pro pſilothro haberi LINNÆUS perhibet. Animal venenatum non eſt.

LACERTA *Gecko* in Indiis habitans, pedibus ſuis venenum exhalat in eſculenta.

LEPUS MARINUS *Offic.* TETHYS *Syſt. Natur.* Claſſis Natur. Vermium. Ordo Molluſcorum.

TETHYS *Leporina corpore rubro, margine membranaceo, auriculis duabus*, in mari mediterraneo habitans, gravidis ob fœtorem infeſta PLINIO, GESNERO obſervata, alias venenum peculiare non alit.

SCOR-

SCORPIO *Offic. Entomologorum.* Claſſis Naturalis Inſectorum Apterorum. Ordo pedibus pluribus, capite cum thorace unito, donatorum. *Germ.* Scorpion. *Gallis* Scorpion. *Anglis* Scorpion.

SCORPIO *Europaeus pectinibus octodecim dentatis, manibus ungulatis*, caudam ſub aculeo mucronatam habet; venenatus, ictu non ſemper lethali *Acad. des Sciences 1731.* Vulneri oleum ſcorpionum applicatur, quod etiam in ſuppreſſione urinæ, dolore nephritico, illinitur lumbis, pubi, perinæo etiam injicitur. Ignorari tamen non debet, multarum harum beſtiarum venenum non in omnibus locis idem, ſed varium, dici; ſcorpiones Italicos innoxios, magis tamen iis in Apulia periculoſos, in Africa vero ſumme venenatos habet RHEDI, nec tarantulas æqualiter omni anni tempore venenatas BAGLIVIUS, & innocuam ictu viperam vidit CAMMERARIUS *in Differt. Epiſt.* &c. Ultimo demum repetitis experimentis innoxios ſcorpiones MAUPERTUIS pronunciavit *Acad. des Sciences 1731.*

SERPENS *Offic. Amphibiologorum.* Claſſis Naturalis Amphibiorum. Ordo Serpentum. *German.* Schlange. *Gallis* Serpent. *Anglis* Snake.

Peſſima tetraque animalia, horrendo veneno, in diverſis diverſo, gaudentia; quod humanæ ſtultitiæ cumulus, adhuc hodie divinis honoribus honeſtantur!

CROTALLUS *horridus* dictus, in America degens, venenatiſſimus eſt. Lædit etiam Dryinas, Duriſſus. Horridi antidotum Senega habetur.

CO-

COLUBER *Aſpis* nullo percepto dolore ſomnum inducere creditur, & ita periiſſe CLEOPATRAM noviſſimam Ægypti Reginam. An Galliarum illa aſpis veterum ſit, multa dubitatio. Sed etiam Coluber *Cherſea* venenatiſſimus, & morſu ſæpius lethalis in Suecia, LINNÆUS, ab aſpide non ſatis diverſus, IDEM. Ceraſtes tetanum, Seps, gangrænam, Dipſas inexplebilem ſitim, Preſter emphyſemata, faciunt. Coluber *Naia* Indiæ Orientalis omnium eſt venenatiſſimus. Antidotum Ophiorrhiza. Coluber *Vipera* Ægyptiis in officinis adhibitus etiam morſu lædit, ut *Berus*.

TORPEDO *Offic. Amphibiologorum* RAIA. Claſſis Naturalis Amphibiorum. Ordo Nantium. *Germ.* Zitter-Fiſch.

RAIA *Torpedo* proprie veneno emiſſo non nocet, ſed motu adeo ingrate tremulo, attacta ſtuporem facit. *Acad. des Sciences 1714.*

RAIA *Paſtinaca corpore glabro, aculeo longo, anterius ſerrato, in cauda apterygia*, cognoſcitur, ULYSSIS fato infamis. In cauda aculeum venenatum gerit piſcis, gangrænam immedicabilem, DIOSCORIDI deſcriptam, inducentem.

VIPERA *Offic. Amphibiologor.* COLUBER. Claſſis Naturalis Amphibiorum. Ordo Serpentum. *Germ.* Viper. *Gallis* Vipere. *Anglis* Viper.

COLUBER *ſcutis abdominalibus CXLV. ſquammis caudalibus XXXVI.* Hodie ex Italia ad nos pro uſibus medicatis allatus, hominem, aut alia animalia

non

non nisi læsus aggreditur, mordet, quod etiam a trunco solutum caput multo cum periculo fecit. Anatomen animalis, sedem veneni, RHEDI primus patefecit; morsu virus habent, & fatum dente minantur, pocula morte carent. Antidoton sal volatile viperarum invenit CHARRAS: Alcali volatile aliud oleo succini unitum profuit, JUSSIEU, *Acad. des Sciences* 1747. Oleum olivarum, *Philosoph. Transact.* deprædicatur, quod tamen inutile deprehensum in experimentis sociorum *Acad. des Sciences.* Axungiam viperæ etiam proponit MEAD.

VIS MEDICA jam antiquissimis temporibus nota: ab his theriaca Andromachi dicta; & duobus elephantiasi laborantibus poculum, in quo vipera extincta fuerat, epotum saluti fuit, GALENUS; & pertinacissimam lepram vino viperino sanatam, posteriori tempore vidit MEAD. Sed etiam ANTONIUS MUSA AUGUSTI medicus, cum incidissent insanabilia ulcera, viperas edendas dabat, miraque celeritate persanabat, teste PLINIO. Jusculenta hæc emollientia sunt, inviscantia, alcalescentia, in causa acida proficua; nimis forte universaliter magnatibus omnibus recepta. Viperarum exsiccatarum pulvis absurdum pharmacon est. Trochisci insulsi. Sal volatilis viperarum tolerandus, alteri haud superior. Pinguedo morbis oculorum amica & salubris, in India orientali multi usus. HANS SLOANE *Acad.* N. C. *Vol. X.*

RABIOSORUM ANIMALIUM VENENUM etiam huc referendum; atque id mirabile venenum diversis animalibus rabidis proprium, corporibus etiam inanimatis inhærens, mortuum, viventibus communicari potest, & in universum morsu, vel levissi-

vissimo, per sola vestimenta adacto, tantum radente, & eliciente sanguinem, spiritu in pulmonem ducto, spumæ recentis, vel etiam jam dudum exsiccatæ contactu, labiis, linguave exceptæ, osculo rabidi, infectione instrumenti vel contrectatione vulneris, rerum infectarum, esu lactis carnisve animalis rabiosi &c. communicatur.

Antidotum certum nondum inventum; laudatur moschus, camphora, asa fœtida; multum extollitur pulvis antilyssus Anglorum, quem tamen minime *Illustr.* WERLHOFIUS probat, sic & mercurio elicita deprædicatur salivatio; & nuper casu fortuito se recommendavit acetum liberaliter haustum; cantharidum pulverem plurimi laudant a granis IV ad X in aceti optimi unciis duabus coctum, calide epotum KRAMERUS *in Commer. Norimberg.*; quam vocat divinam medicinam CATANI *riflessioni Fisico-Mediche sopra di un nuovo antilysso. Napoli 1756.* Sic compositam exhibet:

℞. Pulv. piper. long. elec. drach. duas semis.
Canthar. optimu pulverat. scrup. duos.
M. F. P.

Valet ad omnem morsum canis, aut alterius animalis rabidi, ita tamen, ut solum duabus, ad summum tribus vicibus consecutivis exhibeatur: & quidem granorum septem dosi, annum septimum ad decimum agentibus, granorum novem a decimo ad decimum octavum provectis, adultioribus vero granorum decem ad summum undecim: imperando simul ut duabus a singula medicamenti assumptione horis, scutella una alterave jusculi cicerum rubrorum ex tota eorundem

substan-

ſubſtantia ſine ſale confecti, ſuperpotetur, ab omni vero carne maxime porcina abſtineatur. Illuſtris autem WERLHOFIUS *in Wichmanni diſſertatione* medicamentum ſequens maximi effectus & ſucceſſus comprobavit

℞. Canthar. granum unum.
Mercur. dulc. gran. unum ſemis.
Turbith. miner. gran. ſemis.
Camphor. grana decem.
Mucilag. Gummi Tragaganthi q. ſ. ut fiant Pilulæ.

Quæ ſumantur pro doſi, & repetantur ſingulis diebus per ſex ſeptimanas.

In aquam frigidam immerſio hydrophobiam ſæpe ſuſtulit, quam tamen hodie multiplici argumento, eoque convincente, improbat NUGENT. *An eſſay on the Hydrophobia*, vulneri vero a morſu canis rabidi facto ſalitum halecem per 24 impoſitum, dein aliquoties renovatum nonnulli recommendant; cauteriſare vulnus, idque profunde ſcarificare, & unguento mercuriali intingere alii ſolent.

Iratorum aliorum animalium, quibus in dente venenum, morſus lethales ſæpe viſos vix miramur, ſed etiam illorum, in quibus nullum eſt, ſtupemus. De morſu anatis irati venenato, & mortifero obſervationem communicavit LE CAT *in Recueil periodique d'obſervations de Medecine, de Chirurgie, & de Pharmacie, Paris.* T. I. An vero ex ira animalis, an ex

ſimplici oris labii ſuperioris vehementi morſu & vellicatione, mors ruſtici? diſquiri adhuc poſſet. Iratus canis multos dente ſæpius, haud venenato vulnere, ferit.

VARIOLOSUM VENENUM adeo ſæpe generi humano funeſtum, dum in conſtitutione epidemica confluentes facit puſtulas, ſalutiferum evadit inoculatis multiplici & irrefragabili experientia, loquuntur Noſocomia Anglica, Gallica, Italica, & alia, integræ Regiones de ſervatis civibus lætæ, & hodie inoculatio Theologorum approbatione, principum juſſu, civium voto ſecura eſt. De methodo inoculandi vero legendi Authores.



CLAS-

CLASSIS NONA.

VENENORUM SPECIE HALITUS PERIMENTIUM.

ARSENICALIUM AURA vide p. 33. &c.

CARBONUM accenſorum in loco clauſo VAPOR omnibus hominibus, & animalibus lethalis per plurimos triſtes caſus deprehenſus fuit; an evaporat noxii aliquid de carbonibus? aeris ſupra carbones accenſos undulatio, ponderis jactura, id ſuadent, cum ex carbonum libris ſedecim vix libra una cinerum obtineatur, ut igitur illius noxii, quod cauſticum vocat MEYERS, libræ quindecim exhalent; atque id etiam in iisdem experimentis evidens eſt, quæ comprobant ſalis alcalini ſolutionem cauſticam reddi magis ardente aut recenter exſtincto, injecto carbone. Altera quæſtio eſt, an id exhalans aeris elaſticitatem deſtruat, hac deſtructa perimat, aut per ſe lethale ſit? an illico ipſam captivat mentem? Natura huc uſque dicta non eſt, effectus funeſti tum ab his, tum a glebarum uſtilium Belgis familiarium uſu obſervati.

Remedio eſt aeris permutatio, adjungit venæ ſectionem, vomitum, ſpirituoſa LODBERG, FRIIS *Prod. Act. Havniens.* In omnibus ſuffocationis generibus, in quibus in pulmones ſanguis congeritur, ut a fumo carbonum, & ſulphuris, & candelæ, ab antrorum peſtiferorum vapore, ab aere non renovato, a vapore

F 2 fo-

fodinarum carbonariarum, ex aere in pulmones vi inflato magnam ſpem alit *Maximus* HALLERUS *Element. phyſiolog.* T. III. exemplum addens ex *eſſays of a ſociety at Edimb.* T. V. n. 55. *Phil. Trans.* n. 475. *Art. XI.* A frictione irritatione partium nervoſarum, a corporis agitatione, volatilibus naribus admotis, venæ ſectione, etiam aquæ frigidæ perfuſione ſalus, teſte *Cl.* BOUCHER *Journal. Encyclop. Julliet. 1760.* Præſervationis ſcopus adimpletur ſalis in carbones ignitos veteri de more inſperſione.

LITHANTRACUM VAPOR. Omnium infenſiſſimus, maxime is, qui totam fodinam carbonariam obſidet; cum enim & accenſum lumen, & ardentes carbones extinguat, eodem, ac in antlia pneumatica educto aere, phænomeno, reſpirantes illico afficit, & brevi extinguit.

Miſeris remedium propoſuit in *Actis Upſal. 1740.* TRIEWALD, vultque protractum in apertum aerem in ventrem reponendum, osque foramini, in terra effoſſo ceſpite patenti, obvertendum, ceſpite caput tegendum; inde ut plurimum levari, ſuperſtite ſola quandoque capitis gravitate, aſſerit IDEM: jam in *Philoſoph. Transact.* propoſitum legimus idem remedium. Etiam in *Actis Upſal.* alia, ut & in *Edimburgenſibus* methodus curandi habetur.

Præter priorem hunc fodinarum carbonariarum vaporem, alter ſub forma telarum aranearum viſibilis, lampadis flamma inflammabilis, effectus tonitrui, & pulveri pyrio ſimiles producens, obſervatur, de eoque ſequentia experimenta in *Philoſoph. Transact.* inſtituta habentur. Eques LOWTHER raro ſucceſſu veſicam bovinam hoc vapore implevit, & Academiæ Londinenſi miſit; poſt menſem adaptato ex fiſtula tabacaria tu-

tubulo veſicæ orificio, & accenſa candela admota, vapor ſenſim expreſſus inflammabatur, ut ſpiritus vini, nec, quam diu in veſica vapor ſuperfuit, flamma extincta eſt; hac occaſione arte ſimilem vaporem produxit *Cl.* MAUD, dum uncias octo aquæ communis drachmis duabus olei vitrioli miſcuiſſet, & in matratio longi colli his adderet limaturæ ferri drachmas duas; ex effervefcentia enati vapores, veſica excepti inflammabantur ad candelam, ut priores, quæ res dein clariſſimis viris, tum in naturam hujus vaporis, cauſam motuum terræ, montium ignivomorum, ut & ſubterraneorum incendiorum, inquirendi anſam dedit.

Verum quia etiam hic fodinarum carbonariarum vapor lethalis eſt, qui luſtrandus ſit, in *Actis Upſal.* iterum edocet *Cl.* TRIEWALD. Jubet deſcendere aliquem in fodinam linteo madido obvolutum, tum in terram pronum baculo, cui in extremitate accenſa candela alligata eſt, eum quærere locum, quo hic erumpit; quo invento flammam toto loco accendi tumultu horribili tonitruante, quo ceſſante aerem depuratum eſſe aſſerit. Ventilator SUTTONII hodie in Anglia, & Gallia in eundem ſcopum adhibetur.

Sitne lithantracum fumus utilis, ut contendit HOFFMANNUS? Sitne conſumptionis in Anglia cauſa, ut plurimi alii ſtatuunt? Carbonum foſſilium fumum aptiſſimum purificando aeri, & huic elaſticitatem conciliando, maxime ſi is humidus, & ſpiſſus fuerit, inde pateſcit, quod Halæ Magdeburgicæ ſcorbutus, febres exanthematicæ, malignæ, tum etiam phthiſis, morbi admodum frequentes fuerint ante uſum lithantracum in fodinis ſalinis hujus urbis, ab illo vero tempore quo his copioſe admodum utuntur, diſparuerint quaſi, HOFFMANN. *Opuſcul. Phyſ. Chemic.* Aer vapori-

 bus

bus ſulphureis ſcatens etiam phthiſicis plurimum utilis, ut Tabi montis prope Neapolim FROMOND *Riſpoſta apologet.*

Octo libræ carbonum foſſilium ex Scotia allatarum, e retorta ferrea, igne per gradus aucto, dein vehementiſſimo, dedere ſpiritus volatilis urinoſi, odore ſpiritum fuliginis referentis, uncias tredecim, unciam ſalis volatilis unam, olei odore & colore olei petræ uncias ſex, URB. HIERNE l. c. *Tent. IV. de ſale volatili urinoſo in regno minerali.* Sed etiam acidum continent, IDEM *Tent. V.* licet neget *Cl.* POTT. veſtigia enim acidi in carbonibus & fuligine, demonſtrari poſſe in oleo, his in corporibus latente, WALLERIUS credit.

Ultimo nec id ignorari debet duum generum lithantraces eſſe, hos aut manifeſto ſulphure aut pyrite inſtructos, illos puriori bitumine infectos; quia accenſi ſulphurei nihil exhalent POTT *Send-Schreiben 1760*, & in univerſum in duas componi carbones hos foſſiles poſſe, in eam, quæ in combuſtione cineres, & eam, quæ ſcorias largiatur. LEHMANN. l. c.

AER DIU INCLUSUS. Etſi is jam per ſe omni viventi lethalis ſit, etiam flammam candelæ extinguat, ut triſtes primum caſus, iique numeroſiores, quam recenſeri poſſint, ſecundum tentamina, & experimenta phyſica evidentius commonſtrant, eſt tamen exhalationibus aliis inquinatus adhuc longe deterior & certius mortiferus. Quæ res quemadmodum claris ſtat experimentis, ita ſub diverſo capite ordinis cauſa dicenda. Sed cur demum ipſe concluſus, purus, adeo lethalis aer? an deſtruitur incarceratus? an illud adeo neceſſarium in illo emoritur vitæ pabulum? an perit elaſticitas? difficilis quæſtio.

AER

AER DIU CONCLUSUS ANIMALI EXHALATIONE GRAVIDUS. Si corporum animalium effluvia admodum corruptibilia ſint, docet aqua balneorum aliquantulum ſervata, cadaver olens, ARBUTNOT, *of air*, hæc aerem concluſum corrumpentia magis, majorem ei labem conciliare debent. Aer puteorum, cyſtarum, cadavera continentium, quoties non ſubitas induxit mortes? Carcerum aer mortales ſæpe produxit ægritudines, ut amplo caſu, licet triſti, evincit BACO VERULAMIUS. Sepulturarum aer, maxime cavernarum ſubterranearum, in eccleſiis plurimis lethalis, numeroſis obſervationibus *Cl.* SAUVAGE *Act. Upſal.* 1742. *Cl.* HAGUENOT. *aſſemblée publique de la ſocieté Royale des ſciences de Montpellier* 1747. *Cl.* BRUHIER *de ſignis mortis*. Aer Xenodochiorum ab omni tempore admodum inſalubris deprehenſus, dum incluſus, unde varia conſilia corrigendi aerem Xenodochiorum a *Cl.* DU HAMEL proponuntur *Acad. des Sciences* 1758. & loco aperto, & aere perflato, Xenodochia ædificantur, & extra urbes, ſepulturæ exſtruuntur. Imo ne hodie quidem mortuus in eccleſiiis ſepeliri unquam deberet; vide omni numero abſolutam diſſertationem *combien il eſt dangereux d'enterrer dans les egliſes, & d'habiter prés des cimetieres.* GAZETTE ſalutaire 1761. N. IX. X.

AER CONCLUSUS EXHALATIONIBUS MINERALIUM CORRUPTUS. Etiam admodum noxius eſt. In fodinis promontorii Bonæ Spei adeo teter exhalat vapor arſenicalis, ut nullum animal circum circa vivere poſſit. In Carniolia ex ſola hac cauſa morbi regnant epidemici. In inſula Ternata mons eſt ignivomus aerem mire corrumpens, & incolarum ſanitati infeſtus, BOYLE. Sulphurea ex lapicidinis ad aquas Pyrmontanas effluvia, aves interimunt, *Cl.* SEIP. *Trans.*

Philoſoph. No. 448. Etiam a ſulphureis exhalationibus vegetabilia infici, & gramen gregi id comedenti inſalubre factum *Trans. Philoſ.* tum fodinarum aliarum noxiæ exhalationes recenſentur *ibidem.* Etiam ad thermas Boulidou Perol ſterilitatem camporum obſervari, nec ſata creſcere cerealia, & illa, quæ creſcunt, venenato ſucco impraegnata deprehendi, *Cl.* HAGUENOT. *Aſſemblée publique de la ſocieté Royale des ſciences de Montpellier 1743.* An ad hunc, vel primum numerum, revocari debent peſtifera illa effluvia in Grotto del Cane juxta Neapolim? illa noxia putei Perol? HAGUENOT. l. c. putei Holſatiæ? quem deſcribit *Cl.* HANNÆUS *Gazette Salut.* No. XLII.

CONCLUSUS FODINARUM AER, VAPOR. Qui etſi in antecedentibus peſtifer pronunciatus, hic magis, quia concluſus, criminandus venit. Et quidem ut res clarius illuſtretur, in nonnullis fodinis quatuor vaporum ſpecies inveniuntur. 1. eſt communis dicta, quæ, accenſæ candelæ flamma in orbem coacta, ſenſim dein extincta, cognoſcitur: effectus hujus in corpus humanum ſunt, animi deliquia, convulſiones, ſuffocatio; raro mors, ſi aer externus concedatur. 2. eſt floris piſi, ob odorem ſic dictus vapor, vix lethalis. 3. Omnium peſtifera, forma ſphærica, cute cincta, in ſumma fornicis parte magnis aditibus patente, ſuſpenſa, omnes ſuffocans diffuſa; hæc igne luſtratur accenſo. 4. Species fulminans eſt, comburens, lethalis ſæpe, & hæc fodinis carbonariis etiam familiaris eſt. *Trans. Philoſoph.* No. 117. In fodinis Hungaricis ſimiles lethales ſæpe vapores obſervantur, ut quotidiana convincit experientia.

Saluti eſt tubus ſatis capax, & amplus, adverſus loco, ubi is erumpit, ventilator, tormentum miſſile, ſunt etiam alia. Igne non ſemper bene aer in fodinis luſtratur; *Philoſoph. Tranſact.*

FU-

FUSORIARUM PLUMBI FODINARUM VAPOR. Plurimis mortalibus lethalis, inductis post sævissima symptomata comate, aut apoplexia, WILSON. *Society of Edimb.* T. I. Aves occisas, necata pecora, circa has pabulum quærentia, IDEM. Præservativa remedia sunt, oleosa, pinguia fercula pro jentaculo, IDEM, curativa, vina emetica, purgantia, clysmata, IDEM.

FUMUS ACCENSI SULPHURIS. Omnia animalia respirantia necat; demonstravere hinc inde hanc veritatem incauti chemici, & doliarii; idem profitetur incruentum phaseanorum furtum: pulices ita necari, raro experimento BROWNE LANRISH. *Experiments with sulphur.*

VINI FERMENTANTIS HALITUS gas sylvestre, quod ob vim heteroclitam capi non posset, HELMONTIO dictus, apoplexiam, morte absolutis fatuitatem, paralysim, hemiplegias, & alia mala causat imprudentius haustus, ut ubique locorum, ubi mustum in cellis vinariis fermentat, annua observatione confirmatur.

ATMOSPHÆRA ANIMALIUM PUTREFACTORUM. Cadaverum fœtor sæpe vomitus, febres excitavit, quod infinitis confirmatum exemplis. Hominum non sepultorum strages pestem teste LIVIO. *Ambros.* PAREO, fecere. Sed etiam ex ingenti locustarum acie, accumulata, putrescente, similia narrat DIODORUS SICULUS, & *Magni* POMPEII exercitum ex equorum non tumulatorum vi peste correptum, HISTORIA.

ATMOSPHÆRA PUTRIDARUM AQUARUM. Ex hac peste vexata SELENIS, quam EMPEDOCLES sustulit teste PLUTARCHO, dum continuum

illis defluxum conciliaret. Alia vide apud *Cl.* CLIFTON WINTRINGHAM. *a Treatiſe of Endemic diſeaſes explainig the different Nature and proporties of airs, ſituations, ſoils, Waters, Diet, London 1752.*

ATMOSPHÆRA ÆDIFICIORUM RECENS EXSTRUCTORUM RECLUSA. Ex calce extincta, in ædificiis recenter exſtructis, venenati aliquid exhalat; rheumatiſmos, arthritidem, & varia alia mala inde obſervavit CHENEAU, hemiplegiam immedicabilem L. B. van SWIETEN, alii alia.

ATMOSPHÆRA VEGETABILIUM NOXIORUM. Anagyridis nemora fœtidiſſima cephalalgiam ſæpe induxere, LINNÆUS *de Viribus plantarum.* Dracontium odore intolerabile, IDEM. Lethalis etiam fungorum noxiorum odor, BOERHAAVE. Hippomane Europæos quam plurimos Surinamum appellentes ſolo halitu occidit, LINNÆUS. Juglandis, ſambuci umbræ, ex veterum traditione etiam nobis ſuſpectæ ſunt, & febrem ſynochum induxere, LINNÆUS, & gravis juglandis umbra etiam alvum ſiſtit, IDEM. Lini, & Cannabis effluvia, ut & maceratorum in aqua vegetabilium horum potum, lethalia eſſe, & ea inſtinctu naturali animalia omnia averſari *Cl.* NEUHOLD. *Nov. Act. Phyſic. Med. Acad.* N. C. *Vol. III.* Nerii flos cubiculo incluſus, morte dormientium ſæpe infamis fuit, LINNÆUS *de Odoribus Medicamentorum.* Poſſent adhuc dici quam plurima.



MA-

MATERIA CHIRURGICA.



MATERIÆ CHIRURGICÆ.

PRIMA CLASSIS.

REPERCUTIENTIA.



Exterius applicata Remedia, humores vel in vaſis contentos, vel extra vaſa effuſos repellentia etiam ulteriorem impellendorum decubitum in parte aucta ſolidorum in fluida actione, impedientia, REPERCUTIENTIA proprie dicuntur, licet quæ poſterius efficiant, DEFENSIVA Chirurgis ſtrictius vocentur.

INDICANTUR. *I.* In periodico in partem blandorum humorum decubitu, prophylaxios ſcopo. Sic gelu vitiatis partibus maturius nix applicatur: Continuus in oculos humorum affluxus ut impediatur, oculi aqua ſingulis diebus prudenter foventur, ALARY *dans la queſtion propoſée de l' Acad. Royale de Chirurgie pour le prix de 1740. determiner les differentes éſpeces des Remedes repercuſſifs &c.*

II. In

II. In doloribus, extenſionibus aponevroſeos, ligamentorum, nervorum, tendinum diſtenſionibus. Dolor dentium frigida quandoque tollitur, frigida ſæpe diſtortum membrum reſtituitur IDEM.

III. In anevriſmate vero, varice, applicata glacies ſæpe auxilio fuit.

IV. In prolapſu ani, uteri, poſt reductionem.

V. In vulneribus recentibus, ut inflammatio, fluxio, tumor, prævertantur; quam in rem ipſa continui ſolutio aqua aluminoſa ſæpe irroratur, etiam vicinæ partes repercutientibus muniuntur, IDEM.

VI. In inflammationibus recentibus, ut in phlegmone, apoſtemate, ophthalmia, odontalgia, angina, carbunculis, ambuſtione, *Cl.* KULBEL. *in ejusdem Quaeſtionis propoſitae Reſolutione.*

VII. In ſuppurationibus cancri, ægylopis, hæmorrhoidum cæcarum impediendis, IDEM. Suppuratio tamen in cancro externo, cicuta tentato, impedienda non eſt, quæ in interno cavenda.

VIII. In nimio humorum effluxu, ut in hæmorrhagiis, ulceribus continuo plorantibus.

CONTRAINDICANTUR vero *I.* In humorum acrium, malignorum decubitu, in tumore, vulnere, ulcere malignis, in carbone, bubone, tam peſtilentiali quam venereo, ſcabie, eryſipelate, podagra, intertrigine.

II. In decubitu critico.

III. In

III. In plethoricis, cacochymicis.

IV. In rheumaticis, arthriticis, podagricis doloribus, tum aliis vehementioribus QUESNAY. *de la suppuration.*

V. In omni inflammatione obfirmata, ut etiam in idiopathica; si aliquid præcedentium vetat, KULBEL. in inflammatione maligna, QUESNAY, tum glandulosa, IDEM.

VI. In evacuatione nimia sanguinis, naturali, vel naturæ solemni, ALARY.

Sunt vero repercutientia ex multiplici, ratione qualitatis, materie deprompta, hæc refrigerando, illa adstringendo, tum & nonnulla anodyno effectu, repellunt, unde classis horum triplex.

I. REFRIGERANTIA.

EX REGNO AQUEO.

Aqua simplex frigida.

Nix.

Glacies.

EX REGNO VEGETABILI.

Acetosa.

Alsine.

Ana-

Anagallis.
Endivia.
Fabaria.
Lactuca.
Lens palustris.
Nymphea.
Portulaca.
Pomorum pulpa.
Sempervivum majus.
minus.
Sem. IV. frigidorum major. } Pultes.
minor. } Emulsiones.

EX REGNO ANIMALI.

Albumen ovi.
Lac.
Lactis cremor.
Serum.
Sperma Ranarum.
Succus Cancrorum.

EX REGNO MINERALI.

Nitrum. }
Sal ammoniacum. } Soluta.
Plumbum. }

OFFI-

OFFICINALIA COMPOSITA.

Acetum ſimplex.

Oxicratum.

Emplaſtra. Diapompholig.
De ſpermate Ranarum.
Saturninum &c.

Unguenta. Album.
Alabaſtrinum.
Comitiſſæ.
De Ceruſſa.
De Lythargyrio.
Infrigidans GAL.
Populeum. &c.

II. ADSTRINGENTIA.

EX REGNO VEGETABILI.

Acacia. *Cort. Succus.*

Alchimilla.

Anſerina.

Balauſtiorum *Flores.*

Biſtorta.

Berberis.

Equiſetum.

Fructus, omnes immaturi.

EX REGNO ANIMALI.

Sepiæ atramentum.
 os.

EX REGNO MINERALI.

Alumina.
Bolus Armena.
 Bohemica.
Calces bibulæ adſtringentes.
Ceruſſa.
Croci.
Cretæ.
Lapis Calaminaris.
 Hæmatites.
Lythargyrium.
Lutum fornacum.
Minium.
Saccharum ſaturni.
Thermarum martialium ſedimentum terreum.
Terræ Sigillatæ.
 Albæ.
 Rubræ.
Terra pavimentorum nigra.
Tutia.
Viride Aeris.
Vitriolum.
Vitrioli Colcotar.
 Terra dulcis.
Zinci flores.

OFFI-

OFFICINALIA COMPOSITA.

Olea. Liguſtrinum.
Myrtinum. &c.

Emplaſtra.
De Lapide Calaminari.
Diapalmæ.
Defenſivum.
Stypticum Crollii &c.

Unguenta.
De Lythargyrio.
Diapompholigos.

Vina.
Auſtera.
Rubra.

Vinorum Rubrorum Fæces.

III. N A R C O T I C A.

EX REGNO VEGETABILI.

Bella donna.
Crocus. Ejus *praeparata.*
Hyoſciamus.
Papaver. *praeparata.*
Solanum.

OFFICINALIA COMPOSITA.

Olea. Hyoſciami.
Papaverinum.
Emplaſtra.
De Cicuta.
Narcoticum Mynſichti.
Unguenta.
Anodynum.
Populeum compoſitum.

Et hæc quidem ea ſunt, quæ potiſſimum in hanc cauſam recenſeri poſſunt; eſt tamen judicio in his omnibus chirurgico opus, cum enim in triplici hac claſſe nonnulla potentiora ſint, ſint & imbecilliora alia, quibus utendum, præſens caſus ſemper inſtruere debet: Eſt ubi ex binis claſſibus diverſa feliciter conjungas, tum ubi hæc potiora, illa deteriora obſerves: Sed hæc per regulas tradere nimis longum. Non reticendum tamen, quod jam olim HIPPOCRATES bene monuit, ſimilia inveteratas inflammationes denigrare, tum quæ GALENUS edixit, vehementi jam in parte inflammata incuneatione facta, repercutientibus non amplius utendum eſſe, quibus & ea addi pulcherrima poſſunt, quæ in hos textus *Illuſtriſſ.* L. B. van SWIETEN commentatur.

Narcotica quod ſpectat, ea quidem ex ſua natura non adeo damnoſa, modo ſopito per hæcce dolori, non nimium fidat medicus, L. B. van SWIETEN, *Comment.* T. I. p. 366.



CLAS-

CLASSIS SECUNDA.

RELAXANTIA.

Quæ in fibris tenſionem, irritabilitatem, dolorem tollunt, easque elongant, RELAXANTIA habentur.

INDICANTUR vero hæcce.

I. Ubi major in parte inflammata irritabilitas, elaſticitas nimia, aut vibratio, hinc ubi per repercutientia reſolutio ſperari non poteſt.

II. Ubi in parte nimia ſiccitas.

III. Ubi in eadem nimia rigiditas.

IV. Ubi nimia contractio.

Contraindicantur in contrariis.

Cum vero nonnulla relaxantium ſolum humectando, alia emolliendo, alia iterum temperando agant, etiam horum triplex ſtatuenda claſſis eſt.

I. HUMECTANTIA.

Aqua moderate calida.
Aquæ Calidæ vapor.
Balneum.
Fomenta plantarum aquoſarum moderate calida.
Similia ſaponacearum plantarum.

II. EMOLLIENTIA.

EX REGNO VEGETABILI.

Vide T. II. p. 3. seq.

EX REGNO ANIMALI.

Adeps.

Axungiæ omnes.

Butyrum.

Medullæ.

Olea pressa.

Et hæc quidem pinguia circumspectius adhibenda, ut & emplastra his facta, quod fervidam inflammationem illico denigrent, alios casus vero potentissime juvent, quod illico relaxant.

COMPOSITA OFFICINALIA.

Olea omnia mollia.

Unguentum de Althæa.

Populeum.

Emplastra.

Diachylum simplex.

De mucilaginibus.

III. Tem-

III. TEMPERANTIA.

EX REGNO VEGETABILI.

Farinæ
Cerealium.
Secalis &c.
Leguminum
Fabarum
Lupinorum &c. } coctæ in Aceto vel Lacte, decocto emollienti.

Furfures.
Cerealium.

Pulpæ. Cassiæ
Pomorum.

Mica panis.

EX REGNO ANIMALI.

Lac.

Stercora animalium, Vaccinum &c.

Postrema hujus ordinis remedia quandoque emollientibus, quandoque anodynis magis combinanda, ut sævities symptomatum leniatur. Omnia tamen relaxantia, præprimis emollientia, vix diu parti imposita, ne inde suppuratio certius cieatur, relinquenda; dolore, irritatione, tensione, remittentibus auferenda.

IV. ANODYNA.

Antea recensita. p. 147.

CLASSIS TERTIA.

RESOLVENTIA.

Quæ humores inter ſolida ſtagnantes in minores partes ſolvunt, inde obſtructionem, partis tumorem, motus impotentiam auferunt, RESOLVENTIA: quæ eosdem attenuant, dividunt, ATTENUANTIA, quæ diluunt, DILUENTIA ſtrictius dicuntur.

Materies his haud adeo diverſa, eſt tamen quæ magis in ſolida, eſt quæ in fluida magis agat ſalina.

INDICANTUR I. Prioribus ſecundum exigentiam applicatis, inflammatione tamen nondum reſoluta, etiam in phlegmone œdematoſa.

II. In œdemate.

III. Tumoribus cyſticis.

IV. Tumoribus ſcirrhoſis.

V. Tumoribus æreis.

VI. Obſtructionibus aliis.

Verum quia humoris profunde impacti reſolutio obtineri ſolum poteſt, vel elaſticitate, irritabilitate, tenſione ſolidorum minutis, ſi aucta ſint, vel ſolidorum actione adaucta, ſi imminuta ſit, vel demum adauctis diametris, ut obſtruens molecula tranſire, vel humorum minuta mole, ut per anguſtias tranare poſſit, in totidem claſſes hæcce diſtribuenda reſolventia ſunt; cum

cum vero, quæ elaſticitatem, irritabilitatem tollunt, tenſionem in ſolidis minuunt, relaxantia, emollientia ſint, eadem vaſorum diametrum adaugeant, contrahi hæc duo capita in unum poſſunt.

I. RESOL. RELAXANTIA.

Ex Humectantibus.
Emollientibus.
Temperantibus.
Anodynis.
} conflata, priori capite dicta ſunt.

II. RESOL. STIMULANTIA.

LENIORA.

EX REGNO VEGETABILI.

Apium.

Artemiſia.

Betonica. *Herb. flores.*

Chamomilla. *Herb. flores.*

Chamæpitys.

Chærophyllum.

Cicuta major. *interne, externe, omni forma.*

Daucus.

Fœniculum.

Hedera Terreſtris.
Hypericon. *Herb. flores.*
Marrubium.
Melilotus.
Sambuci *flores.*

FORTIORA.

Abſynthium.
Vulgare.
Romanum.
Aniſum.
Arnica.
Arum.
Aſarum.
Bryonia.
Carvum.
Coriandrum.
Cuminum.
Ebulus. *Folia, cortex.*
Eupatorium.
Hyſſopus.
Iris. *Rad. Succus.*
Imperatoriæ *Radix.*
Juglandis folia.
Juniperus. *Folia. Baccae.*
Lavendula.
Lauri. *Fol. Baccae.*
Lupulus. *Herb. Turiones.*
Majorana.
Meliſſa.
Mentha.

Peta-

Petasitis.
Polium.
Pulegium.
Rosmarinus.
Ruta.
Sabina.
Thuya.
Sambuci *cort. med. Fol.*
Saponaria.
Semina IV. calida Majora.
Minora.
Scordium.

EX REGNO ANIMALI.

Cantharides.

EX REGNO FOSSILI.

Alumen plumosum.
Arena calefacta œdemati applicata.
Ammoniacum sal. *Flores.*
Petroleum.
Salia fere omnia maxime, vero alcalina in morbis frigidis.

OFFICINALIA COMPOSITA.

Ex Gummatibus simplicibus.
Ammoniaco.
Bdelio.
Euphorbio.
Galbano.
Opopanace.
Sagapeno.
} *Aceto Solutis*

Ex aceti ſimplicis aut medicati vapore.

Oleis. Plantarum aromaticarum

Acrium.

Euphorbii.

Cucumeris aſinini.

Nicotianæ.

Philoſophorum.

Ceratis de cumino &c.

Emplaſtris

Diachylo.

De galbano.

De vigo ſimplice.

Cum mercurio.

Gummato.

Ireato.

Unguentis

De Artanita.

Neapolitano.

III. RESOL. ATTENUANT.

EX REGNO AQUEO.

Aqua.

EX VEGETABILI.

Debiliora in cauſa calida, vide *Refrigerantia.* 143.

Ci-

Cichorii.
Endiviæ.
Tragopogoni.
Taraxaci.
Scorzoneræ. *Decocta, ſucci.*
Sambuci flores &c. infuſi.

EX REGNO VEGETABILI.

Fortiora in cauſa frigida.

Allium.
Alliaria.
Armoracia.
Beccabunga.
Cochlearia.
Cepa.
Eruca.
Eryſimum.
Naſturtium.
Piperitis.
Porrum.
Raphanus. *Herb. Pulpa. Succus.*
Scordium.
Sinapi. *ſemina.*
Thlaſpios *ſemen.*

EX REGNO ANIMALI.

Serum lactis in inflammati resolutione utile.

Millepedes. *Pulvis*, *Succus*, in pituitoso magis.

EX REGNO FOSSILI.

Sales.

Ammoniacum.

Borax.

Nitrum.

Mercurius, & Mercurialia.

OFFICINALIA COMPOSITA.

Ex Camphora. Camphoratis plerisque

Mellitis.

Saccharatis.

Cineribus clavellatis.

Saponibus *tam liquidis quam solidis*, solutis.

Tartari *sale*. Oleo per deliquium.

Omnia hæc resolventia non omnibus conveniunt casibus, ut ingens pro indole morbi in his selectus. In inflammatione resolutio ut obtineatur, relaxantibus incidentia feliciter adduntur. Fortiora stimulantia œdemati, tumori cystico, aereo, scirrhoso, opponuntur. Incidentia stimulantibus fortioribus etiam juncta in tumore aquoso, pastaceo præscribuntur, relaxantia potissimum in erysipelate.

CLAS-

CLASSIS QUARTA.

SUPPURANTIA.

SUPPURANTIA, ſeu pus moventia, etiam maturantia, & concoquentia aliis dicta, illa habentur auxilia, quæ ſuppurationem, vel arcentia, vel retardantia impedimenta removent, eaque, quibus puris generatio perficiatur, requiſita ponunt. Equidem aliter hæcce definiri non poſſunt, quod ipſa natura concoquat, & puris generatio a ſanitate ſuperſtite dependeat, BOERHAAVE, *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN. Cum igitur ſuppuratio naturæ, non medicamenti, effectus ſit, totum quod arte fieri poteſt, eſt, ut tollantur illa impedimenta, quæ boni puris, vel in vulnere, vel in abſceſſu, generationem prohibent, reliqua natura ſibi ſemper ſufficiens perficit. IDEM.

Indicantur ubi omni reſolutionis ſpe excîſa, tumor, calor, dolor, rubedo, & reliqua ſymptomata in parte inflammata augentur, non quidem ſumma cum velocitate, ſed continuo tamen incremento, IDEM. In hoc vero naturæ medicæ negotio, ſcrupuloſiori attentione opus, ut ea, quæ ſuperaddi debent auxilia, rite intelligantur. Eſt enim ubi juvari non poſtulat: eſt ubi refrænari, eſt etiam ubi incitari velit, tum ubi quandoque binas poſtremas indicationes repletas deſideret; unde quatuor ſuppurantium Claſſes.

I. Quidem ubi natura ſibi ſufficit & pars ſolum ab aere externo arcenda, fovenda mollibus, humidis.

II. Ubi

II. Ubi relaxanda eſt eadem.

III. Ubi ſtimulanda.

IV. Demum ubi, & emolliri, & ſtimulari ſimul pars debet.

I. HUMIDA. MACERANTIA.

Dum artis auxilio, nec fræno, nec calcare indigens natura, carere poteſt, ſed inimicus ſolum arcendus aer eſt, calor, & humiditas in parte ſuppuranda conſervanda ſunt, quæ omnia ex moderamine ſymptomatum intelliguntur, tum demum hæc indicantur. Forma remediorum, fomenti, cataplasmatis.

EX REGNO VEGETABILI.

Acetoſa.

Armeniaca mala *cocta.*

Avena *cum aqua cocta, farina.*

Beta.

Braſſica.

Ceraſa.

Chondrilla.

Cichorium.

Dens leonis.

Endivia.

Fraga.

Hor-

Hordeum.
Lactuca.
Mercurialis.
Mora.
Parietaria.
Pomorum *pulpa.*
Raparum, *assatarum*, *coctarum* pulpa.
Secale *farina*, *panis.*
Spinachia.
Triticum.
Uvæ.

EX ALIIS.

Aquæ calidæ vapor.
Cera.
Pix.
Stercora animalium *blanda*, *humida.*

II. RELAXANTIA.

Quando tensæ in parte inflammata carnes, membranæ emolliendæ, humorum minuendus impetus, impacti acris rodens vis corrigenda, vel demum gangrænæ metus adest, indicantur, maxime autem in anthrace, furunculis, QUESNAY. In contusionibus nulla solutione continui facta, præsente magna inflammatione, dolore, urgentibus pervigiliis, & imminente partis suffocatione, GRASHUIS. His tamen sæpe re-

 sol-

ſolventia miſceri debent, IDEM in quæſtione ab inclyta Academia Regia Chirurgica propoſita pro præmio 1746. *determiner ce que c'eſt que les remedes ſuppuratifs, &c.* A ſpecie tamen relaxantium oleoſa, & oleis omnibus in vigore inſtammationis pertinacis abſtinendum, ne pars nigreſcat citius, QUESNAY. Tum & hæc in parte corporis elaſtica ſcrupuloſius vitanda, ut in tendine, MUNNICKS, in nervo, IDEM, nec inflammato oſſi ſuperponenda, quia corrumpitur, HILDANUS, HEISTER. Sed huic irritantia conveniunt, ut euphorbium, ESCHENBACH, eadem in quæſtione ab *inclyta* academia regia chirurgica propoſita *Determiner ce que c'eſt que les remedes ſuppuratifs &c.* Forma horum, vaporis, fomenti, cataplaſmatis, unguenti, emplaſtri.

EX REGNO AQUEO.

Aquæ calidæ vapor.

Vapor decocti emollientis.

EX REGNO VEGETABILI.

Althæa. *Folia*, *Radix*, *Mucilago*, *farina.*

Alcea. *Folia*, *Radix*, *flores.*

Arabici *Gummi*, *Mucilago.*

Branca Urſina.

Caricæ pingues.

Ficus.

Lilii albi *Radix.*

Lini. *ſemen*, *farina*, *oleum.*

Malva.

Paſ-

Paſſulæ Majores.
Minores.
Semina mucilaginoſa
Cydoniorum.
Lini.
Pſyllii.
Symphyti radix.
Verbaſcum.

EX REGNO ANIMALI.

Animalium ſtercora mollia.
Hominis.
Vaccarum.
Animalium pinguedines.
Anatis.
Caponis.
Porci &c.
Pinguia alia.
Butyrum.
Ceti ſperma.
Lactis cremor.
Medullæ.
Vitellus ovorum.

Pus ipſum maxime ſuppuratorium, MONRO *Society in Edimburg*. Vol. V. P. I. & in carie oſſium ſicca gangrænoſa utile balſamum, IDEM, unde etiam partium glandulosarum ſuppuratio exſpectanda, & cruda nunquam incidenda glandula eſt, ut aliqui inflammatis mammis faciunt.

OFFICINALIA COMPOSITA.

Gummata

Ammoniacum Bdelium Galbanum &c.	*oleo ſoluta.*

Olea varia Preſſa

Amygdalarum dulcium.

Lini.

Olivarum.

Raparum.

Cocta, emollientia, quæ cæterum a Chirurgis laudantur, inutilia ſunt.

Oleum ceræ.

Unguenta

Altheæ.

Baſilicon.

Populeum.

Cataplaſmata, de mica panis cum lacte.

Herbar. aceſcent. ſub cin. aſſat.

Emollientium.

Emplaſtra

Diachylon ſimplex.

De Gummatibus.

Mucilaginibus.

Malacticum.

De ſpermate ceti.

III. STI-

III. STIMULANTIA.

Indicantur *I.* ubi inflammatione non resolvenda natura exstimulanda, ut incitato parum motu felicius succedat suppuratio, præcaveatur scirrhus L. B. van SWIETEN, ubi in parte suppuranda tensio nulla adest, sed potius indolentia, ESCHENBACH *in quaestione de suppurantibus pro praemio ab Inclyta Academia Regia Chirurgica proposita.*

II. In inflammatione œdematosa.

III. In inflammatione in gangrænam tendente, ex causa maligna principium vitale debilitante, QUESNAY l. c.

IV. In inflammatione in gangrænam terminata, ESCHENBACH Q. c.

V. In glandulosis obstructionibus, non resolubilibus, nec tamen scirrhosis, GRASHUIS Q. c.

In hac ampla remediorum messe magna delectus esse cura debet, exigua tamen illi, qui naturam inflammationis, intensitatem ejus, & aliorum morborum conditionem exactius introspexerit. Sic rubefacientia, & corrosiva hujus speciei, partibus gangrænosis jam tutius, quam adhuc inflammatis admoventur, ut & tumoribus saccatis, excrescentiis carnosis, fistulosis, ulceribus suppurandis.

Forma varia cataplasmatis, unguenti, pulveris.

EX VEGETABILIBUS.

Abrotanum. *Herb.* } Summit.
Absynthium. *Herb.* }
Alliaria.
Allii bulbus, *assatus*, *coctus*.
Aristolochiæ radix.
Cepa, *cocta*, *assata*.
Cicuta, magis resolvens, minus calida.
Cortex medianus
Ebuli,
Sambuci.
Crocus.
Juniperi *baccae*.
Ruta.
Seminum IV. Calidorum Majorum } farina.
Minorum } cocta.
Sinapi *farina*.

EX ARTEFACTIS.

Camphora.
Farinæ melle subactæ.
Olea stillatitia.
Salia
Ammoniacus.
Borax.
Terebinthina.

OFFICINALIA COMPOSITA.

Oleum Euphorbii.
Myrrhæ per deliquium.

Un-

Unguenta
Basilicum.
Maturativum.

Emplastra
Diabotanum.
Diachylum cum gummatibus.
De galbano crocatum.
Vesicatorium.

FORTISSIMA RUBEFACIENTIA.

Alumen ustum.
Ari Radix.
Bryoniæ Radix.
Cantharides.
Euphorbium.
Fermenta animata.
Olea Empyreumatica
Cornu cervi &c.

Oleum Philosophorum.
Tartari per deliquium.
Spiritus acidi concentrati.
Sulphuris.
Vitrioli &c.

Spiritus salis ammoniaci.
Butyrum antimonii.
Lapis infernalis.
Lapis causticus.
Mercurius sublimatus.

IV. EMOLLIENT. IRRITANTIA.

Indicantur potiſſimum in inflammatione partium glandulofarum, ſiquidem hæc in his in ſcirrhum ex facili tranſit, L. B. van SWIETEN, QUESNAY.

Forma unguenti. Emplaſtri. Cataplasmatis.

EX VEGETABILIBUS LENIORA.

Gummi

Ammoniacum Bdelium. Galbanum Opopanax Sagapenum &c.	Soluta aceto magis, vitello ovi minus ſtimulantia.

EX ALIIS ACRIORA.

Caſeus putridus.
Fel taurinum.
Fermenta.
Olea Rancida.
Sapo niger.
Theriaca.

COMPOSITA OFFICINALIA.

Emplaſtra.

Diabotanum.
Diachylon cum gummatibus.
Divinum.
Ireatum.

Tum

Tum medicamenta No. II. & III. varia combinata forma, huc faciunt omnia.

Et hactenus quidem de omni suppurantium medicamentorum specie actum est; est tamen adhuc de his in genere tenendum, suppurantia a digestivis non adeo distincta esse, suppurantia maturando abscessui dicari, digestiva abscessui rupto, ulceri maturando impendi, utrinque, ut pus bonum laudabile fiat, imponi. Quoniam tamen etiam digestiva alio capite chirurgis recensentur, ea hic subnectere lubet.

I. DIGESTIVA EMOLLIENTIA.

SIMPLICIA.

Propolis.

Adipes *liquatae*.

COMPOSITA.

Unguentum.

Altheæ.

Basilicum.



II. BALSAM. STIMULANTIA.

SIMPLICIA.

Balſama,

Copayvæ.

Peruvianum.

Opobalſamum.

Terebinthina.

COMPOSITA.

Balſamum Arcæi.

Tinctura Aloes.

Myrrhæ.



III. ADSTRINGENTIA.

SIMPLICIA.

In Mat. Med. T. II. dicta.

COMPOSITA.

Mel Roſatum.

Aqua Calcis, potius ſiccans.

IV. ESCHAROTICA.

Vide rubefacientia fortiora ſub tertia ſuppurantium ſpecie. Cæterum hæc partibus nervoſis applicari non debent; quæ enim has mordent, non raro convulſiones ciere ſolent.





CLASSIS QUINTA.

DETERGENTIA.

DETERGENTIA, deterſiva, etiam mundificantia, ea dicuntur remedia, quæ ex vulnere purulento, vel ulcere, omnia auferunt obſtacula, ut vulnus coire, ulcus compleri poſſit. Verum cum hæcce obſtacula tam ab ipſo pure vel qualitate, vel quantitate peccante, quam a corruptis vaſorum, & mortuis extremitatibus ponantur, medicamenta detergentia his obveniant neceſſe eſt, ut vel inde multiplex horum claſſis, & varia forma intelligantur. Indicantur vero detergentia in omni ulcere, excepto cancroſo, in quo lenientia ſolum conveniunt, FLEURANT *dans la Queſtion pour le prix 1746. determiner ce que c'eſt que les Remedes deterſifs &c.*



I. DETERG. DIGESTIVA.

Hæc in omni abſceſſu rupto, ulcere primis ſtatim diebus, ut ſemimortua vaſorum extrema, ſuperficiem ulceris conſtituentia, a vivis abſcedant partibus ſicque reddantur puræ, L. B. van SWIETEN, indicantur. Non eſt tamen his diu inſiſtendum omnium conſenſu, ſiquidem marasmum, & carnem fungoſam inducunt, LOUIS *dans la Queſtion propoſée des deterſifs 1746.* maxime, ſi ex ſolis emollientibus pingui-

bus

bus conſtent. Et in integrum his abſtinendum, ſi ulcus vividam firmam carnem habet, ſi digeſtiva in ulcere dolorem cauſant, & mordent, FLEURANT Q. c. Quæ vero forma lavamenti præſcribantur, ſequentia ſunt;

Abſynthium.
Alliaria.
Enula Campana.
Hedera terreſtris.
Hypericon.
Hyſſopus.
Marrubium.
Mentha.
Pulegium.
Veronica.
Virga aurea &c.

Quæ forma unguenti.

PINGUIA EMOLLIENTIA

Albumen ovi.
Axungiæ.
Olea preſſa.
infuſa.
cocta.
Pinguedines.
Seva.

BALS. LIQUIDA STIMULANT.

Copayvæ.
De Mecha.

Pe-

Peruvianum.
Terebinthina &c.

BALS. SICCA STIMULANTIA.

Myrrha.
Olibanum.
Styrax.

Eſt, ubi pinguia ſolum, ſed raro, eſt, ubi hæc cum balſamis varia inter ſe commiſcentur proportione, ut jam major vis emolliens, jam ſtimulans major, pro ipſius ulceris conditione habeatur. Sic ex balſamo nativo quocunque, vitello ovorum, & melle, digerens tale medicamentum optimum conficitur, L. B. van SWIETEN. Si ulceris ſuperficies rubere, puris imminui quantitas incipiat, eſt ab oleoſis abſtinendum, ut & digeſtivis aliis ſtimulantibus.

OFFICINALIA COMPOSITA.

Syrupi.	Abſynthii Enulæ. Hederæ Terreſtris. Hyſſopi &c.	in unguenti formam cum melle acti.

Unguenta.
Apoſtolorum.
Baſilicum.
Digeſtivum &c.

Sapones aqua ſoluti, oleo, ſyrupo, unguento mixti, unguenti vel lavamenti formæ inſerviunt, & efficaciter omnino detergunt.

II. DETERG. IRRITANTIA.

Irritantia tum ulceribus immittuntur, dum a prioribus non ſatis excitata natura, mortuarum a vivis ſeparationem fibrarum efficere haud potuit, hinc ulcus mundatum non fuit. Acriori itaque ſtimulo opus. Et quidem præter balſama priora, quæ minuta ſolum pinguium quantitate, etiam digerentia irritantia ſunt, formæ lavamenti inſerviunt.

EX REGNO AQUEO.

Aquæ minerales ſalinæ, & ſulphureæ, quæ diverſis in regionibus variæ nobis ſunt:

Aquæ Egranæ Carolinæ Badenſes	in lotione, embroca.

Formæ huic, vel alteri, unguenti nempe, famulantur.

EX REGNO VEGETABILI.

Antiſcorbuticæ, omnes acres plantæ.
Perſicaria urens.
Ruta.
Sabina.
Scordium &c.

EX REGNO ANIMALI.

Urina vel ſimplex, vel virtute præcedentium dives,
Bilis animalium.

EX

EX FOSSILI.

Alumen. Etiam adſtringens.
Sal Ammoniacum. } Mordacia.
 Borax.
 Marinum.
Vitriolum, etiam adſtringens.

OFFICIN. SIMPLIC. COMPOSITA.

Mel } Leniora.
Saccharum.
Sapo.
Tinctura
 Aloes.
 Myrrhæ.
Aqua phagadænica.

FORTISSIMA.

Alcalinorum ſalium lixivia.
Alumen uſtum.
Calx æris.
Viride æris.
Mercurius præcipitatus Ruber.
 Sublimatus corroſivus.
Lapis infernalis.
Unguentum Ægyptiacum.

Quæ omnia variis inter ſe modis pro caſus neceſſitate combinantur. Notandum, corrodentia hæcce ultima, ulceri ſordido rebelli, etiam fungoſa carne luxurianti, tantum convenire, his novam inflammationem, & ſuppurationem moveri, eſſe igitur ſemper his detergen-

gentia digeſtiva mollia ſuperponenda, ut eo facilius eſchara ſecedat.

III. DET. ANTIPUTREDINOS.

Sæpe etiam ex ulcere fœtidus ichor manat, colore nigro lintea inficiuntur, inſtrumenta tinguntur; tum quæ putredini reſiſtant, indicantur, LOUIS. Hæc vero multum variant pro indole & natura ulceris, a cauſa ſpecifica exorti; ita in venereo ſemper mercurialia his adduntur, in ſcorbutico ſuccus citri, gummi laccæ tinctura aluminoſa, ſpiritus ſalis marini, in cancroſo vis cicutæ commiſcetur, in ſcrophuloſo oxymel ſquilliticum, & alia, antiputredinoſis balſamicis junguntur.

Forma varia eſt.

EX SIMPLICIBUS.

Acetoſellæ *Succus.*

Aurantiorum Acidorum }
Citri } *Succi.*
Limoniorum }

Acetum.

Omphacium. *Simul adſtringens.*

Tartarus, acidus, & ſalinus.

EX COMPOS. OFFICINALIBUS.

Acetum Rutaceum. *Simul vulnerarium.*
Theriacale. *Stimulans.*

Mel Roſatum.

Oxymel ſimplex.
Squilliticum. *Incidens*, *ſtimulans*.
Oleum Terebinthinæ.
Spiritus Vini. *Coagulans*.
Camphoratus.
Salis marini } *Simul cauſtici*.
Nitri dulcis. }
Tincturæ
Aloes } *condientes*.
Myrrhæ }
Gummi laccæ, ſpirituoſa.

Et hæc quidem præcipua horum materies eſt, non tamen in omni putrido ulcere conveniens omnis, quod ſpiritus vini in ulceribus cerebri, cerebrum a corruptione haud præſervet, QUESNAY *Memoir. de l'Acad. de Chirurgie* T. I. bene vero oleum terebinthinæ, balſamum commendatoris, IDEM, adhæc in carie oſſis carioſi tinctura Aloes ſæpe alvi profluvium ſuſcitavit. *Alex.* MONRO *Society in Edimb.* Vol. V. P. I.



CLAS-

CLASSIS SEXTA.

EXSICCANTIA.

Quæ nimiam partis humiditatem abſorbent, partemque ſicciorem reddunt, EXSICCANTIA, Indicantur

I. Dum plurimo, & nimis tenui humore vulnus, ulcus madet. L. B. van SWIETEN.

II. Dum alia corporis humani ſana pars incommodo conſtanter ſudore perfunditur: ſed his rebus multo opus judicio, ut, an ſiccare conveniens, intelligatur.

III. In pertinaci vaſis rupti, diſciſſi, ſanguinis, ſeri, lymphæ fluxu, aut ſtillicidio.

Contra indicantur vero

I. In punctura, CHARMETTON in Quæſtione ab inclyta Academia Regia propoſita pro præmio 1748. *Determiner ce que c'eſt que les Remedes deſſicatifs, & les cauſtiques.*

II. In ulcere veteri, annoſo.

III. In ulcere quocunque inflammato, ſicco, dolente, NANNONI, in eadem quæſtione pro præmio 1748.

Cum vero perpetua illa, & moleſta humoris transſudatio vel ex tenuitate humoris per partem fluentis,

 vel

vel ex debilitate partis humores haud coercentis oriatur, exſiccantium duo generalia conſtituentur genera, hæc humores, illa ſolida corrigentia, inſpiſſantia nempe, & adſtringentia, quorum priora interno dicata uſui magis, in Materia Med. T. II. dicta, hic haud repetam, cum de unica horum diviſione ſolum dicturus ſim, de coagulantibus nempe, tum de adſtringentibus. Verum quia in recenti, nimio humore perfuſo, ulcere, ſæpe nec evidens fluidorum tenuitas, nec certa ſolidorum relaxatio criminari poteſt, proin operoſa hac curatione opus non ſit, medicamenta exſiccantia ratione effectuum in ſequentes claſſes diſtribuo.

I. EXSICC. BIBULA.

Hæc indicantur *I.* dum nec in fluidis, nec in ſolidis multa labes, ſed ex ſolo fotu extravaſati, maceratione leniori, ancipites ulceris recentis extremitates elaterem ſuum amiſere quodammodo, ut impulſum viribus cordis humorem non coercere amplius, nec in vaſa lateralia ſufficienter impellere poſſint.

II. Ubi completo bonis avibus ulceri, cicatrix inducenda, CHARMETTON.

III. Ubi in oſſium carie incommodus ex oſſium cellulis humoris proventus, *Alex.* MONRO *Society in Edimburg.* T. V. P. I.

Inter hæc ſunt

Plumaceola ſimplicia, } fumis aromaticis imbuta
Raſa, } ſicca.

Spongia præparata.

Hæc

Hæc vero cum lævia, porofa, ficca fint, ex extremitatibus hiantium vaforum humidum bibendo, & in fe attrahendo, ulceris liberant fuperficiem, ficcioremque reddunt, ut haud continuo amplius maceratis, puncta contactuum augeantur, cohæfio increfcat, impulfis refiftentia fluidis major ponatur, coerceantur fluida arctius, & per lateralia vafa diftribuantur felicius, fic demum totus compleatur hiatus. Nec repugnarem bibulos terreftrium pulveres in hanc claffem revocanti, qui fi impalpabiles fint, in parte molli indicantur, L. B. van SWIETEN, in offea minus, *Cl.* MONRO. Ex hoc cenfu funt

Cancrorum lapides *praeparati.*

Corallia rubra *praeparata.*

Offa *calcinata*, præcedentibus magis bibula, fed etiam magis cauftica caute applicanda.

II. EXSICC. ADSTRINGENTIA.

In folidis fuppuratione maceratis debito major, quam quæ fimplici humidi abforptione emendetur laxitas, medicamenta, elementa fibrarum arctius compingentia, coadunantia requirit; quæ quoniam etiam imperfpirabilem partem reddunt, ob id duplicem indicationem explent. Inter hæc ufitatiora funt

Aqua frigida in recenti ulcere proficua, CELS.

Aqua aluminofa.

Bolus.

Calaminaris lapis.
lapidis *praeparationes*.
Pompholyx.
Tutia.
Hæmatites Lapis.
Plumbi *praeparata*.
Cerussa.
Minium.
Lythargyrus.
Saccharum saturni.
Terra Aluminis.
Zinci flores.

OFFICINALIA COMPOSITA.

Unguenta.
Album simplex.
Ad ambusta.
Comitissæ.
De Lythargyro.
De Minio.
Nihili.
De Tutia. Simul Anodynum.
Emplastra.
Album coctum.
Diapalmæ.
De Lapide calaminari.
Defensivum.
Saturninum.
Stypticum.
Triapharmacon.

III. EXSICC. AROMATICA.

Indicantur, dum ſtimulo opus, ut ſolutæ fibræ vis prior infundatur.

EX SIMPLICIBUS.

Camphora.
Colophonia. Lenior.
Gummi.
  Elemi.
  Juniperi.
  Myrrhæ.
  Tacamahaca.
Maſtiche.
Olibanum.
Sarcocolla.
Styrax.

EX COMPOS. OFFICINALIBUS.

Aquæ vulnerariæ.
Lac Virginale.
Spiritus vini ſimplex.
  Camphoratus.
Tinct. præcedent. ſimplicium, aliæ Aromatic.
Unguenta.
  Album Camphoratum.
  Digeſtivum ſpiritu vini camphorato &c. animatum.
Emplaſtra
  Divinum.
  Gryſeum.
  Oxicroceum. &c.

Feliciter admodum hæcce prioribus junguntur. Sic in ſpiritu vini alumen ſolvitur bono effectu, alia aliter combinari poſſunt. Ex his vero omnibus, a quarta Claſſe ſuppurantium nempe, huc usque recenſitis, facile patet:

Quid cenſendum de ſarcoticis ſit, & quæ eligenda: cum enim ea, quæ regenerationi carnis deperditæ favent, SARCOTICA merito habeantur, & ſuppurantium, ſeu digeſtivorum omnes ſpecies, omnes detergentium, tum demum, & exſiccantium huic famulentur, ea ſarcotica eſſe clarum, hinc, ut hæc multiplicia, calida, frigida, humida, ſicca, emollientia, adſtringentia, ſic & illa eſſe evidens. Non datur igitur ullum medicamentum univerſale vel digeſtivum, vel detergens, vel exſiccans, minus adhuc ſarcoticum, ut materia chirurgica a multis inutilibus liberari poſſit. In arte ſalutari perpetuo ſummum erit cognitio exacta morbi, huic ſoli remedium facile; nec obſtant ſpecifica.



CLAS-

CLASSIS SEPTIMA.

C A U S T I C A.

Quæ urunt, rodunt, consumunt partes corporis humani, quibus applicantur, CAUSTICA dicuntur. Hæc vero duplicia sunt, actualia vel potentialia: priorum etiam in cadaver actio est, ignis enim omnia consumit: posteriorum solum in corpus vivens: funestum hinc omen, dum non urunt amplius vesicatoria.

Duæ potentialium, de quibus hic unicus sermo, classes constituuntur.

I. Rubefacientium.

II. Cathereticorum, seu escharoticorum vel ruptoriorum est. Quibus in morbis quæque indicentur, sub speciebus dicetur.

I. RUBEFACIENTIA.

Quæ majori ad partem corporis, cui applicata fuere, concitato per stimulum, quem habent, humorum affluxu, rubere partem faciunt, RUBEFACENTIA, Epispastica; quæ pustulas, aut vesicas excitant, VESICANTIA, vel vesicatoria appellantur.

Indicantur. *I.* In avertenda in partem nobilem, vel irritabilem humorum fluxione: ſic in oculorum, dentium, auricularum morbis, locis retro aures, vel nuchæ agglutinantur, CHARMETTON, licet in dolore dentium vehementiori arteriæ temporali nonnulli, alii maxillæ angulo imponant.

II. In evocando impacto ex parte quadam humore, ut in iisdem morbis, tum in doloribus rheumaticis, arthriticis, iſchiadicis, &c. An conveniant in morſu venenato? bonus ab his effectus obſervatus in *Act. Nov. Acad.* N. C. quem haud placere video CHARMETTON. An recte?

III. In revocando humore repulſo, ut in podagra retropulſa &c. ulceribus manantibus capitis exſiccatis, & inde majori orto malo, epilepſia &c. L. B. van SWIETEN. Sed tum parti, unde repulſus humor, applicanda ſunt.

Contra indicantur vero in bubone venereo, tumore ſcrophuloſo, CHARMETTON. Forma varia ſolida, cataplasmatica, emplaſtica.

EX VEGETABILIBAS.

Allium.
Arum.
Cyclaminus.
Clematis.
Eſula.
Euphorbium.
Flammula.
Piper,
Pyrethrum.

Ra-

Ranunculi.

Raphanus Rusticanus.

Ruta.

Sinapi.

Staphysagriæ semen.

EX ANIMALIBUS.

Cantharides.

Stercus Columbarum.

EX COMPOS. OFFICINALIBUS.

Fermentum Panis.

Emplastrum Vesicatorium.

Si ablata a vesicante facta vesica, effuso humore, siccare consilium, primo mollia, pinguia digestiva, dein exsiccantia imponuntur; si partem attracto humore ulterius perfundi opus, leniora rubefacientia, digestiva stimulantia admoventur; & hæc quidem omnia pro intentione medentis varia esse solent.



II. CATHAERETICA

SEU

ESCHAROTICA.

Hæc fibras corporis omnes, tam cutaneas, quam carneas, & alias destruunt.

Indicantur *I.* Si fungosa in ulcere haud sensibili caro, coalitum impedit.

II. Si carnis vegetatio, vel excrescentia, ultra æquabilem partis sensibilis naturaliter constitutæ superficiem emineat, ut in morbis palpebrarum, ficu, verruca, ectropio, in morbis oculorum, encanti, pterygio completo; in morbis narium, oris, ani, partium genitalium utriusque sexus, CHARMETTON. Q. C.

III. In gangræna humida, applicatis incassum optimis & indicatissimis spirituosis, IDEM.

IV. In tumore frigido ex congestione humorum orto, scirrhoso quocunque, etiam glandulari indolente, tum bubone venereo, pestilentiali, scrophuloso, tumore critico maligno, IDEM. Alias indicationes vide in T. III. de argento, ubi de lapide infernali sermo.

Contra indicantur *I.* In morbis complicatis, ut in ulceribus malignis, maxime cancrosis. CHARMETTON.

II. In venereis, pestilentialibus, scrophulosis, juncturas, tendinosas ligamentosasque partes, vel etiam glan-

glandulosas inflammatas, duras, inæquales, vicinis adhærentes, occupantibus. IDEM.

III. In ulceribus carie exceptis, in his etiam cariem auferre intentio. IDEM.

IV. In magnis Polypis.

LENIORA.

Euphorbium Iris florentina Sabina. Cineres clavellati.	Ex Veget.
Alumen ustum. Borax. Calx viva. Calx veneris. Ærugo. Ochra. Vitriolum album. Cyprinum.	Ex fossil.

COMPOSITA OFFICINALIA.

Aqua Phagedænica.
Balsamum Martiatum.
Oleum Tartari p. d.
Unguentum Ægyptiacum.

FORTIORA.

Arsenicum album.

A multis chirurgis adhibitum verum venenum est, quod hoc scopo applicatum totius corporis tremorem induxit, MONRO. l. c. quare raro & caute adhibendum.

Au-

Auripigmentum.
Realgar.
Mercurius præcipitatus Albus.
Ruber.
Sublimatus corrosivus.

Et hæc sæpe salivationem induxere, MONRO l. c.
Spiritus acidi concentrati.
Nitri.
Salis.
Vitrioli.

Hi vel puri, vel gleba metallica divites applicantur, sed substantia metallica imprægnati ossium cariei adhibiti, violentos dolores, sæpe convulsiones causavere. MONRO. l. c.

Butyrum Antimonii.
Lapis causticus.
Infernalis.

Et horum quidem omnium, & pro conditione partis, cui applicanda, & pro aliarum circumstantiarum ratione, forma, lenitas, activitas, variare multum solent. Tutissime vero omnium applicari potest lapis infernalis: Reliqua enim ulceri adhibita in totam ejus superficiem agunt æqualiter, lapis autem infernalis singulis punctis potest applicari, L. B. van SWIETEN.



CLAS-

CLASSIS ULTIMA.

DEPLENTIA CHIRURGICA.

Etiam alia ſunt ad deplendum ſeu evacuandum conſtituta chirurgica, alia medica auxilia; priora hic recenſenda, maxime hirudinum ſuctione, phlebotome, ſcarificatione, fonticulis, ſetaceis, veſicantibus, quibus tam abdominis quam thoracis paracentheſim, cranii perforationem addere poſſes, complentur; poſteriora jam Tomo II. hujus operis dicta ſunt.

HIRUDO *Offic.* Syſt. Naturæ. Claſſis Naturalis Vermium, ordo inteſtinorum. *Germ.* Blut-Igel. *Gallis* Sangsue. *Anglis* Leech.

HIRUDO *Medicinalis* RAY, hirudo depreſſa fuſca, lineis flavis dorſalibus ſex, intermediis immaculatis, ſubtus cinerea nigro maculata, *Cl.* LINNÆO definitur, ut facile a *Sanguiſuga*, quæ marginem lateralem flavum gerit, diſtinguatur. Utriusque iconem nobis ſervavere Acta STOCKH. 1757. N. 4. F. 1. 2. 3. 4.

Medicinalis hirudo princeps hæmorrhoidalium ſector venarum vermis, plus una vice ſeſe ſanguine ingurgitare valet, & hæc quidem, quæ ceteris omnibus vituperio animantibus intemperantia eſt, huic laudem conciliat, ut demum etiam vitia aliquam gloriam conſequantur! & ob ingluviem ſanguiſugo modeſtiori & una ſolum

ſolum vice ſanguine ſeſe obruente, præferatur. Haud tamen reticendum, ſanguine ſemel potum, etiam poſtridie vacuum, minus ſæpe guloſum deprehendi, & ſegnius venam, quam iterato reſpuit, pertundere, & lentius, quaſi prioris culpæ conſcium animal, inebriari: ſive vero vel de hac, vel alia de cauſa torpidus & deſes ſit vermis, eſt vero ſæpe de lævi, ſtimulari in obſequium & crapulam poteſt, etiam abſterſione partis, lactis, ſanguinis illitu allici: jamque parti, cui applicatur inſiſtere, radicari firmius, & longo gurgite ſanguinem bibere paraſiticus incipit, quo ſatur, ſeſe ſæpe a loco ipſe dimittit, ſæpe tamen adhuc pertinacius adhæreſcit: at tum divelli non debet, eſt enim in hac re periculum, ſed ſale, cinere, aut alio pulvere acri conſpergi, ſic enim facile abſcedit. Eſt etiam, ubi largiori depletione opus ſit, tumque huic cauda abſcinditur, & jam pleno rivo per vulnus, ſuctus ſanguis profluit, nec tamen aut ideo cito animal moritur, aut a partis complexu remittit; tantusne eſt amor potus? quaſi diſciſſi corporis interitum diluere hacce voluptate aut vellet aut poſſet animal!

Vulnus a verme illatum triquetrum, ſæpe diu adhuc ſanguinem ſtillat, etiam poſt duodecim horas, & meticuloſis timorem incutere poſſet, ob id deligandum, ut venarum ſectiones ſolent, dum prius, aut aceto, aut vino, aut ſpiritu vini ablutum fuit.

USUS CHIRURGICUS ab omni tempore ad venas hæmorrhoidales deplendas multus & utilis, quod ab ipſo loco affecto, ſanguis evocetur, *Cl.* QUESNAY *Traité de la ſaignée*, etiam morbis oculorum adhibitus, hirudinibus oculorum exteriori angulo appoſitis, *Cl.* PRINGEL, angulo interiori carunculæ, JAMES *Dict.* *Uni-*

Univerſ. Gingivis, linguæ inferiori parti, genis in dolore dentium; in tumore pedum œdematoſo, plantis pedum, in podagra cum tumore aquoſo vehementer inflammato ſub malleolo, & pedum digito maximo, *Cl.* GISLER *Act. Reg. Suec.* T. XX. a *Cl.* KÆSTNERO *edit.* etiam in dolore crurum a diuturna febre relicto, tentatis incaſſum aquis mineralibus, remediis aliis, imo electricitate, IDEM. Sunt, qui etiam eryſipelati, cancro apponant, IDEM *ibidem.*

Ex propoſito inſtituta Chirurgica operatio, qua vas rubrum venoſum ut ſanguis effluat, ſecatur, PHLEBOTOME; qua aperitur arterioſum, ARTERIOTOME appellatur. Utramque immenſa ſæpe utilitas, ſæpe etiam irreparabile damnum ſequitur, quod cum per omnes caſus dicere nimis longum, quibus quæque rebus inſtituendæ ſint, quibus non poſſint, artis Magiſtri cum alii, tum maxime in abſoluto de venæ ſectione tractatu *Cl.* QUESNAY conſuli debent, qui, ut quidem de multis caſibus pulcherrima memoriæ prodidit, ita de graviditate exquiſite judicavit, morbum graviditatem non eſſe, nec propagationis humanæ ſpeciei ſecuritatem ſcalpello aut commendaſſe, aut concrediidiſſe naturam videri, perraram adeoque occaſionem occurrere, qua gravidæ in venam dimitti ſcalpellum debeat, cujus judicio & ego accedo, tum quod absque phlebotomo feltciter animalia utero gerant & pariant, & ipſa humana ſpecies, ante uſum hujus inſtrumenti haud magis miſerande; graviditate defuncta ſit.

SCARIFICARI pars corporis dicitur, dum vel ſimplici ſcalpello, vel machina pluribus ſcalpellis in-

ſtructa cutis conſcinditur; Simplici ſcalpello plerumque Chirurgi utuntur, cum ad profundas illas ſcarificationes, incisiones vocant, ut partes tenſæ, infarctæ in ſumma inflammatione convulſionem, gangrænam minante, relaxentur, QUESNAY, in ipſa gangræna ut vivarum actio excitetur, OMNES, tum ad eas ad paniculum adipoſum uſque factas, quas mollis, pellucidus lymphaticus ſcroti, femorum, crurum, pedum tumor poſtulat, ut emacietur, DIONIS *Cours d'Operations.* In ultima vero hac curatione ſcire juvat, plagas ſcalpello factas, gangræna ſæpe vitiari, LA FAYE *dans les notes*, ob id vino rutaceo, corticis peruviani decocto vel in initio fovendas, myrrha, aloe, accenſis vaporandas, tum ſpiritu vini camphorato, unguento de ſtyrace, ubi jam vitium adeſt, obliniendas.

Scalpellum vel ſimplex vel compoſitum ſuperficiariis illis ſcarificationibus, quibus ſanguinem e parte evocare intentio, maxime admovent: is vero abundantius extrahitur, ſi conſciſſæ parti, CUCURBITA linamento ardente rarior, aut ſine omni flamma, ſolius machinulæ pneumaticæ beneficio, quod L. B. van SWIETEN & adhibet & probat, exquiſite ita adaptetur, ut recte impreſſa inhæreſcat, tum enim multo ſanguine impletur; ſin minus, novo vel eodem linamento ardens cucurbita, iterum iterumque applicatur, donec ſatis factum fuerit. Auxilii hoc genus in locum venæ ſectionis multis ſuffectum, etiam diris morbis a ſanguine natis oppoſitum fuit, ut cephalaeæ, apoplexiæ, nervorum reſolutioni, marcori, & inexpugnabili dormiendi neceſſitati, conciſa occipitii cute, *Cl.* WALTER *Diſſert. de ſcarificat. occipitis;* & ante hunc jam dudum in morbo herculeo occipitium incidere & cucurbitas admovere, etiam occipitium ferro can-

candente adurere, ex veterum doctrina jussit CELSUS, & in omni morbo, ubi deobstruens sanguis immediate evocari potest, valet cucurbitis excepta scarificatio, *Cl.* QUESNAY.

FONTICULUS, quod quasi ab ipso fonte mala materies fluere crederetur, dictus, est vel ferro scindente vel caustico ad paniculum adiposum usque erosum ulcus, quod piso, globulo quocunque alio immisso, vinculo ad id accommodato valentius adstringente, coire impeditur. Corporis sedes his opportunæ fonticulis sunt summum caput, fontanellam locum chirurgi vocant, & hic in desperata cephalalgia eligitur, PLATNER *Instit. Chirurg.* Opportunior in nucha sedes est inter alteram, tertiamque colli vertebram, maxime lippientibus & ex levissima causa opthalmia laborantibus, PLATNER, quibus fonticulus sæpe profuit, L. B. van SWIETEN *Comm.* T. I. Excitatur quoque in brachio inter deltoidem & bicipitem, & in femore supra genu ad quartum circiter digitum, inter musculum vastum & gracilem, tum in crure ad quartum digitum infra genu, inter musculum soleum & gastrocnemium externum, PLATNER, rarius inter costas, quod dum tamen factum esset in latere vomica affecto sputo cessante, æger servatus est, WILLIS.

SETACEUM nomen a setis traxit, quod olim chirurgi pilis ex equorum caudis ad id uterentur. Hic vero est setaceorum excitandorum modus: vel digitis vel forcipe, arrepta cum paniculo adiposo cutis elevatur, latiore acu, scalpello trajicitur, filum crassius intortum, vel linteum vel vitta in vulnere relinquitur, quotidie per vulnus ducitur, pure infecta pars abscinditur, recens etiam digestivo illinitur. Valet in lip-

pitudine, oriente ſuffuſione, etiam amouroſi, PLATNER & OMNES OCULARES CHIRURGI, in moleſtiſſima cephalalgia, RUYSCHIUS, L. B. van SWIETEN, in ſtupore poſt apoplexiam manente, LA MOTTE *Traité complet de Chirurg.* in memoria læſa ex lapſu, MEDICAL ESSAYS, Vol. V. p. I.

VESICATORIA dicta p. 122.

PARACENTESIS abdominis, thoracis, ſcroti, ut & cranii perterebratio, quibus & aqua & ſanguis & pus & alius quilibet humor evocatur, majoris momenti operationes, cautelas requirunt plurimas, & ex propriis fontibus peti debent: conſule maxime *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN commentaria.



INDEX RERUM.

A

N 3 Aco-

Selte-

B

C

Car-

Cu-

D

Dicta-

E

F

Flo-

G

H

Hip-

I

K

L

La-

M

N

O

Olea

Osteo-

P

Per-

R

Ru-

S

Sa-

U V

Z

